VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
CONFIRMATA.

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
EX

Genere, conceptu, ortu, vita, geſtis, myſteriis ac prodigiis

JESU CHRISTI
EJUS AUCTORIS

NECNON

VIRGINIS DEIPARÆ
CONFIRMATA

Et omnibus Fidelibus & Infidelibus iterum propoſita

PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORUM
In Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem

NUNC

S. R. E. CARDINALEM.

TOMI IV.
PARS PRIMA.

ROMÆ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI.

UT Chriſtianæ Religionis veritas, quam coram omnibus in aperto ſtatuere hujus Operis præcipuum argumentum eſt, in Fidelium animis magis magiſque firmetur, & ad Infidelium mentes Divinâ gratiâ illuſtrandas clariori luce perveniat, operæ pretium duxi, Chriſti Domini, ejuſdem Auctoris Genus, Conceptum, Nativitatem, Geſta, Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem, ad cœlos Aſcenſionem, necnon prodigia ac myſteria, quæ in hiſce omnibus evenerunt, palam exponere; ea, quæ certa ſunt, & à communi fide ſuſcipiuntur, ab aliquibus, quæ, utpote fidem non tangentia, ſed merè hiſtorica, hinc inde diſputantur, diſcernendo. Eſtò autem de his aliqua tomo primo præſentis Operis indicaverim; ſatiùs tamen exiſtimavi, ea pro dignitate ſigillatim diſcutere, adjiciens ea, quæ in Sanctiſſima Chriſti Filii Dei Genitrice Maria præ cæteris mulieribus Divina Gratia operata fuit, ut eodem tempore & fides erga Chriſtum ſtabiliatur, & erga ejus Matrem pietas accendatur.

Non

Non latet, me jam actum agere, & plures eruditos viros hisce mentem ac manum appositisse. Sed ob id feliciùs mihi opus eveniet, dum eorum, quæ dixero, veritatem, plurium, & in plerisque omnium, qui ante me fuerunt, testimonium & auctoritas confirmabit. Hoc præmonere volui. Nam in quibusdam, quæ Religionis summam non tangunt; sed quæstiones potiùs sunt, in quibus Christianis etiam Catholicis liberum est utrumlibet sentire, non quæ unus, ante alter opinatur, sed quæ plures, aut major pars, præcipuè Veterum, nobis traditum reliquerunt, & in quæ Ecclesia magis propendit, libentiùs amplectar. Quòd si aliquis convenire me velit: num legisti hunc vel illum, præsertim ex recentioribus omnigenâ eruditione refertum aliter sentientem? dicam, quod S. Augustinus L. 3. de Bapt. contra Donat. c. 4. sibi petenti, an legisset Cypriani Epistolam ad Jubajanum de rebaptizandis hæreticis (quæ res tunc in controversia erat) respondit: *Jam legi, fateor, & profectò issem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratiâ doctrinæ, vel etiam fortasse doctiores, per tot gentes, Latinas, Græcas, Barbaras, & etiam Hebræam, Ecclesia toto Orbe diffusa parere potuit, quæ ipsum quoque pepererat, qui mihi nullo modo videri potuerunt frustra noluisse istam tenere sententiam: non quia fieri non potuit, ut in obscurissima quæstione veriùs pluribus unus, paucive sentirent; sed quia non facilè pro uno vel paucis adversùs innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio & uberi*

uberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus, atque perspectis rebus ferenda sententia est. Hoc præmonito, omnem invidiam me declinaturum confido, si quibusdam in aliquibus non assentiar: non quia existimem, fieri non potuisse, ut in aliqua quæstione verius pauci, aut etiam unus, sentirent, sed quia non facilè pro uno vel paucis adversùs plures ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio ac uberi doctrina præditos, nisi perspectis & exploratis rebus, ferenda sententia est. Quod cùm hactenus exploratum non apparuerit, & Ecclesia suffragio suo sententiam plurium tacitè probare videatur, ideo eorum magis, quàm paucorum sententiæ adhærendum mihi esse existimavi. Reliquum est, ut qui Christi Domini gesta mysteriaque legerit, ea non solùm veneretur, sed quæ credenda, & facienda omnibus ipse proposuit, non solùm fide suscipiat, sed & opere studeat adimplere: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Rom. 2. v. 13. Propterea monet Jacobus in sua Epist. cap. 1. à v. 22. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.*

APPROBATIO ORDINIS.

JUssu Reverendissimi P. N. *Fr. Thomæ Ripoll* totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri accuratè, ac summâ cum voluptate legi, atque iterato perlegi eximium hoc Opus Eminentissimi ac Reverendissimi D. D. *Fr. Vincentii Ludovici Gotti* S. R. E. Cardinalis; quô, post tot sibi extructa ingenii, ac doctrinæ monumenta, quibus immortalem sibi gloriam comparavit, veritatem Religionis Christianæ à conceptu, ortu, vita, gestis, miraculis, ac prodigiis *Jesu Christi* ejus Auctoris, necnon Virginis Deiparæ ejus Matris, in Fidelium consolationem confirmare, & Infidelibus iterum proponere, rejectis spuriis, & apochryphis, necnon ridiculis, nescio quorum fabulatorum commentis, aliisque vanis quorundam Criticorum & otiosis argutiis, quas multi stultè, ac inanitèr ad commendationem quasi ingenii sui jactant, studiosâ curâ, & sollicitâ cogitatione aggreditur. Enim verò non defuerunt, qui, uti Magister *Cano* lib. 11. cap. *6.* observavit, pietatis loco duxerint mendacia pro Religione fingere. *Id quod & maximè periculosum est, & minimè necessarium. Mendaci quippè homini, nec verum quidem credere solemus. Quamobrem, qui falsis atque mendacibus scriptis mentes mortalium concitare ad Divorum cultum volverunt, hi nihil mihi aliud videntur egisse, quàm, ut veris propter falsa adimatur fides, & quæ severè ab Auctoribus planè veracibus edita sunt, ea etiam vocentur in dubium.* Et infrà: *Ecclesiæ igitur Christi hi vehementer incommodant, qui res Divorum præclarè gestas non se putant egregiè exposituros, nisi eas fictis & revelationibus, & miraculis adornarint. Quâ in re nec Sanctæ Virgini, nec Christo Domino hominum imprudentia pepercit, quin quod in aliis Divis facilitavit, idem quoque in Christi & Matris historia scribenda faceret, & pro humani genii levitate multa vana & ridicula comminisceretur.* Hæc ille. Sunt & alii, qui antiquas, & Ecclesiæ etiam, ut ita dicam, usu comprobatas traditiones; quæ etsi falsæ essent nihil Fidei aut pietati perjudicarent, & ità firmiter Catholicorum mentibus insident, ut qui eas convellere niteretur, nedum nihil proficeret, ut alibi idem *Cano* observat, sed se ridiculum, ne dicam insanum, proclamari faceret, ad ingenii sui ostentationem explodere nituntur. Profectò non est gravis ac modesti hominis negligere multorum seculorum decursu comprobatas traditiones, & loco earumdem, nova quædam, olim inaudita, contrà omnem vetustatem, solâ opinandi licentiâ, & hominum ap-

applausus captandi gratiâ; sectari, aut proprio marte obtrudere. Sanctorum Historias, maximè *Christi* Domini, ac Sanctissimæ ejus Matris, à priorum temeritate & audacia, à posteriorum levitate & præcipite censurâ decet vindicare. Veris veritas delectatur, falsis refugit. Attamen nec solâ Scripturâ utitur Ecclesiastica Historia; suum traditionibus locum assignat diversis diversum: nec omnia, quæ in sacris Litteris evacuata non sunt, ad Poetarum aut Pictorum officinas amandat. Quare Eminentissimus noster, veritati, pietati, perspicuitati, rerumque gestarum Ordini intendens, devitat, juxtà monitum Apostoli 1. ad *Timoth. 6. profanas novitates*: vel ut ex græco habet *Theophil.* & *Oecumenius*, *vanitates*, *& inanitates*: ac veluti laudatus ille Scriba apud *Matth.* 13. v. 32. doctus in regno cœlorum, seu in Ecclesia, ad res gestas, & miracula Christi, necnon ipsius Sacratissimæ Matris scribenda, enucleanda, illustranda ex scientiæ suæ thesauro nova, & vetera profert: *nova ex veteribus*, ut *Cellada* explicat in *Judith.* cap. 11. §. 58. vel, ut textum exponit noster Eminentissimus *Hugo*, *nova & vetera*, *auctoritates novi & veteris Testamenti*: quæ in Scripturarum, ac SS. PP. diuturna, & assidua lectione pulchra, admiranda, divina de hoc argumento reperit, ac piâ meditatione decoxit, Lectoribus tradit: veteribus novitatem, obscuris lucem, confusis ordinem, omnibus novum adjiciens splendorem: nunquam sine aliquo teste, sequens *Chrysostomi* præceptum in *Ps. 95. Non oportet quidquam dicere sine testibus*, *solaque animi cogitatione. Nam si quid dicitur absque Scriptura*, *auditorum cogitatio claudicat*, *nunc annuens*, *nunc hæsitans*, *& interdum sermonem*, *ut frivolum aversans*; *interdum ut probabilem recipiens. Verùm ubi è Scriptura Divinæ vocis prodiit testimonium*, *& loquentis sermonem*, *& audientis animum confirmat*. Meritò ergo dixerim Opus hoc & ingenii esse maximi, & doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ utilitatis; cui novitas dicendi confert quidem gratiam, ut legentium animos jucundiùs & suaviùs allectet, sed cui sacrarum Scripturarum & Patrum sapientia addit auctoritatem. Maximas profectò Eminentissimo viro debemus gratias, qui tanti momenti res pro meritis tractans, nulli parcens labori pro publica Ecclesiæ utilitate, diès noctesque excubans, atque in sancto studio consumens, labores ultrò susceptos, nostrum in usum dignatur convertere; exponens illustriùs, uberiùs, enucleatiùs, quod antè obscurè tradebatur. Opus ergo hoc prælo dignissimum judico, ut Sapientium manibus, & studio teratur, utque egregios Eminentissimi Purpurati la-

bores, & indefeſſam induſtriam, circa præclara ſemper occupatam, omnium perpetuus applauſus, approbatioque comitetur, exopto. Romæ in hoc Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 2. Februarii anni 1736.

Fr. Cajetanus Benitez de Lugo, Magiſter, & Sac. Congr. Rituum Conſultor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri S. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

LEgi de mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri S. Palatii longè eruditiſſimum, ac rerum copiâ doctrinæque varietate abundantiſſimum tractatum de Vitâ Chriſti & Deiparæ, Eminentiſſimi Cardinalis Gotti: & ſanè maxima cum animi mei voluptate illum legi. Etenim mirè me delectarunt ſummus ordo, magnum judicium, multa ſubtilitas, clara gravia & perpolita argumenta in materia, quâ nulla illuſtrior eſt, neque ad ſcribendum uberior. Accedit eximii Operis fructus, cum in eodem aſſequutus fuerit Eminentiſſimus ſimulque Doctiſſimus Author rem omnium præcipuam ac præſtantiſſimam, nimirùm geſtorum Chriſti Domini, & Sanctiſſimæ Virginis cognitionem atque notitiam, & Fidelibus & Infidelibus, maximo cum utrorumque emolumento, enucleatè, & ad rei dignitatem aptè aperire. Cum itaque iſti, doctrinâ hujus Libri graviſſimâ, quaſi manuducantur ad illum, qui ſe humanâ carne veſtivit ac ſepſit, ut omnem hominem venientem in hunc mundum illuminaret: Fideles verò diuturnum quoddam quaſi pabulum ad pietatis ſtudium augendum hìc habeant: idcirco eumdem, cum nihil in ipſo, meâ quidem ſententiâ, ſit dictum quod obſit, proſint verò plurimùm omnia, digniſſimum, qui lucem aſpiciat, exiſtimo.

Ex noſtro Monaſterio Sanctæ Crucis in Hieruſalem de Urbe die 2. Novembris anni 1735.

Don Joachim Beſozzi Ciſtercienſis
S. Rom. Inquiſ. Conſultor.

II.

INnumeri propemodum erant, qui de Christi Servatoris nostri ejusque Sanctissimæ Genitricis vita, mysteriis, prodigiisque ex professo tractaverant: adhuc tamen desiderabatur, qui ad ejusmodi argumenta discutienda ita suum conferret studium, ut historiam cum dogmate, criticen cum pietate jugiter copularet; itaque de rebus hisce feliciter scriberet, ut lectorem suum docendo opportune moveret, movendoque luculenter instructum redderet. Voti nos compotes plane fecit Clariss. atque Eruditiss. Auctor Fr. Vincentius Ludovicus S. R. E. Cardinalis Gotti Opere, quod inscripsit: *Veritas Religionis Christianæ* &c. Istiusmodi autem Opus, ubi justu Rmi P. Fr. Johannis Benedicti Zuanelli S. Palatii Apostolici Magistri oculis atque animo perlustravi, nihil equidem in eo non pium, nihil non sanum, nihil Orthodoxæ Fidei Ethicæve Christianæ minime consonum deprehendi. Cum igitur liber hicce totius Catholici Orbis utilitati atque ornamento mire prospiciat; proque certo habeam, haud secus atque alia Eminentissimi Auctoris Opera jam evulgata, communi literatorum laude plausuque excipiendum esse, typorum illum luce dignissimum censeo. Romæ ex Ædibus Sanctæ Mariæ ad Montes Kalendis Februarii MDCCXXXVI.

Thomas Sergius Congreg. Piorum Operar.
S. Rom. Inquis. Consultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

ELEN-

ELENCHUS

Eorum, quæ in hoc Opere tractantur.

CAPUT PRIMUM.

De Stirpe Christi Domini.

§. I. *An fuerit de Stirpe Adam, & quomodo?* pag. 1
§. II. *An fuerit ex Stirpe David.* 4
§. III. *Ostenditur fuisse ex progenie Abrahæ & David etiam secundùm Mariam Matrem.* 6

CAPUT II.

Modus conciliandi Matthæum & Lucam in genealogia Christi.

§. I. *Apparentes contradictiones.* 14
§. II. *Probabilior modus conciliandi invicem.* 16
§. III. *Alii modi conciliandi.* 21
§. IV. *Conciliantur cum historia Veteris Testamenti.* 25
§. V. *De Cainan juniore in Lucæ Evangelio recensito.* 29

CAPUT III.

De Mariæ Virginis parentibus, ortu, educatione &c.

§. I. *Beatæ Mariæ Parentes.* 34
§. II. *Apocrypha de B. Virginis ortu & educatione.* 39
§. III. *Quid de aliis in præfatis apocryphis contentis?* 45
§. IV. *De B. Mariæ Præsentatione in Templo.* 48
§. V. *An fuerit educata in Templo.* 50
§. VI. *An emiserit Votum Virginitatis, & quando.* 56
§. VII. *Quale fuerit B. Virginis Votum.* 63

CAPUT IV.

De Matrimonio inter Mariam & Joseph.

§. I. *Variæ opiniones.* 68
§. II. *Inter Mariam & Joseph verum fuit Matrimonium.* 70
§. III. *An S. Joseph dici possit Pater Christi.* 74

§. IV.

§. IV. *An convenieus fuerit Mariam Matrimonio jungi, & quomodo cohæreat cum voto Virginitatis antea emisso.* 78
§. V. *Quandonam inter Mariam & Joseph initum fuerit.* 86
§. VI. *Quo ætatis anno Maria & Joseph matrimonium inierint.* 95
§. VII. *De statu S. Joseph ante & post initum conjugium.* 101

CAPUT V.

De Christi conceptu Beatæ Virgini nuntiato, & in ejus utero peracto.

§. I. *Examinantur ea, quæ Annuntiationem concernunt.* 116
§. II. *Ubi, quando, quibus verbis peracta Salutatio fuit.* 124
§. III. *De Christi conceptu in Virginis utero peracto.* 129
§. IV. *An conceptio Christi fuerit supernaturali & miraculoso modo peracta.* 137

CAPUT VII.

De Mariæ Virginis in montana peregrinatione ad visitandam cognatam Elisabeth.

§. I. *Quis finis Visitationis, quis locus habitationis Elisabeth.* 144
§. II. *Quis Mariæ in itinere comes: & quid in ejus adventu factum sit.* 148
§. III. *De Zacharia Joannis patre, quis fuerit, & quæ ejus mors.* 157
§. IV. *De reditu B. Mariæ à domo Elisabeth ad domum propriam, & de nativitate Joannis.* 165

CAPUT VII.

De Nativitatis Christi modo & loco.

§. I. *Modus, an clauso utero Matris.* 172
§. II. *An sine dolore Matris, & sordibus &c.* 178
§. III. *De Loco Nativitatis.* 184

CAPUT VIII.

De tempore Nativitatis Christi, de Pastoribus, & Prodigiis in ejus Nativitate factis.

§. I. *De tempore.* 190
§. II. *De Pastoribus.* 196
§. III. *De Prodigiis veris, apocryphis & falsis, quæ in Christi Nativitate accidisse narrantur.* 200

CA-

CAPUT IX.

Christi Circumcisio.

§. I. *Christus fuit Circumcisus, & Nomen Jesu illi impositum.* 206
§. II. *Cur Christus voluerit circumcidi.* 209
§. III. *De Loco & Ministro Circumcisionis.* 210
§. IV. *De Præputio D. N. Jesu Christi.* 215
§. V. *De Festo Circumcisionis; an antiquum?* 219

CAPUT X.

De Christi nati Manifestatione.

§. I. *An Christi Nativitas debuerit manifestari, quibus, & quomodo.* 223
§. II. *De convenientia Manifestationis.* 225

CAPUT XI.

De Magis Christi adoratoribus.

§. I. *De Stella, quæ Magos duxit.* 228
§. II. *Magorum conditio.* 235
§. III. *Quot fuerint Magi, & quo nomine.* 239
§. IV. *Unde venerint, & quo tempore.* 243
§. V. *De via per quam Magi redierunt, & Festo Epiphaniæ.* 253

CAPUT XII.

De Purgatione, & Puero Jesu in Templo præsentato, de Simeone & Anna &c.

§. I. *Lex Purgationis & Oblationis.* 257
§. II. *De Simeone & Anna.* 263
§. III. *De Festi Purificationis antiquitate.* 270

CAPUT XIII.

De Fuga in Ægyptum.

§. I. *Aliqua prænotantur.* 274
§. II. *Ex quo loco fugerint.* 276
§. III. *Quamdiu in Ægypto manserint.* 279
§. IV. *De assertis Miraculis à Jesu in Ægypto patratis.* 282

CAPUT XIV.

De Puerorum cæde ab Herode imperata.

§. I. *Tempus, quo cædes indicta fuit: & cæsorum numerus.* 289
§. II. *An inter Pueros occisos fuerit Herodis filius bimus.* 293

§. III.

§. III. *An Pueri Bethlehemitæ ab Herode occisi sint veri Martyres.* 296

CAPUT XV.

De Christi Gestis, ac Vitæ ratione usque ad annum trigesimum.

§. I. *Quomodo Puer Jesus profecerit, & quas de his fabulas narret Liber Infantiæ.* 300
§. II. *De annua Visitatione Templi.* 304
§. III. *De Disputatione Christi in Templo.* 307
§. IV. *Quod vitæ institutum tenuerit Jesus in pueritia & adolescentia.* 310

CAPUT XVI.

De Joannis Baptistæ Ministerio.

§. I. *Tempus, quo Joannis Baptistæ cœpit Ministerium.* 314
§. II. *Joannis Ministerium quod, & quale fuerit.* 317
§. III. *De Baptismate Joannis.* 320
§. IV. *An baptizati Baptismo Joannis essent postea baptizandi Baptismo Christi.* 327

CAPUT XVII.

De susceptо à Christo Baptismate.

§. I. *Cur Christus Baptisma susceperit, & quale.* 328
§. II. *De tempore & loco, in quo Christus baptizatus fuit.* 331
§. III. *De iis, quæ acciderunt post Baptismum Christi.* 336

CAPUT XVIII.

De Christo in Desertum secedente, & ejus tentatione.

§. I. *De Spiritu, à quo ductus fuit; & convenientia tentationis.* 348
§. II. *De loco & tempore tentationis.* 353
§. III. *De ordine & modo tentationum.* 356

CAPUT XIX.

De Vita Christi post Baptismum, & Prædicatione.

§. I. *Vitæ genus Christo conveniens.* 363
§. II. *Vita Christi relatè ad Legem.* 371
§. III. *De Christi Prædicatione & Doctrina.* 374
§. IV. *An Christus aliqua scripserit.* 380
§. V. *De tempore Prædicationis Christi.* 385

TRA-

TRACTATUS

De Christi, ejusque Virginis Matris genere, Ortu, Vita, Morte &c.

TRACTATUIMUS jam, Religionem Christianam unicam esse veram, ejus Doctrinam esse à Deo, Christum ejus Auctorem esse Hominem, sed etiam Deum. Nunc ut ejus excellentia in clariori lumine collocetur, & qui eam profitetur, magis magisque gaudeat, se in tanta veritatis luce versari; ea, quæ Christi ejusque Virginis Matris genus Ortum Vitam Mortem, necnon mirabilia, quæ in eis Deus operatus est, in præsenti Opere collecta, Christiani Lectoris oculis exponemus.

CAPUT PRIMUM.

De Stirpe Christi Domini.

§. I.

An fuerit ex Stirpe Adam, & quomodo?

1. CUm Christus sit verus Deus, & Filius Dei generatione à Patre procedens, & sit etiam verus Homo, & Filius Hominis, quia in tempore humanam Carnem sumsit ex Homine; de Christo, ejusque origine, ut Filio Dei hic non loquor; sed de origine, quam traxit ex Homine factus Homo,

& Filius Hominis; an eam traxerit ex Adam, & an ſicuti ceteri homines. Eam enim traxiſſe ex Virgine Matre ſuppono: *Alioquin* (ut ait Beda lib.4. cap.49. in Lucam cap.11.) *nec verè Filius Hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.*

II. Dico. Filius Dei humanam aſſumſit naturam ex Stirpe Adæ, ſeu Caro Chriſti fuit ſumta ex Adam quantùm ad materiam, non quantùm ad ſeminalem propagationem. Utrumque docet S. Thom.3.p. q.4. art.6. & q.31. art.1., pariter in 3. diſt.2. q.1. art.2. qu.2. & probat primò pro prima parte. Tum quia Lucas cap.3. v.38. generationem Chriſti reducit uſque ad Adam: *Qui fuit Adam.* Tum quia Paulus ad Hebr.2. v.16. ait: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*: Semen autem Abrahæ ſumtum eſt ex Adam: ergo Corpus Chriſti fuit formatum de materia ex Adamo ſumta. Hinc S. Auguſtinus (à S. Thoma dicta qu.4. art.6. relatus) lib.13. de Trinit. cap.18. *Poterat enim* (inquit) *utique Deus hominem aliunde ſuſcipere, in quo eſſet mediator Dei & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato ſuo genus obligavit humanum, ſicut ipſum, quem primum creavit, non de genere creavit alicujus. Poterat ergo vel ſic, vel alio quo vellet modo creare unum alium, de quo vinceretur victor prioris: ſed melius judicavit, & de ipſo, quod victum fuerat, genere aſſumere hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum, & tamen ex Virgine, cujus conceptum Spiritus non Caro, Fides non libido prævenit.*

III. Tres autem rationes affert S. Thom. dicta qu.4. art.6. Primò, quia *hoc videtur ad juſtitiam pertinere, ut ille ſatisfaciat, qui peccavit: & ideo de natura per peccatum corrupta debuit aſſumi id, per quod ſatisfactio erat implenda pro tota natura. Secundò, quia hoc etiam pertinet ad majorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor Diaboli naſcitur, quod per Diabolum fuerat victum. Tertiò, quia per hoc etiam Dei potentia magis oſtenditur; dum de natura corrupta & infirma aſſumſit id, quod in tantam virtutem & dignitatem eſt promotum.* Quartam addit 3.p. q.31. art.1. nimirùm *Quod Chriſtus humanam naturam aſſumſit, ut eam à corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat natura humana, niſi ſecundùm quod infecta erat per originem vitiatam, qua ex Adam deſcendebat. Et ideo convenienter fuit, ut carnem ſumeret ex materia ab Adam derivata, ut ipſa natura per aſſumtionem curaretur.*

IV. Pro ſecunda verò parte ſtat S. Auguſtinus lib.4. Operis imperfecti contra Julianum cap.104., ubi poſtquam dixit, omnes decimatos fuiſſe in Lumbis Abrahæ, ſubjungit: *Unde ab hac decimatione Filiorum Abrahæ, qui erant in Lumbis ejus, quando*

Mel-

Melchisedech Sacerdoti decimas dedit, ille solus Sacerdos exceptus est, cui dictum est „ Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech „ *Qui licèt sit etiam ipse secundùm Carnem Semen Abrahæ, eò quòd Virgo Maria, de qua Carnem sumsit, ex ipso Semine propagata est: non tamen est obnoxius eidem Semini, qui virili non est conceptus ex Semine, liber à nexu seminatricis concupiscentiæ. Corpus ergo Christi* (inquit S. Thom. 3.p. q.31. art.1. ad 3.) *fuit in Adam secundùm corpulentam subsistantiam, quia scilicet ipsa materia Corporis Christi derivata est ab Adam. Non autem fuit ibi secundùm seminalem rationem, quia non est conceptum ex virili Semine: & ideo non contraxit originale peccatum, sicut ceteri, qui ab Adam per viam virilis seminis derivantur.* Uno verbo, ut supra ex S. Augustino dictum est, Corpus Christi fuit *ex Virgine, cujus conceptum Spiritus non Caro, Fides non libido præcedit.*

V. Dices primò contra primam partem, 1.Cor.15.v.47. Paulus dicit: *Primus homo de Terra terrenus: secundus homo de Cœlo cœlestis*: Primus autem homo est Adam, secundus est Christus; ergo Christus non ex Adam, sed è Cœlo trahit originem.

Huic Textui, ex quo errorem suum deducebat Valentinus, volens, Christum Corpus attulisse de Cœlo, nec quicquam de Maria sumsisse, sed solùm transisse per eam, velut aquam per canalem, explicationem dedi tom.1. in 3.part. qu.4. de Natura assumta dub.2. §. 1. num.6. Modò addo cum S. Thom. 3.p. q.31. art.1. ad 1. *Quòd secundus homo, idest Christus, dicitur esse de Cœlo, non quidem quantùm ad materiam Corporis, sed vel quantùm ad virtutem formativam Corporis ejus* (quatenus cœlesti virtute operâ Spiritus Sancti fuit ex Maria formatum) *vel etiam quantùm ad ipsam ejus Divinitatem. Secundùm autem materiam Corpus Christi fuit terrenum sicut & corpus Adæ.*

VI. Dices secundò: Conceptio Christi debuit esse maximè miraculosa: magis autem miraculosa fuisset, si Corpus ejus fuisset formatum ex limo terræ, vel ex alia materia, quàm ex materia humana, quæ ex Adam trahitur; ergo &c.

Respondeo, in Mysteriis & Articulis Fidei non attendi, quid sit majus Miraculum; sed quid sit Divinæ Sapientiæ convenientius, & magis expediens humanæ saluti: fuisse autem magis conveniens Divinæ Sapientiæ, & expediens humanæ saluti, quòd Corpus sumeret ex Adam, supra ostensum est. Dici autem potest, quòd in Mysterio Incarnationis magis, quàm ex materia conceptûs, attenditur miraculum ex modo Conceptionis, & Partûs, quia scilicet Virgo concepit, & peperit Deum. Ita

Sanctus Thom. citato loco ad secundum: & hoc est, quod ut mirabile proponit Gabriel Lucæ 1. v.35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

§. II.

An Christus fuerit ex Stirpe David.

VII. EX hujus resolutione quæstionis Veritas Religionis Christianæ maximè pendet, nimirùm quòd Christus sit Messias in Lege promissus. Hunc enim de Tribu Juda, & ex Semine David Scripturæ omnes futurum esse prænuntiant; & proinde etiam ex Semine Abrahæ. Futurum enim ex Semine Abrahæ constat ex Gen.12. v.3., ubi cum Dominus Abrahæ præcepisset, ut egrederetur de Terra sua, in præmium obedientiæ promisit ei, Messiam ex Semine suo nasciturum: *In te benedicentur universæ cognationes terræ*; & cap.22. ubi in remunerationem promtitudinis, qua, Deo sic jubente, Isaac filium suum sacrificare paratus fuit, ei dixit v.18. *Benedicentur in Semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Futurum etiam Messiam ex Semine David, prædixit Isaias cap.11. v.1. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini* &c.: & 2.10. *In die illa radix Jesse; qui stat in signum Populorum, ipsum Gentes deprecabuntur* &c. Unde Deus ipse de Davide loquens Psal.88. v.90. *Ponam*, inquit, *in seculum seculi Semen ejus, & Thronum ejus sicut dies Cœli*, & Psal.131. v.10. *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu Ventris tui ponam super Sedem tuam.* Quæ omnia de Messia ex Abraham, & Davide Jesse Filio prodituro dicta esse, nemo nescit.

VIII. Nunc, ea in Christo Jesu adamussim impleta fuisse contra Christiani nominis hostes, serio ostendendum est. Et primò quidem id evincit uterque Evangelista Matthæus cap.1. & Lucas cap.3., qui Christi Jesu genealogiam texentes, eam ducunt ab Abraham per Davidem, ut infra ostendam. Secundò, promissionem factam Abrahæ in Jesu impletam, demonstrat Paulus ad Galat.3., ubi inter alia v.16. dicit: *Abrahæ dictæ sunt repromissiones, & Semini ejus; non dicit: & Seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: & Semini tuo, qui est Christus*: & v.29. *Si autem vos Christi, ergo Semen Abrahæ estis, secundùm promissionem hæ-*

re-

redes. Quod Isaias de radice Jesse supra dixerat, hoc idem Paulus Jesu Christo applicat dicens Rom.15. v.12. *Et rursus Isaias ait: erit Radix Jesse; & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt*. Regnum æternum Davidis Semini promissum, datum fuisse Christo Jesu, asserit Angelus Gabriel Lucæ 1. v.31. & 32. dicens: *Ecce concipies in Utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus Sedem David patris ejus: & regnabit in Domo Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis*: & Paulus Rom.1. v.3. de Jesu Christo Filio Dei: *Qui factus est ei*, inquit, *ex Semine David secundùm Carnem*. Uno verbo, Jesus in sacris Libris Filius David sæpissimè appellatur.

IX. Speciali autem ratione, inquit S.Thom. 3.p. q.31. a.2., Christus Filius dicitur esse Abrahæ, & David: *Cujus multiplex est ratio. Prima quidem, quia ad hos specialiter de Christo promissio facta est. Dictum est enim Abrahæ Gen.22.*„ Benedicentur in Semine tuo omnes Gentes Terræ „ *quod Apostolus de Christo exponit* (Galat.3.)... *Ad David autem dictum est Psalm.* 131.„ de Fructu Ventris tui ponam super Sedem tuam,„*Unde & Populi Judæorum ut Regem honorificè suscipientes dicebant Matth.*21.„ Hosanna Filio David „ *Secunda ratio est, quòd Christus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos. Abraham autem Sacerdos fuit, ut patet ex hoc quòd Dominus dixit ad eum Gen.*15.„ Sume tibi vaccam triennem &c.„ *Fuit etiam Propheta, secundùm illud, quod dicitur Gen.*20.„ Propheta est, & orabit pro te„ *David autem Rex fuit, & Propheta. Tertia ratio est, quia in Abraham primò cœpit circumcisio: in David autem maximè manifestata est Dei electio, secundùm illud, quod dicitur 1. Reg.*13.„ Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum„ *Et ideo utriusque Filius Christus specialissimè dicitur, ut ostendatur, esse in salutem, & circumcisioni, & electioni Gentilium*. Ita S. Thomas.

X. Hinc S. Matthæus c. 1. Evangelium suum exorditur sic: *Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraham*. Quòd si Christus reverâ non fuisset ex stirpe Abrahæ, & David Regis, putas ne, Hebræi, in quorum gratiam suum conscripsit Evangelium, siluissent? Hebræi namque accuratissimi erant in scribendis, & asservandis genealogiis, eorum maximè, qui vel ex Tribu Juda, & David, ex qua proditurum noverant Messiam; & Tribu Levi, ne Sacerdotium quisquam ab ea Tribu alienus temerario ausu invaderet. Quare Josephus L. 1. contra Appionem pag. 1036. Judæos tanquam præ ceteris Nationibus in hoc accuratos impensè laudat. Hoc adeò persuasum erat Judæis,

etiam

etiam doctioribus, nempè Christum ex stirpe David proditurum; ut Jesu eos de hoc interroganti Pharisæi ipsi confessi sint Matt. 22. vers. 42., ubi quæreus, *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* responsum hoc accepit, *dicunt ei David*. Cùmque hoc idem de Jesu prædicarent turbæ, asseverarent in actibus Apostoli, nemine aut ipsis aut Matthæo contradicente, quamvis Judæi, aliique Christi hostes, omnem moverent lapidem, ut eorum dictis calumniarentur; planum fit, eos pro comperto habuisse, Jesum ex progenie Abrahæ, & David satum fuisse.

§. III.

Ostenditur fuisse ex progenie Abrahæ & David etiam secundùm Mariam Matrem.

XI. QUia ex Christianæ Religionis hostibus non defuerunt, qui, ut Jesu prærogativam Messiæ eriperent, negarunt, eum revera ex stirpe David esse progenitum, sed hoc processisse dixerunt ex falsa existimatione eorum, qui putarunt, Jesum esse filium Joseph; & ex semine ejus, qui revera erat ex Familia David, fuisse conceptum & natum. Verùm cum Joseph fuerit solùm putativus Pater, non verus, nec ex ejus semine Christus conceptus fuerit, sed opera Spiritus Sancti ex Maria Virgine formatus secundùm Carnem, ex Evangelicis Genealogiis ex genere Joseph unicè contextis nihil prorsus de genere Christi concluditur, quod potiùs petendum fuerat ex Virgine Matre, ex qua verè carnem sumsit: Hanc autem fuisse de Tribu Juda, & Familia David non apparet, imo potiùs fuisse conjicitur de Tribu Levi, & stirpe Aaronica ex Lucæ 1., ubi Gabriel pronuntiat Mariam cognatam Elisabeth, quæ ex Tribu Levi ac stirpe Aaronica sata erat. Ita antiqui Christi inimici, ac præ ceteris Faustus Manichæus, & Julianus Apostata apud S. Cyrillum L. 8. contra Julian.

XII. Hanc objectionem ut ex Fausto depromtam proponit S. Th. 3. par. qu. 31. a. 2. ad 1. dicens, *Hæc objectio fuit Fausti Manichæi, volentis probare, Christum non esse filium David, quia non est conceptus ex Joseph, usque ad quem seriem generationis Matthæus perducit*. Cui respondet ex Augustino L. 23. contra Faustum c. 8. *Quòd cum idem Evangelista dicat, & virum Mariæ esse Joseph, & Christi Matrem Virginem esse, & Christum esse ex semine David; quid restat, nisi credere, Mariam non fuisse extraneam à cognatione David, & eam Joseph conjugem non frustra appel-*

pellatam propter animorum confœderationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus, & quòd potiùs propter dignitatem virilem Ordo generationum usque ad Joseph perducitur? Hæc S. Thom. ex Sancto Augustino; qui c.8. ibidem subjungit: *Nos ergo credimus, etiam Mariam fuisse in cognatione David, quia Scripturis eis credimus, quæ utrumque dicunt: & Christum ex semine David secundùm carnem, & ejus Matrem Mariam, non cum viro concumbendo, sed Virginem.* Certè si Christus fuit ex semine David secundùm carnem, cum secundùm carnem non sit nisi ex Maria, necesse est, quòd Maria fuerit ex semine David. Unde S. Augustinus concludit. *Quisquis itaque dicit, Mariam ad consanguinitatem David non pertinuisse, manifestum est, quòd istarum Scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur: ipse ergo convincat, non eam pertinuisse ad semen David, & hoc ostendat, non ex quibuscumque litteris, sed Ecclesiasticis, Canonicis, Catholicis.* Quod propterea Augustinus dicit, quia Faustus ex quibusdam Apocryphis contendebat, Mariam fuisse filiam cujusdam Joachim Sacerdotis, & proinde de Tribu Levi, de quo infra dicam. In qua veritate se constantem fuisse, prodit S. Augustinus L. 2. de consensu Evangelist. c.2. his verbis: *Cum evidenter dicat Apostolus, ex semine David secundùm carnem Christum: ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus.*

XIII. Aliam, & quidem validam rationem, quòd etiam Maria fuerit de stirpe David, exhibet S. Lucas c.2. a vers. 1. his verbis: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.... Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam Civitatem. Ascendit autem & Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo & Familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* In hujus ergo Edicti obedientiam debebant singuli pergere in Civitatem suæ originis, ut ibi describerentur. Cùm autem Joseph esset de Domo & Familia David, ascendit in Bethlehem, quæ erat Civitas David, ut ibi cum Maria uxore prægnante describeretur; ergo & Maria erat de eadem Domo ac Familia; alioquin si ex alia Tribu duxisset originem, in alia Civitate alterius Tribus ipsa describenda fuisset. Neque enim fingi potest, Mariam fuisse descriptam in alia Civitate: venisse autem Bethlehem, non ut ibi describeretur & ipsa, sed ut Virum suum comitaretur. Nam in primis incredibile est, Josephum uxorem prægnantem, & partui proximam voluisse longi itineris incommodo inutiliter exponere, nisi & ipsa secum

ibi

ibi fuiſſet deſcribenda. Deinde verba illa: *ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*: apertè indicant, Joſeph non duxiſſe Mariam in Bethlehem præcisè ut comitem, ſed ut & ipſa ſecum ibi deſcriberetur.

Hinc S. Hieronymus à S. Thom. citato loco ad primum relatus in Caput 1. Matth. ad illa Verba „ *Chriſti autem generatio ſic erat* „ ſic ait: *Quum Joſeph non ſit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis Ordo deductus uſque ad Joſeph? Cui reſpondebimus primùm, non eſſe conſuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex una Tribu fuiſſe Joſeph & Mariam: unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam, & quòd ſimul cenſentur in Bethlehem, ut de una videlicet ſtirpe generati.*

XIV. Ex hac Lege, quòd quiſque teneretur ducere uxorem ex ſua Tribu, Mariam & Joſeph ejuſdem Tribus Judæ fuiſſe, probat S. Cyrillus L.8. contra Julian. Cùm enim Apoſtata ille objiceret, Chriſtum non eſſe ex Juda. *Nam quomodo ille, ſecundùm vos, non ex Joſeph, ſed Spiritu Sancto natus ſit?* Reſpondet Cyrillus: *Quod igitur ſanctiſſimum illud ejus corpus non ex Joſeph natum, ſed per Spiritum Sanctum fabricatum ſit, quivis opinor ſanæ mentis fatebitur: Sed hoc quoque modo erat cùm ex Tribu Juda, tùm ex Sanguine David nativitatem quidem habens ſecundùm carnem ex Sancta Virgine, patrem verò Joſeph adſcititium. Ambo autem erant de Tribu Juda, ex qua Jeſſe & David. At enim forſan inquit, non potes demonſtrare, Virginem ipſam peperiſſe ex Sanguine David, aut ſaltem ex Tribu Juda. Audies enim verò quid in eam rem Sacræ Litteræ prodiderint. Cavebant Iſraelitæ, ne quam quis vellet, ad conjugii contubernium ex quaque Tribu aſſumeret: iique etiam inviti uxores è ſua Tribu ducere cogebantur: atque id Divinâ Lege firmatum erat.* Ac deinde recenſitis verbis Legis num.36. converſus ad Julianum: *An tibi*, inquit, *videtur, vel per iſtam Legem comprobaſſe demum, ex una Tribu ambos fuiſſe Joſeph & Virginem, Juda inquam & David?*

XV. Ex hac tamen Lege, dicunt aliqui, non ſatis certò concludi, B. Virginem, & proinde Chriſtum ex ea natum, fuiſſe de Tribu Juda, & de ſtirpe David. Primò, quia, ut docet S. Thomas 1.2. qu.105. ar.2. ad ſecundum, illa lex lata erat de Mulieribus, quæ defectu Maſculorum ſuccedere debebant in Bonis, & hæreditate paterna, ne ſortes Tribuum confunderentur. Ceterùm mulieres, quæ in hæreditate non ſuccedebant, vel ſi ſuccederent, hæreditati renunciaſſent, poterant cuique etiam ex aliis Tribubus nubere. Hinc in L. Judic. c.21. legimus, ceteras

Tri-

Tribus, quo minus filias suas nuptui darent filiis Beniamin, juramento super hoc præstito potiùs obstrictas fuisse, quàm Lege. Imo ut habetur 1.Reg.18., David etsi de Tribu Juda accepit in uxorem Michol filiam Saul, quæ erat de Tribu Beniamin.

Secundò Tribus Levi non videtur comprehensa in præfata Lege: hæc enim non habebat hæreditatem seu sortem in Israel, ideoque Virgines ex illa Tribu poterant viro ex quacumque Tribu conjungi, & viri de Tribu Levi poterant cujuscumque Tribus Virgines sibi assumere; sic Exodi 6. v.23. Aaron de Tribu Levi duxit in uxorem Elisabeth filiam Aminadab de Tribu Juda, & 2. Paralip. 22. Jojadas de Tribu Levi uxorem duxit Josabeth filiam Joram de Tribu Juda. Non ergo, ex quo Maria Virgo desponsata fuit Joseph de Tribu Juda & Stirpe David, sequitur, eam fuisse ex eadem Tribu & Stirpe; potuit enim esse de alia Tribu, & præcipuè de Tribu Levi, cùm, ut supra dictum est, habuerit Elisabeth sibi cognatam, quæ erat de Tribu Levi, & uxor Zachariæ Sacerdotis.

XVI. Hæc tamen non obstant. Non primum; nam Lex illa non adeò strictè intelligenda est, ut in Populo Judaico nemo posset nisi intra Tribum suam inire conjugium, cum oppositum factum fuisse à viris cetoroquin justis, demonstrent exempla ibi allata; Sed ut Virgo ex Asse hæres, nec fratres nec sorores habens, viro non solùm ex Tribu, sed ex Cognatione sua, nubere teneretur, & hoc ne hæreditas ad aliam Tribum & Familiam transiret. Hoc apertè legitur in Lege citata Num.36. v.7. *Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & Cognatione sua*; & vers. 8. *Et cunctæ feminæ de eadem Tribu maritos accipient: ut hæreditas permaneat in familiis.* Quod clariùs in sua ex Hebraico Versione expressit S.Hieronymus, *Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & Cognatione sua, & cunctæ feminæ maritos de eadem Tribu accipient: ut hæreditas permaneat in familiis*; unde subdit: *Feceruntque filiæ Salphaad ut fuerat imperatum: & nupserunt Maala, & Thersa, & Egla, & Melcha, & Noha filiis patrui sui de familia Manasse, qui fuit filius Joseph: & possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in Tribu, & Familia patris earum.* Cum ergo Maria unica Joachim & Annæ filia aliquam secum traheret hæreditatem (quidquid effutiat Lutherus *in Comm. super Magnificat.*, eam adeò egenam & vilem describens, ut nec filiæ Annæ & Caiphæ Pontificum eam habere Ancillam dignatæ sint) propterea Matthæus hujus Legis conscius, texendo genealogiam Christi per Joseph, dum eum nominat Virum Mariæ, de qua natus natus est Jesus, satis insinuat, Joseph jure propinquitatis fuisse

Sponſum Virginis, adeoque Cognatum, & ex Familia Davidis; Quo autem Cognationis gradu juncti fuerint Maria & Joſeph, variant Interpretes. Cùm enim hìc fileat Scriptura, nihil certi aſſeri poteſt. Hoc ſolùm tenendum puto, quòd, cum Matthæus texuerit genealogiam Chriſti, volens oſtendere, eum eſſe ex Semine David; nec Chriſtus fuerit ex Semine David per Joſeph ſed per Mariam; ſatis indicavit, utrumque eſſe de eadem Familia, & in proximo Cognationis gradu, intra quem permiſſæ forent nuptiæ: & fortè quòd Mathan avus Joſeph, fuerit etiam avus B. Virginis, & conſequenter quòd Maria & Joſeph fuerint ejuſdem Nepos & Neptis, hoc eſt invicem Conſobrini. Sed de hoc nihil certum.

XVII. Ad ſecundum, quod majorem ingerit difficultatem, jam ſupra dictum eſt ex S. Auguſtino contra Fauſtum hoc objicientem, & ex S. Thoma. Nam etſi ex Lege Filiæ Levi, utpotè non ſecum trahentes hæreditatem, nubere poſſent cujuſcumque Tribus viro; quia tamen Sacra Scriptura paſsim docet, Chriſtum natum ex Maria Virgine fuiſſe natum ex Semine David, dicendum eſt, Mariam, ex qua ſola ſecundùm Carnem natus eſt, fuiſſe ex Semine David. Neque obeſt, quòd Maria dicatur Cognata Eliſabeth ex filiabus Aaron, & conſequenter de Tribu Levi. Nam primò dicit S. Ambroſius lib. 3. in Lucam prope initium: *Cognatæ quoque Mariæ inducitur Eliſabeth, primò, quòd omnes Judæi cognati, quemadmodum & Apoſtolus docuit dicens*,, Optabam anathema eſſe ipſe pro fratribus meis, cognatis ſecundum Carnem, qui ſunt Iſraelitæ,, (Roman. 9. v. 3.) deinde: *Cognatæ ergo, quia ambæ Iſraelitæ erant, ſimul & Cognatæ, quia ambæ erant ex Tribu Juda. Didiciſti ex Tribu Juda Mariam, diſce & Eliſabeth. Nam exurgens Maria in diebus illis, abiit in Montana cum feſtinatione in Civitatem, inquit, Juda, & intravit in Domum Zachariæ.* Cenſet ergo S. Ambroſius, Eliſabeth quamvis nuptam Zachariæ Sacerdoti, fuiſſe de Tribu Juda; cum in Civitate Tribûs Judæ manſerit. Materno quidem genere ex Tribu Juda, & Familia David, quamvis ex parte patris eſſet de filiabus Aaron: *Unde* (inquit Janſenius Yprenſis in cap. 1. Lucæ) *quidam Mariam & Eliſabeth filias fuiſſe putant duarum ſororum ex Tribu Juda, quarum una nupſerit in Tribu Levi*: *Anna verò Mater Virginis in Tribu Juda. Feminis enim licebat extra Tribum ſuam nubere, quando non erant hæredes.*

XVIII. Aliter reſpondet S. Thom. 3. p. q. 31. art. 1. ad 2. ex S. Gregor. Nazianz. Carmine 38. de Genealog. Chriſti, & S. Auguſtin. lib. 1. de Conſenſu Evangeliſt. cap. 2., & lib. 2. cap. 2. *Quòd*

hoc

hoc nutu superno contigit, ut regium genus Sacerdotali Stirpi jungeretur, ut Christus, qui Rex est & Sacerdos, ab utrisque nasceretur secundùm Carnem. Unde & Aaron, qui fuit primus Sacerdos secundùm Legem, duxit ex Tribu Juda conjugem Elisabeth filiam Aminadab. Sic ergo potuit fieri, ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de Stirpe David, ratione cujus B. Virgo Maria, quæ fuit de Stirpe David, esset Elisabeth cognata. Vel potiùs è converso, quod pater B. Mariæ de Stirpe David existens uxorem habuerit de Stirpe Aaron. Vel sicut Augustinus dicit lib. 23. contra Faustum cap. 9., si Joachim pater Mariæ de Stirpe Aaron fuit, ut Faustus hæreticus per quasdam Scripturas apocryphas asserebat, credendum est, quod mater Joachim fuerit de Stirpe David, vel etiam uxor ejus, ita ut per aliquem modum Mariam dicamus fuisse de Stirpe David.

XIX. Contra tamen has Responsiones videtur loqui S. Paulus Hebr. 7. v. 14. dicens: *Manifestum est enim, quòd ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Imo probat ibidem ex institutio, Jesum Novæ Legis Sacerdotem, & Veteris Consummatorem, ex alia Tribu quàm ex Levitica fuisse oriundum v. 11. *Si ergo Consummatio per Sacerdotium Leviticam erat... quid adhuc necesse fuit secundùm Ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum Aaron dici?* Sentit ergo Paulus, Christum sic fuisse de Tribu Juda, ut nil de Stirpe Aaron traheret, & proinde Mariam, de qua secundùm Carnem natus est, nil habuisse de Tribu Levi, & Stirpe Aaron.

XX. Respondeo, mentem D. Pauli fuisse, ostendere, Christum Jesum fuisse de Tribu Juda per lineam masculinam; quod verum est nedum ex parte Joseph, sed etiam Mariæ, quæ licèt ex materno genere cognationem aliquam haberet cum Tribu Levi, ex paterno tamen genere probabilius censendum est, fuisse ex Tribu Juda, & Familia David. Tum quia, ut supra diximus, & ipsa unâ cum Joseph in Bethlehem descripta fuit. Tum quia Lucæ 1. v. 32. dixit Gabriel: *Dabit illi Dominus Deus Sedem David patris ejus* Paulus ad Rom. 1. v. 3. *Qui factus est*, inquit, *ei ex Semine David secundùm Carnem*: & 2. ad Timoth. 2. v. 8. *Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis, ex Semine David secundùm Carnem.* Concludam igitur cum S. Augustino lib. 23. contra Faustum cap. 9. *Sufficit ergo nobis, quòd Scripturæ, quæ hoc dicunt, & quibus credimus, ab inimicis suis de nulla possunt falsitate convinci. Non mihi ergo vicissim dicat: Etsi ego non ostendam, Mariam non fuisse de Cognatione David; tu quòd inde fuerit*

oſtende. Hoc enim oſtendo clariſſimo planè atque fortiſſimo documento, quòd Scriptura confirmatiſſimæ auctoritatis, & Chriſtum dicit ex Semine David, & ejus Matrem ſine ullius concubitu Virginem Mariam. Et Chryſoſtomus Homil. 2. in Matth. *Quomodo*, inquit, *ex Davide Virgo orta fuerit? quo pacto autem ſciemus ex Davide ortam eſſe? Audi Deum Gabrieli præcipientem, ut adiret* „ Virginem deſponſatam Viro, cui nomen erat Joſeph, de Domo & familia David „ *Quid clarius poſtulas, cum audis, de Domo & Familia David Virginem fuiſſe?*

XXI. Non tamen propterea abſolutè negarim, B. Virginem & proinde Jeſum ejus Filium, aliquam cum Tribu Levi affinitatem contraxiſſe: in prædictis enim duabus Tribubus Juda & Levi ob rationes dictas utrimque conjugia permiſcebantur. Potuit ergo aliquis Majorum B. Mariæ licèt de Stirpe Davidis eſſet, nupſiſſe Virgini Leviticæ, & hoc, ut ſupra poſt Nazianzenum obſervavit S. Thomas, nutu ſuperno contigiſſe, ut Chriſtus utrumque genus Regium & Sacerdotale complecteretur ſecundùm Carnem: qui ſicut venit ut Regnum temporale in æternum transferret, Lucæ 1. v. 32. ; ita venit, ut Sacerdotium Leviticum temporaneum in æternum mutaret juxta illud Pſalm. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech*; quo teſtimonio utitur S. Paulus Hebr. 7. v. 17. In Chriſto enim abolito Veteri, Novum erat inchoandum Sacerdotium.

XXII. Cur autem Evangeliſtæ genealogiam Chriſti per Joſeph potiùs, qui verus ejus pater non fuit, quàm per Mariam veram ejus Matrem duxerint, duplex ratio fuit. Una, quia non ſolebant Hebræi genealogiam viri per feminas texere. Altera quia conſtito, quòd Joſeph eſſet de Domo, & Familia David, conſtabat etiam, de eadem Domo & Familia eſſe Mariam: Joſeph enim cum eſſet juſtus, non duxiſſet Sponſam, niſi ſecundùm Legem, & proinde niſi de Domo & Familia ſua: *Unde*, (inquit Chryſoſtomus ſupra relatus) *patet, Joſeph etiam inde ortum fuiſſe. Lex quippe erat, quæ vetaret uxores ducere niſi ex propria Tribu.* Verùm quia poſſet quis dicere, Mariam fuiſſe quidem de eadem Tribu, ſed non de eadem Familia: *Ne hoc diceres* (ſubdit Chryſoſt.) *hanc tibi ſuſpicionem tollit Evangeliſta dicens, illam fuiſſe* ex Domo & Familia David: *Quod ſi id aliunde etiam diſcere velis, non deeſt alia probatio: non modò enim non licebat ex alia Tribu uxorem ducere, ſed neque ex alia Familia, ideſt ex alia Cognatione.* Utrumque aſſerit Hieronymus in cap. 1. Matth. his verbis: *Quærat diligens Lector, & dicat: quum Joſeph non ſit pater Domini, quid pertinet ad Dominum Generationis ordo*

du-

ductus usque ad Joseph? Cui respondebimus, primùm non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus Ordo texatur. Deinde ex una Tribu fuisse Joseph & Mariam: unde ex Lege eam accipere cogebatur ut propinquam; & quòd simul censentur in Bethlehem, ut de una videlicet Stirpe generati. In hoc conveniunt Patres ceteri: Hilarius in cap. 1. Matth., Ambrosius lib. 3. in Lucam, & alii, quibus subscribit S. Thom. 3. p. q. 28. art. 1. ad 2., adducens etiam S. Augustinum lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 11. dicentem: *Fuit Generationum series usque ad Joseph perducenda, ne in illo conjugio virili sexui, utique potiori, fieret injuria, cum veritati nihil deperiret, quia ex Semine David & Joseph erat & Maria.*

XXIII. Supereresset difficultas, quòd cum Matthæus à David per Jechoniam seriem Generationis perducat, & de Jechonia dicat Jeremias cap. 22. v. 30. *Scribe Virum istum sterilem.... nec enim erit de Semine ejus vir, qui sedeat super Solium David*, videtur, quòd Christus non fuerit de Semine Jechoniæ, & proinde nec de Semine David.

Hanc tamen difficultatem, quam sibi proponit, soluit Sanctus Thom. 3. p. q. 31. a. 2. ad 3., *Quòd per illam auctoritatem Propheticam, sicut Ambrosius dicit super Lucam* cap. 3., *non negatur, ex Semine Jechoniæ posteros nascituros: & ideo de Semine ejus Christus est. Et quòd regnavit Christus, non contra Prophetiam est: non enim seculari honore regnavit: ipse enim dixit, Regnum meum non est de hoc Mundo.* Ita S. Thom. Et fere idem dicit S. Hieronymus in dictum Cap. Jeremiæ his verbis: *Respondeamus igitur, quòd in diebus Jechoniæ, non successerit ei vir, qui sederit super Thronum ejus, sed multò post tempore de Semine ejus natus sit, qui Solium ejus obtinuerit. Potest autem & sic solvi: non sedebit quidem super Thronum David vir & homo, sed sedebit Deus; Regnumque ejus non erit terrenum & breve, ut fuit David, sed perpetuum atque cœleste, dicente Scriptura* „ Regnabit super Domum Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis „.

CAPUT II.

Modus conciliandi Matthæum & Lucam in genealogia Christi ab utroque contexta.

§. I.

Apparentes Contradictiones.

I. GEMINA Christi genealogia à Matthæo & Luca contexta tot apud Veteres, ac Recentiores Interpretes excitavit difficultates ob apparentes antilogias, quas visæ sunt continere, ut in eis tollendis anxiè desudarint, & adhuc desudent. Hanc quæstionem pertractat S. Thom. 3. p. q. 31. art. 3. Observandum est ergo, quòd Matthæus & Lucas in numerandis Majoribus Christi ab Abraham usque ad David Regem invicem consentiunt; parem siquidem Generationum numerum, easdemque exhibent personas: eum isto tamen discrimine, quòd Matthæus descendendo procedat incipiens ab Abrahamo & descendens usque ad Christum; Lucas verò auspicetur à Christo, ac deinde ascendens, Generationum numerum non in Abrahamo fistat, sed perducat usque ad Deum. Verùm ubi ad David Regem pervenerunt, diversam planè in describenda Generatione Christi ineunt viam, ut & sibi invicem & Historiæ Veteris Testamenti repugnare videantur.

II. Primò enim Matthæus Christi genealogiam à Davide ducit per Salomonem cap. 1. v. 6. *David autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam.* Lucas verò cap. 3. eandem ordine retrogrado ducit ad David per Nathanem alterum Salomonis fratrem, ac Davidis filium, ait enim v. 31. *Qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David.*

Ex hoc aliqui Veteres suspicati sunt, Lucam texuisse genealogiam Christi per lineam Sacerdotalem, putantes, hunc Nathanem filium naturalem fuisse, non Davidis, sed Uriæ Sacerdotis, à Davide post initum cum Bersabea conjugium adoptatum.

III. Secundò, Matthæus à Davide ad Joseph Jesu Christi Patrem descendens omnino diversos progenitores ab iis, quos Lucas, recenset, solis exceptis Salathiele & Zorobabele, qui in utraque genealogia notantur. Sed in his quoque diversitas est; nam Salathieli patrem Jechoniam Matthæus assignat, dicens:

Je-

Jechonias genuit Salathiel: Lucas verò ei tribuit patrem *Neri* dicens, *Salathiel, qui fuit Neri*.

Deinde Matthæus *Jacob* Joſepho patrem aſſignat, ſcribens: *Jacob autem genuit Joſeph Virum Mariæ*: Lucas verò Joſepho patrem tribuit *Heli*, ſcribens: *Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat*.

IV. Tertiò, Diſſonantiæ in utraque Genealogia apparent, quæ cum Hiſtoria Veteris Teſtamenti non cohærent. Nam primò, apud Matthæum cap. 1. *Joram genuit Oziam*: at 4. Reg. 8. v. 24., & cap. 11. v. 1. Joram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amaſiam, Amaſias autem genuit Oziam. Unde tres gradus Genealogici apud Matthæum omittuntur.

V. Quartò, apud Matthæum *Joſias genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis*. Joſias autem non genuit Jechoniam, ſed Joachin, Joachin verò Jechoniam 4. Reg. 24. & 25., unde unus gradus Genealogicus videtur omiſſus. Præterea Joſias occubuit ante tranſmigrationem Babylonis 2. Paralip. 34., adeoque Jechoniam & fratres ejus generare non potuit in tranſmigratione Babylonis.

VI. Quintò, legitur apud Matthæum: *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*: Verùm Jerem. 22. v. 30. Jechoniam ſterilem legimus: *Pone*, inquit, *virum iſtum ſterilem*: deinde apud Lucam 3. Salathiel dicitur *Neri* filius: *Salathiel, qui fuit Neri*. Demum Salathiel 2. Paral. cap. 35. genitus dicitur in ipſa Tranſmigratione Babylonis: non ergo poſt Tranſmigrationem.

VII. Sextò, Matthæus inquit: *Salathiel genuit Zorobabel*: At lib. 1. Paralip. cap. 3. v. 19. Zorobabel ponitur *Phadajæ* filius, non Salathielis.

VIII. Septimò, Lucas proximos Chriſti avos ita notat: *Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*: quidam autem Patres, Nazianzenus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus interdum, omiſsis duobus mediis, legunt: *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*.

IX. Octavò, Lucas inter Patriarchas, qui poſt Diluvium vixere, ponit *Cainam* filium Arphaxad: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad*: hujus autem Cainanis Junioris medii inter Arphaxad & Sale, nulla fit mentio Gen. 10. v. 24. c. 11. v. 12. & 13., & lib. 1. Paralip. cap. 1. v. 18. Quomodo hæc concilianda ſint, inferiùs pro viribus oſtendere conabimur.

§. II.

Probabilior modus conciliandi invicem Matthæum & Lucam.

X. QUamvis præfatæ Dissonantiæ adeò intricatæ videantur, ut eas nodos, quos plenè solvere vix possibile sit, tùm Recentiores tùm Veteres judicarint: de veritate tamen eorum, quæ prælaudati Evangelistæ descripserunt, minimè est dubitandum, sed ut certa tenenda est Regula, quam tradit S. Thom. 3.p. q.31. art.3. *Quòd sicut dicitur 2. ad Timoth.3.* „ Omnis Scriptura Sacra est divinitùs inspirata„ *Quæ autem divinitùs fiunt, ordinatissimè fiunt, secundùm illud Roman.13.* „ Quæ à Deo sunt, ordinata sunt„ *Unde convenienti ordine Genealogia Christi est ab Evangelistis scripta.* Et hoc discursu Faustum Manichæum multa contra Christi Genealogiam elevantem premit S.Augustinus, maximè lib.23. cap.8. & 9. Quare si expositiones inferiùs referendæ aliquem non quietent, suam tenuitatem accuset, non veritati Evangeliorum detrahere, aut de illa audeat suspicari.

XI. Ad primas ergo tres enonandas difficultates, planior & Antiquis magis probata conciliandi Evangelistas via est, quam tradit Julius Africanus tertii seculi Auctor in Epist. ad Aristidem apud Eusebium lib.1. cap.7. Hist., nimirùm Matthæum Christi progenitores secundùm naturam recensuisse, Lucam verò secundùm Legem, quâ, fratre sine liberis defuncto, frater, vel propinquus superstes viduam relictam uxorem ducere tenebatur. Habetur hæc Lex in Deuteronomio cap.25. v.5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Secundùm ergo hanc Legem (quæ Leviratus dicta est, quia *Levir* mariti fratrem sonat) primogenitus, qui ex secundo illo Matrimonio procreabatur, secundùm naturam quidem filius secundi mariti erat, quia ab ipso naturaliter genitus; secundùm Legem tamen prioris mariti filius censebatur: unde primo nasci dicebatur, non secundo, quia ad suscitandum semen & nomen primi nascebatur. Nec de solis fratribus strictiori jure acceptis, eodem scilicet patre ac matre natis, lata erat illa Lex, sed & de fratribus uterinis, imo & cognatis, & propinquis. Hoc apparet ex Ruth. cap.4., ubi Booz viduam Chelionis Ruth accepit uxorem, ad ejus semen suscitandum, quamvis non esset Chelionis frater, imo nec propin-

pinquior. Quia verò progenitores secundùm naturam diversi erant à progenitoribus secundùm Legem, idcircò Matthæus, qui ordinem naturalis Generationis secutus fuit, diversos progenitores Joseph recensuit ab iis, quos recenset Lucas, qui ordinem Generationis secundùm Legem fictitium sibi proposuit. Porrò Matthæum tenuisse ordinem Generationis naturalis, Lucam verò legalis, uterque indicat ex modo loquendi. Nam Matthæus utitur semper verbo *Genuit Abraham genuit Isaac* &c. *Jacob autem genuit Joseph* &c. Lucas autem nunquam adhibet verbum *Genuit*, sed semper verbum *Qui fuit*: poterat autem vi Legis aliquis esse alicujus, seu reputari filius, quamvis non ab ipso genitus, sed nomine ipsius, ut dictum est.

XII. Non tædeat Julium Africanum audire apud Eusebium lib. 1. Hist. cap. 7. Epist. ad Aristidem sic loquentem: *Quoniam apud Israelitas Generationum nomina, vel ex naturæ vel ex Legis ordine numerabantur; Naturæ quidem, cum legitimi filii parentibus succedunt; Legis vero, quoties quis in Nomen ac familiam fratris sine liberis defuncti filios sustulit. Cum enim certa spes resurrectionis nondum eis data esset, futuram ejus promissionem mortali quadam resurrectione delineabant, ut mortui nomen nullis unquam obliterandum seculis permaneret. Quoniam igitur eorum, qui inter Majores Christi recensentur, alii naturali jure ut filii parentibus succesſerunt; nonnulli verò, cum ab aliis procreati essent, aliis adscripti sunt; ideò utrorumque mentio facta est, tam eorum, qui verè patres, quàm illorum, qui quasi patres fuerunt: ita ut neutrum Evangeliorum falsum sit, cum alterum Naturam, alterum Legem in Majoribus enumerandis sequatur.* Hæc Julius Africanus.

XIII. Ex his solvitur prima difficultas. Matthæus enim, qui Generationem naturalem texit, facit Joseph & Christum descendere à David per Salomonem: Lucas verò, qui seriem legalem adtendit, facit Joseph & Christum ascendere ad David per Nathan alterum Davidis filium: *Nam* (pergit Africanus) *familiæ, quæ tùm à Salomone, tùm à Nathan deducuntur, adeò inter se permixtæ sunt, partim reparatione nominis eorum, qui sine prole decessissent, partim secundis nuptiis, partim etiam feminis suscitatione, ut iidem homines diversos patres habuisse meritò credantur: hos quidem fictitios; illos verò naturales. Quo fit, ut Evangelii utriusque narratio absolutè verissima, vario quidem linearum contextu, sed accuratè ad Josephum usque descendat.*

XIV. Quod autem additur, Nathanem fuisse filium naturalem Uriæ Sacerdotis, Davidis autem solùm adoptivum post initum cum Bersabee conjugium, somnium vanissimum est ali-

quorum, qui ex hoc deducere vellent, Lucam texuisse Genealogiam Christi per lineam Sacerdotalem: Somnium enim esse evincit primò Scriptura, quæ Nathan verum ac naturalem Davidis filium perinde ac Salomonem pronuntiat 2. Reg. c. 5. v. 14. *Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei* (David) *in Jerusalem, Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon.* Et 1. Paralip. cap. 3. v. 5. *Porrò in Jerusalem nati sunt ei filii Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel.* Secundò, quia Urias, qui fuit Summus Sacerdos, refertur 4. Reg. 16. trecentos ferè annos post, nempe regnante Achaz. Hujus ergo filius esse non poterat Nathan, quem dicunt adoptatum à David. Unde graviter hallucinantur inter Uriam Centurionem Militum, & Uriam Sacerdotem. Tertiò, nullum est fundamentum asserendi, Lucam duxisse Genealogiam Christi per lineam Sacerdotalem; tum quia ex dictis Christus fuit de Tribu Juda & Familia David; tum quia in serie Pontificum, quam Josephus edidit lib. 20. Antiquit. cap. 8. n. 18., nullius meminit eorum, quos S. Lucas recensèt à Nathane usque ad Josephum Virum Mariæ.

XV. Eodem modo secunda tollitur difficultas. Nam cum alii fuerint progenitores Christi secundùm Legem, alii secundùm naturam, non mirum si diversos assignet Lucas, qui seriem texit per Majores secundùm Legem ab iis, quos recensèt Matthæus, qui secundùm naturalem Generationem procedit. Unde quòd Salathieli patrem Matthæus tribuat Jechoniam, Lucas verò Neri, id factum fuisse dicendum est, quòd Neri sine liberis extincto, Jechonias cognatus ejus ac propinquus illius viduam duxerit in uxorem, ex qua Salathielem habuerit, filium utique suum secundùm naturam, Neri verò filium secundùm Legem Leviratûs. Eadem ratione Joseph à Matthæo ponitur filius Jacob, à Luca verò filius Heli, quia Heli sine liberis defuncto, relictam uxorem accepit Jacob, seu quòd essent fratres uterini ex eadem matre, sed non ex eodem patre, seu quòd essent propinqui, & ex eadem Familia: ideoque Joseph Mariæ Vir Generatione naturali fuit filius Jacob, legali verò Heli, cujus Semen suscitavit.

XVI. Audiamus prælaudatum Africanum totam rem hanc exponentem: *Cum igitur*, inquit, *velut scopus nobis propositus sit Josephus, explicandum nobis est, quomodo uterque pater illius esse dicatur, tam Jacob, qui ex Salomone, quàm Heli, qui ex Nathan originem ducit: ac præterea quomodo isti duo Jacob & Heli fratres fuerint: deinde verò qua ratione horum patres Matthan,*

than & Melchi diverſo genere prognati, avi Joſephi fuiſſe probantur. Hoc ita explicat: *Matthan & Melchi, cum eandem uxorem alter poſt alterum habuiſſent, liberos ex ea, qui uterini fratres erant, ſuſceperunt. Quippe Lex minimè vetabat, ne mulier vidua, ſeu repudiata, ſeu viro ipſius mortuo, alteri nuberet. Igitur ex Eſtha (hoc enim mulieris nomen fuiſſe accepimus) primus Matthan, qui à Salomone genus ducebat, Jacobum filium ſuſtulit; poſt Matthania autem interitum, Melchi, qui ad Nathanem originem referebat, cum ex eadem Tribu, ſed diverſa Familia editus eſſet, ut antea diximus, uxorem eam ſortitus, Heli filium ſuſcepit. Hoc modo Jacob & Heli, licèt diverſo genere prognatos, uterinos fratres reperiemus; Quorum alter, Jacob ſcilicet, cum frater ipſius Heli ſine liberis deceſſiſſet, viduam ejus conjugem ſibi accipiens, tertium ex ea Joſephum genuit naturali quidem ratione filium ſuum. Unde etiam ſcriptum eſt:* Jacob autem genuit Joſeph: *Sed ſecundùm Legem filius erat Heli; quippe cum ejus ſemen Jacobus frater ſuſcitaviſſet. Proinde nec generis per eum deducta ſeries vana ac futilis deprehenditur, quam Matthæus quidem recenſens,* „Jacob, *inquit*, genuit Joſeph„, *Lucas verò è contrario à filiis ad parentes aſcendens,* „Jeſus, *inquit*, *qui erat*, ut putabatur (*hoc enim diſertè addit*) filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi„ (ſeu veriùs Mathat) *Neque enim poterat diſertiùs exprimi ficticia illa generandi ratio, quæ ex Lege profecta eſt. Ideo in hujuſmodi liberorum Generatione verbum illud* genuit *ad finem uſque reticuit, cum ad ipſum uſque Adamum, qui fuit Dei, gradatim aſcendendo totius generis ſeriem perduxiſſet.* Hucuſque Africanus. Ne autem quis putaret, hæc ex mente ſua unicè protuliſſe, addit: *Neque verò id certa ratione deſtitutum, aut temerè conflictum eſt. Cognati enim Servatoris noſtri, ſive ad oſtendendam generis ſui nobilitatem, ſive ut ſimpliciter rem docerent, veraci utique ſermone hæc nobis tradiderunt.* Concrematis enim ab Herode, ut ſui generis ignobilitatem tegeret, publicis Tabulariis, in queis familiarum Iſraelitarum ſeries deſcriptæ erant, apud paucos privatos ſtirpis ſuæ Commentarii remanſerant: & ab his, qui propinqui erant Chriſto, ſe hæc hauſiſſe dicit Africanus, quorum aliqui ſero etiam tempore poterant ſupereſſe, cum vix ducentis annis poſt Chriſtum floruerit Africanus.

XVII. Propter hæc ejus explicationem ut probabiliorem eligo. Tum etiam quia ei ſubſcribunt Euſebius lib. 1. Hiſt. c. 7., S. Hieronymus in c. 1. Matth., Nazianzenus in Carmine 38. de Chriſti Genealogia, S. Ambroſius lib. 3. in Lucam, S. Auguſtinus; qui eſto priùs dubitanter fuiſſet locutus, tandem tamen cum hæc ex Africano legiſſet, eis ſubſcripſit lib. 2. Retract. cap. 7. di-

cens: *Lex autem filios etiam mortuis adoptabat, jubens ut fratris sine filiis mortui duceret frater uxorem, & fratri defuncto Semen ex eadem suscitaret: quæ profectò de duobus uuius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio. Uterini autem fratres fuerunt, in quibus hoc contigit, ut unius defuncti, qui vocabatur Heli, duceret alter uxorem, ideſt Jacob, à quo Matthæus narrat, genitum esse Joseph; sed uterino fratri suo eum genuit, cujus filium Lucas dicit fuisse Joseph, non utique genitum, sed ex Lege adoptivum. Hoc in eorum litteris inventum est, qui recenti memoria post Ascensionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen ejusdem mulieris, quæ peperit Jacob patrem Joseph de priore marito Mathan, qui fuit pater Jacob, avus Joseph secundùm Matthæum; & de marito posteriore Melchi peperit Heli, cujus erat adoptivus Joseph, non tacuit Africanus. Quod quidem cum Fausto respondero, nondum legeram.* Hoc repetit ibidem cap. 12. Hoc idem sentiunt Theophylactus & Euthymius in c. 3. Lucæ, Nicephorus lib. 1. Hist. Eccl. c. 11., & tandem S. Thom. 3. p. q. 31. art. 3. ad 2. videndus, ubi cum Africano dicit eandem originem, quam Joseph, habuisse etiam Mariam: *Et quamvis Damascenus dicat* (lib. 4. Orth. fid. c. 25.) *quòd B. Virgo Maria Joseph attinebat secundùm illam originem, qua pater ejus dicitur Heli, quia dicit, eam ex Melchi descendisse: tamen credendum est, quòd etiam ex Salomone originem traxerit, secundùm aliquem modum per illos Patres, quos enumerat Matthæus, qui carnalem Christi Generationem dicitur enarrare: præsertim cum Ambrosius dicat* (super illud Lucæ 3., qui fuit Salathiel) *Christum de semine Jechoniæ descendisse.*

XVIII. Obstare tamen videtur primò, quòd dicta Deuteronomii Lex de fratribus simul habitantibus lata sit: Jacob autem & Heli, etsi fratres uterini essent, simul tamen non habitabant, quia ex diverso patre nati. Secundò, ex Lege Leviratûs primogenitus ex secundo Matrimonio natus, prioris mariti seu patris legalis nomine vocandus erat; Jacob autem natum ex illo filium non vocavit *Heli*, sed *Joseph*. Tertiò, Lex præcitata non comprehendebat fratres uterinos, quales fuisse supponuntur Jacob & Levi.

XIX. Sed hæc levia sunt. Ad primum enim dico, quòd cum Lex illa dicit: *Quando habitaverint fratres simul*, ly *simul* non est, saltem necessariò, intelligendum pro simultate habitationis seu domûs, sed Urbis, vel etiam Regionis. Licèt enim Lex primò tantùm valuerit pro fratribus, qui apud patrem simul habitabant, ut de filiis Juda dicitur Genes. 38., vel etiam in eadem Urbe; nam qui prior uxorem duxerat hæreditatem cum aliis fratribus

bus jam diviſerat, & in alia domo ſeparatus habitaſſe credendus eſt; uſus tamen tractu temporis Legem illam extendit etiam ad neceſsarios, vel propinquos, dummodò in Judæa habitarent, & communi fruerentur hæreditate, ut patet exemplo Ruth.

Ad ſecundum dico, falſum eſſe, quòd natus ſecundo Matrimonio filius prioris mariti nomine deberet appellari: cujus oppoſitum apparet in Ruth, cujus in ſecundo Matrimonio filius non eſt vocatus nomine prioris mariti *Chelion*, ſed *Obed*. Undè S. Auguſtinus licèt olim ſenſerit oppoſitum, Libro tamen 2. Retract. cap. 12. ſeſe correxit dicens: *Nomen defuncti, quod dictum eſt, ad hoc Lex valere præcepit, ut ejus filius diceretur, non ut hoc quod ille vocaretur*. Nomen ergo prioris defuncti gerebat, quia filius ejus vocabatur, ejus familiam repræſentabat, & hæreditatem obtinebat.

Ad tertium dico, Legem complecti non ſolos fratres germanos, ſed & uterinos, imo & propinquos, maximè quando alioquin hæreditas ad aliam familiam tranſiſset, ut in caſu eveniſset. Nam cum Heli fuerit ultimus eorum, qui ex David per Nathanem deſcendebat, eo mortuo abſque liberis, linea illa extincta erat, unde illius hæreditas devolvi ſecundùm Legem debebat ad Jacob fratrem ejus uterinum, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat, ad quam capeſcendam adactus fuit cum vidua Heli inire Matrimonium.

§. III.

Alii modi conciliandi inter ſe Evangeliſtas.

XX. QUamvis ut probabiliorem elegerim ad talem Conciliationem modum, quem ex Julio Africano §. præcedente expendi; ad uberiorem tamen Lectoris eruditionem placet alias ab aliis excogitatas ad eundem finem vias recenſere.

Mitto quorumdam opinionem, qui affirmarunt, eoſdem eſſe, quos uterque Evangeliſta enumerat, ſed ſub diverſis nominibus, quaſi binomines. Hæc enim ſententia ſtare non poteſt, inquit S. Thom. 3. p. q. 31. art. 3. ad 2. *Quia Matthæus ponit unum filiorum David, ſcilicet Salomonem: Lucas autem ponit alium, ſcilicet Nathan, quos ſecundùm Hiſtoriam Libri Regum conſtat fratres fuiſſe*. Porrò cum Lucas alios Heli parentes aſſignet, alios avos, proavos, atavos & tritavos ab iis, quos recenſet Matthæus; quis credat, omnes iſtos fuiſſe binomines, ac de indu-

duſtria voluiſſe Lucam ſemper eos iſto vocare nomine, quo viderit abſtinuiſſe Matthæum?

Mitto etiam aliorum placita, quæ refert S. Thomas citato loco. Quorum aliqui *dixerunt, quòd Matthæus veram Genealogiam Chriſti tradidit, Lucas autem putativam. Unde incœpit*,, ut putabatur, Filius Joſeph ,, *Erant enim aliqui ex Judæis, qui propter peccata Regum Juda credebant, Chriſtum ex David, non per Reges, ſed per aliam ejus Stirpem hominum privatorum eſſe naſciturum*. Alii dixerunt, *quòd Matthæus poſuit patres carnales, Lucas verò poſuit patres ſpirituales, ſcilicèt juſtos viros, qui dicantur patres propter ſimilitudinem honeſtatis. Vel quòd non eſt intelligendum, quòd Joſeph à Luca dicatur filius Heli, ſed quod Heli & Joſeph fuerunt patres Chriſti diverſimodè à David deſcendentes. Unde de Chriſto dicitur, quòd putabatur Filius Joſeph, & quòd ipſe etiam Chriſtus fuit Heli Filius: quaſi diceret, quòd Chriſtus ea ratione, qua dicitur Filius Joſeph, poteſt dici Filius Heli, & omnium eorum, qui ex Stirpe David deſcenderunt, ſicut Apoſtolus dicit Roman. 9.* ,, Ex quibus, *ſcilicet Judæis*, Chriſtus eſt ſecundùm Carnem ,,.

XXI. His tamen prætermiſſis, tres aliæ apud Recentiores Eruditos conciliandi Evangeliſtas viæ excogitantur. Primam iniit Hugo Grotius in cap. 3. Lucæ. Cenſet ergo vir iſte ſatis peritus, *Mathanem*, qui ex David per Salomonem deſcendebat, uxorem duxiſſe nomine *Eſthæ*. Mathane autem mortuo abſque liberis, *Melchi*, qui ex David per Nathanem procedebat, nupſiſſe Eſthæ viduæ Mathanis, & ex ea tres ſuſcepiſſe Filios *Jacob*, *Heli*, & *Levi*: ſed Jacobo etiam ſine prole mortuo, Heli fratrem Jacobi genuiſſe Joſeph, qui ſubinde Filius fuit naturalis *Heli*, & hæres *Jacob*. Unde Matthæus Joſepho patrem aſſignat Jacob, quia Joſephus fuit hæres *Jacob*: Lucas verò Joſepho tribuit patrem *Heli*, quia Joſephus fuit Filius naturalis *Heli*. Supponit deinde Grotius *Levi*, quem ponit fratrem *Jacob* & *Heli*, genuiſſe *Pantherem*, quem putat eſſe proavum B. Mariæ Virginis: *Pantherem* autem genuiſſe *Barpantherem*, quem putat eſſe avum B. Virginis, *Barpantherem* tandem genuiſſe *Joachimum* patrem B. Virginis.

XXII. Acuta ſanè excogitatio. Sed ne ei aſſentiar, obſtant multa. Primò, quia dum dicit, Joſeph non fuiſſe filium generatione naturali, ſed tantùm hæredem Jacob, directè opponitur Matthæo, qui dicit: *Jacob autem genuit Joſeph*: verbum autem *Genuit* apud Matthæum præcipuè ſtat pro Generatione naturali. Similiter Matthæo opponitur, qui dicit *Mathan autem genuit Ja-*

Jacob, si Mathan sine liberis mortuus fuit. Imo Matthæus, qui recenset eos, qui generatione naturali Majores Christi fuere, fruſtra Mathanem & Jacob inter eos numeraſſet, ſi nullum Filium naturaliter genuiſſent. Secundò, quo fundamento ex Scriptura aſſeritur *Jacob*, *Heli*, *& Levi* fuiſſe filios *Melchi*, qui ex David per Nathan procedebat? Nullo certè. Imo Matthæus ponit Jacob filium Mathanis, qui ex David per Salomonem genus ſuum ducebat: *Mathan autem genuit Jacob*. Conſtat etiam ex Luca *Levi* non fuiſſe fratrem *Heli*, ſed potiùs ipſius avum; ait enim: *Qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Levi*. Tertiò, Levi fuiſſe patrem Pantheris, Pantherem patrem Barpantheris, Barpantherem patrem Joachimi, ex quo B. Maria proceſſit, unde ſumtum eſt, niſi ut putant Critici ex fabulis Rabbinorum? Addo, quòd ſi Joſeph fuiſſet conſobrinus Pantheris, quem Mariæ proavum putat fuiſſe Grotius, neceſſe foret, ut Joſephus quando nupſit Mariæ Virginis, ad minus centenarius eſſet, quo quid incredibilius? Scio, quod de Panthere & Barpanthere tanquam avo & proavo B. Virginis loquitur Damaſcenus lib. 4. Fidei Orthod. cap. 14. hiſce verbis: *Levi genuit Melchi, & Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem* (*nam ita vocabatur*) *Barpanther genuit Joachim, Joachim genuit S. Dei Genitricem*. Ceterùm unde hoc ſumſerit Damaſcenus (ut notat ibi P. le Quien) prorsùs ignoratur.

XXIII. Alteram utrumque Evangeliſtam conciliandi viam aperuit Petrus Poſſinus in ſuo Libro de Genealogia Chriſti Domini, quam Bollandiſtæ ad diem 19. Martii, & alii ſequuntur. Nimirùm Matthæum legalem tantùm Succeſſionem ſeu Ordinem juris ad Regiam dignitatem fuiſſe ſecutum, Lucam autem ordinem naturalis Generationis attendiſſe. Itaque dicit Poſſinus 1., Matthæum ideò Joſepho aſſignaſſe patrem *Jacob*, quia Jacob pater erat legalis, habita ratione juris ad Regiam dignitatem: Lucam autem Joſepho tribuiſſe patrem Levi; quia Heli pater naturalis erat Joſephi. Secundò dicit, extincto abſque liberis Jechonia Rege Juda, Stirpem Salomonis penitùs exaruiſſe, & ad lineam Nathanis tranſiiſſe: ideoque promiſsionem à Deo factam de Meſsia naſcituro ex Semine David, non in linea Salomonis, ſed in linea Nathanis fuiſſe impletam.

XXIV. Huic tamen poſitioni adhærere non poſsum. Nam contra primum ejus aſsertum ſtant verba, quibus utuntur Evangeliſtæ. Matthæus quippè ſemper ab initio uſque ad finem utitur verbo *Genuit*, Lucas verò nunquam; ſed ſemper adhibet verbum *Qui fuit*: porrò verbum *Genuit* ita exprimit Generationem

nem per viam naturalem, & consequenter filiationem naturalem, ut nisi per violentiam trahi possit ad filiationem legalem, vel adoptivam, sive hæreditariam. E contra verò verbum *Qui fuit* saltem determinatè non stat pro filiatione naturali, imo cum aliis modis possit aliquis esse alterius, propriè stat pro filiatione legali, sive adoptiva. Accedit auctoritas Patrum priorum seculorum, qui omnes consentiunt, Matthæum texuisse Genealogiam Christi per naturalem generationem, & Jacob fuisse patrem naturalem Joseph. Contra secundum stat etiam Matthæus, qui genealogiam naturalem usque ad Joseph ducit per lineam Salomonis, non Nathanis; & in hoc conspirant Patres omnes, quamvis, ut dixi, familiæ utriusque interdum per Matrimonia miscerentur.

XXV. Tertia conciliandi Matthæum & Lucam via proponitur ab Auctore Gallicæ Analysis dissert. 5. dicendo, Matthæum edidisse genealogiam Joseph, cujus pater naturalis fuit Jacob, qui ex Davide per Salomonem descendebat; Lucam verò texuisse Genealogiam Mariæ, cujus pater naturalis fuit *Heli*, qui idem est, ac *Eliakin*, seu Joachin, & qui fuit etiam pater civilis Josephi, utpotè illius generi ratione veri ac legitimi Matrimonii cum Maria Virgine contracti: porrò Generos interdùm appellari filios eorum, quorum sunt generi, Scripturæ aliqui Interpretes fatentur, sicut & Nurus socerorum filias nuncupari consueviſe. Quia verò non erat consuetudo Hebræorum texere genealogias per feminas, & aliunde non potuerit Lucas patrem naturalem Christi, quia fuit de Spiritu Sancto conceptus, referre: ideò gradum fecit à nepote ad avum nimirùm à Christo ad Heli ejus avum, quia Mariæ ejus Matris patrem; unde quando dicit *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur Filius Joseph, qui fuit Heli*, illa dictio *Qui* non refertur ad *Joseph*, sed ad Christum, & fit sensus, Christus putabatur Filius *Joseph*, qui tamen Christus *fuit Heli*, idest nepos *Joachim* patris Mariæ Virginis suæ Matris. *Heli* enim, ut notat Calmet in Diction. Sacræ Scripturæ, *Heliacim*, *Helcias*, *Joachim* videntur esse Synonyma.

XXVI. Ingeniosa quidem meditatio, quæ multa in hac re componere videtur, & quæ mihi arrideret, nisi aliqua me detinerent. In primis novitas, cum in nullo ex antiquis etiam Patribus inveniam, Lucam texuisse Genealogiam Christi per Mariam. Imo S. Ambrosius in cap. 3. Lucæ excitato dubio: *Cur autem Joseph magis, quàm Generatio Mariæ describatur, cum Maria de Spiritu Sancto generaverit Christum, & Joseph à Generatione Do-*

Domini videatur alienus: respondet: *Dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret Scripturarum, quæ semper viri originem quærit*: & infra: *Etenim secundùm carnem natus usum debuit sequi carnis; & qui in seculum venit, seculi debuit more describi, maximè cùm in Joseph origine etiam origo sit Mariæ. Nam cum vir justus fuerit Joseph, utique ex Tribu sua & ex Patria sua accepit uxorem..... Itaque & Census tempore ascendit Joseph de Domo & Patria David, ut profiteretur eum Maria uxore sua. Quæ ex eadem Domo & ex eadem Patria professionem defert, utique ejusdem Tribus & ejusdem Patriæ se esse designat*. Secundò, quia si Lucas Genealogiam Christi naturali via duxisset per Mariam, jam & ipsa & Christus naturaliter descendisset à Davide per Nathanem, non per Salomonem, per quem tamen promiserat Davidi Deus 2. Reg. 7. v. 14. naturaliter descensurum eum, cujus Regnum esset sempiternum. Tertiò, quia nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in aliquo antiquo Monumento legitur, Patrem naturalem Mariæ Virginis fuisse *Heli*. Dicere autem *Heli*, *Eliakim & Joachin* esse Synonyma, & proinde fuisse trinominem, non video, quo fundamento certo asseratur. Quare omnibus aliis viis relictis, in prima, quam ex Africano statuimus, ut fundatiori permanendum esse censeo.

§. IV.

Conciliantur Matthæus & Lucas cum Historia Veteris Testamenti.

POst concordatos invicem Matthæum & Lucam pro viribus in ea, quam texuerunt, Genealogia Christi, superest, ut utrumque concordemus cum Historia Veteris Testamenti. Hoc autem præstabimus solvendo ea, quæ videntur obstare, & quæ supra §. 1. Num. 4. & sequentibus proposuimus.

XXVII. Quòd ergo citato loco Num. 4. opponebatur, nempè Matthæum dicere: *Joram genuit Oziam*: cum tamen Joram genuerit Ochoziam, Ochozias Joas, Joas Amasiam, & Amasias Oziam ex 4. Reg. 8.; ubi omissi apparent à Matthæo tres gradus genealogici; facilè diluitur dicendo, Joram genuisse Oziam, non quidem immediatè, sed mediatè. Sicuti enim ex Scripturæ loquendi modo nepotes ac pronepotes filii dicuntur avorum & proavorum (quo sensu Christus dicitur filius David, filius Abraham, cujus etiam Judæi omnes dicuntur filii, quia ex Semine ejus mediatè prognati) Ita avi proavique dici pos-

sunt genuisse nepotes ac pronepotes. Unde Isaiæ 51. v.2. dicitur: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*: cum tamen Isaiæ ætate annos circiter mille trecentos ab Abraham & Sara numerarent. Circa quod observat Sanctus Hieronymus in cap.1. Matth., *Quòd Evangelistæ propositum erat tres tessaradecades in diverso temporum statu ponere*, idest generationes quadraginta duas. Tessaradecas enim correspondet numero 14., unde tres tessaradecades faciunt numerum 42. Ideòque Quartodecimani hæretici, qui quartadecima Luna Pascha celebrare volebant, teste S. Augustino lib. de Hæres. c.29. *Tessares cædecatitæ* appellati sunt. Rationes autem tum mysticas tum morales, ob quas Matthæus quadraginta duobus personis genealogiam suam concludere voluerit, Lucas verò eam ad septuaginta septem extenderit, affert S. Thom. 3.p. q.31. a.3. ad 3., quem videre non pigeat.

Cur autem Matthæus tres præfatas generationes omiserit, rationem ex S. Hieronymo in cap.1. Matth. dat S. Thomas citato loco ad 4.: *Quia Joram generi se miscuerat impiissimæ Jezabelis* (genuit enim Ochoziam ex Athalia filia Achab & Jezabelis, cujus progeniei maledixerat Deus 3. Reg. 31. v.21.) *Idcirco usque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in Sanctæ Nativitatis ordine poneretur*. Qua ratione etiam Tribus Dan in recensione signatorum ex omni Tribu filiorum Israel prætermittitur Apocal.7., quia hæc à Dei cultu defecerat, ac se Gentibus immiscuerat, Judicum 18. Non ultra tamen tertiam generationem Jorami posteritas est ab Evangelista prætermissa, quia Dei punitio in filios non protendebatur nisi ad tertiam, vel quartam generationem, Exodi 20. v.5. Cur autem alii, qui fuerunt peccatores, à Matthæo prætermissi non sint: *Est attendendum*, inquit S. Thom. loco citato, *quòd & alii Reges fuerunt peccatores, qui in genealogia Christi ponuntur: sed non fuit eorum continua impietas. Nam ut dicitur in Libris quæst. Vet. & Novi Testam. q.81., Salomon merito patris sui dimissus in Regno est. Roboam merito Asa filii sui. Horum autem trium continuavit impietas.*

XXVIII. Quod supra opponebatur num.5. primo loco, eodem modo solvi potest, nempè verum esse, quòd Josias non genuit immediatè Jechoniam, sed Joakin, ex quo genitus fuit Jechonias: Joakin autem eodem motivo prætermittitur, ac tres supradicti; quia scilicet vir nequissimus fuit, adeò ut juxta Vaticinium Jeramiæ cap. 22. v.19. sepultura Asini extra portas Jerusalem sepultus sit. Ad id, quod secundo loco objicitur, dico, quòd illa verba *in transmigratione Babylonis* non referuntur ad ver-

verbum *Genuit*, quasi Josias (etiam medio Joakim) genuerit Jechoniam, tempore quo secuta est transmigratio; obierat enim diu ante; sed referuntur ad Jechoniam & fratres ejus; quasi dicat: Josias genuit Jechoniam & fratres ejus, qui fuerunt in transmigratione Babylonis.

Aliter tamen cum aliis responderi potest, distinguendo duos Jechonias: primum, qui & Eliachim seu Joachim fuit appellatus, & hic fuit filius immediatus Josiæ genitus circa tempora transmigrationis: alterum Jechoniam secundum, dictum etiam Joakim filium Jechoniæ primi, genitum post transmigrationem, nepotem Josiæ, & patrem Salathielis. Utrumque istum Jechoniam videtur distinguere in Genealogia Christi Matthæus; primum quidem, quando dicit *Josias genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis*, idest paulò antequam Populus in Captivitatem duceretur; iste enim Jechonias seu *Eliakim*, fratres habuit *Joachaz*, *& Sedeciam*, *& Sellum*. Quando verò subjungit: *Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*: designat Matthæus Jechoniam secundum filium Jechoniæ primi, nepotem Josiæ, & patrem Salathielis, qui nullos fratres habuit. Ita sentiunt S. Ambrosius lib. 3. in Lucam dicens; *Duos enim Joachim, hoc est duos Jechonias fuisse, historia indicat, unum ante transmigrationem, alterum in ipsa transmigratione generatum, ideſt patrem & filium. Ergo pater inter generationes superiores est computatus: filius inter posteriores, qui successit patri, ideſt nepos Josiæ. Duos autem fuisse Regnorum Libri indicant* (4. Reg. cap. 23. & cap. 24.) quod in subsequentibus Ambrosius ostendit, S. item Epiphanius Hæresi 6., S. Hieronymus in c. 1. Matth. ubi ait: *Si voluerimus Jechoniam in fine primæ tessaradecadis ponere, in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim. Sciamus igitur, Jechoniam priorem ipsum esse, quem & Joakim; secundum autem filium non patrem, quorum prior per* C & M, *sequens per* ch & n *scribitur: quod Scriptorum vitio, & longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusum est.* Cui adhæret etiam S. Thom. 3. p. q. 31. art. 3. ad 3. Quare huic solutioni, tanquam veriori & magis consonæ, adhærendum esse existimo,

XXIX. Ad id, quod superiùs objicebatur Num. 6. dico, Jechoniam prædici à Jeremia futurum sterilem, non quia nullam habiturus sit prolem, quin potiùs 1. Paralip. 3. v. 17. Jechoniæ tribuuntur octo filii; sed quia nullus de Stirpe ejus erat ampliùs in Throno David sessurus: hoc sonant verba Jeremiæ: *Neque erit de Semine ejus vir, qui sedeat super Solium David* &c.: quod impletum est, cum nemo filiorum ejus statum Regium habuerit,

ſed omnes ad ſtatum inferiorem fuerint redacti. Quomodo autem Chriſtus, qui ex Jechoniæ ſemine prodiit, Solium David tenuerit, diximus ſupra cap. 1. §. 3. num. 33. Quòd verò Salathiel à Matthæo dicatur filius Jechoniæ, à Luca verò filius Neri, componi poteſt dicendo, Salathielem filium naturalem fuiſſe Jechoniæ, cum 1. Paralip. cap. 3. inter filios ejus recenſeatur, ſecundùm verò Levirátûs Legem fuiſſe filium Neri, quia Neri abſque liberis extincto, Jechonias cognatus ejus viduam relictam duxerit, & ex ea Salathielem ſuſceperit. Poſſunt etiam cum aliis duo Salathieles diſtingui, unus Jechoniæ filius, qui à Davide per Salomonem deſcendebat; de hoc loquitur S. Matthæus; alter filius Neri, qui ex David per Natham ortus fuit, & de hoc loquitur S. Lucas: cum enim alii fuerint Salathielis Majores apud Lucam, ac apud Matthæum, probabilius videtur, utrumque Evangeliſtam diverſarum perſonarum mentionem feciſſe: nempe cum juxta Patres Meſſias fuerit promiſſus ex ſemine David per lineam Salomonis, ſi Salathiel, quem exhibet S. Lucas deſcendentem ex Nathan, eſſet idem ac ille, quem exhibet Sanctus Matthæus, Jacob, & proinde Chriſtus, ex David per Nathan non per Salomonem prodiiſſet: niſi fortè dicerentur, ut ſupra, Jacob, Joſeph & Chriſtus generatione naturali per lineam Salomonis deſcendiſſe, generatione tamen legali partem cum linea Nathanis habuiſſe. Dicitur autem Salathiel genitus poſt tranſmigrationem Babylonis, non quidem conſummatam, ſed poſt actum tranſmigrationis, ſeu poſtquam tranſmigraverant; unde & dici poteſt genitus poſt tranſmigrationem, & in tranſmigratione, quæ 70. annis perduravit. Si verò cum aliis duos Salathieles ponamus, dici poteſt, priorem fuiſſe genitum durante tempore tranſmigrationis, poſteriorem autem poſt tranſmigrationis tempus, & de hoc loqui Matthæum.

XXX. Idem dico ad id, quod opponitur num. 6., Zorobabelem, de quo loquitur Matthæus, fuiſſe diverſum á Zorobabele, de quo lib. 1. Paralip. ſermo eſt. Unde non mirum, ſi diverſi utrique patres aſſignentur, uni nimirùm Salathiel, alteri Phadaja. Ille enim, de quo Matthæus, ipſe eſt, de quo Eſdras lib. 1. cap. 3. v. 2. & 8., & Aggæus cap. 1. v. 12., & c. 2. v. 3., qui ſemper ponitur filius Salathiel. Equidem duos fuiſſe Zorobabeles patet, non ſolùm ex diverſitate patris, ſed & filiorum. Nam Zorobabelis, de quo Matthæus, filius dicitur *Abjud*; alterius autem filii lib. 1. Paral. cap. 3. dicuntur *Moſalla* & *Hananias*.

Duo etiam diſcerni poſſe videntur Zorobabeles, quorum unus ex Davide per Salomonem originem habeat, & ſit filius Sa-

Salathielis, de quo Matthæus: alter verò ex Davide per Nathanem descendat, & sit filius alterius Salathielis, de quo Lucas. Et hoc duplici momento suaderi potest. Primò, quia Zorobabel, de quo Matthæus, post Captivitatem Babylonicam genitus fuit, ut patet ex contextu ubi dicitur: *Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*. At Zorobabel quem exhibet Lucas, vel ante Captivitatem, vel saltem primis annis Captivitatis genitus fuit, utpotè qui jam annis maturus Populum Judaicum è Captivitate in patrium solùm reduxit, ut lib. 1. Esdræ c. 3. v. 2. Rursùs à Zorobabele, quem refert Matthæus, usque ad Joseph novem tantùm supputantur generationes; à Zorobabele autem, quem producit Lucas, decem & septem numerantur; non ergo unus est, sed duo sunt Zorobabeles recensiti à Matthæo & Luca.

XXXI. Ad difficultatem, quæ Num. 8. proposita fuit, breviter respondeo; quidquid sit, an Patres præfati interdum aliquos Christi avos omiserint, non proinde vitio Lucæ vertendum est; eos enim fortè omiserunt, quia ad rem eorum non spectabat singulos enumerare. Ut ut sit, non est ex Patribus emendandum Evangelium, sed potiùs ex Evangelio, si opus esset, emendandi forent Patres.

§. V.

De Cainane Juniore in Lucæ Evangelio recensito.

XXXII. POtissima difficultas, quæ maximè negotium facessit, quæque semper torsit, & adhuc torquet Interpretes, est, quam supra Num. 9. proposuimus de *Cainan*, quem medium inter *Sale* & *Arphaxad* posuit in sua genealogia S. Lucas, cujus nulla mentio fit Gen. 10., ubi texitur series Patriarcharum, qui vixerunt post diluvium; nam vers. 24. dicitur *Arphaxad genuit Sale*, quod repetitur cap. 11. v. 12. *Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale*, idemque dicitur lib. 1. Paralip. cap. 1. v. 18.; Lucas verò cap. 3. v. 35. dicit *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: quibus ponit Sale filium Cainam, & Arphaxadi solùm nepotem, ubi in Genesi, & lib. Paralip. Sale ponitur filius Arphaxadi, non nepos. Vel ergo mendum est in locis præcitatis Veteris Testamenti, in quibus iste Cainan postdiluvianus non legitur, vel mendum est in Evangelio Lucæ, in quo iste Cainam medius inter Arphaxad & Sale inseritur.

XXXIII.

XXXIII. Ut ab hoc se extricent, Recentiores Critici non pauci dicunt, hunc Cainanem insititium esse, neque in autographo Græco Lucæ appositum, sed processu temporis oscitantiâ Scriptorum intrusum. Moventur primò, quia in Textu Hebraico Genesis, & Paralipom. supra relato, ter dicitur Arphaxad genuisse Sale, nulla Cainanis medii facta mentione. Quamvis autem in Versione LXX. Interpretum cap. 11. Geneseos habeatur: *Et vixit Arphaxad centum triginta quinque annis, & genuit Cainan.... & vixit Cainan centum triginta annos, & genuit Sale*: dicunt tamen, hæc non haberi in Editione LXX. Interpretum pura & incorrupta, quæ in Hexaplis Origenis inserta fuit, licèt habeatur in communi & usitata, quæ in multis fuit interpolata. Hujus duplicis Editionis communis & corruptæ, ac puræ & illibatæ meminit S. Hieronymus Ep. 135. ad Sunniam & Fretellam (modò inter Criticas 11.) dicens: *Sed hoc interest inter utramque, quòd pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum Vetus corrupta est. Ea autem, quæ habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipsa est, quæ in Eruditorum Libris incorrupta & immaculata Septuaginta Interpretum Translatio reservatur. Quidquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est, quin ita & ab Hebræorum auctoritate discordet.* Cum ergo hujus Cainanis nec vola sit, nec vestigium in Textu tam Hebræo, quàm Samaritano, nec in Antiquis Versionibus Syriaca, Arabica, Chaldaica, nec LXX. Interpretum emendatissima, imo nec in Vulgata nostra; evidens est, fuisse in Versionem LXX. Interpretum intrusum. Moventur secundò, quia Philo & Josephus, peritissimi Judæi, nec non Auctores profani, Berosus Chaldæus Græcis Interpretibus antiquior, & Eupolemus citatus ab Alexandro Polyhistore, apud Eusebium lib. 9. Præparat. Evang., ponunt Abrahamum decima post diluvium generatione ortum esse. Ita enim ex Beroso cap. 16. dicit: *Ac Berosus quidem Abrahami parentis nostri, suppresso licet nomine, his tamen verbis meminit. Circa decimam post diluvium ætatem, vir quidam apud Chaldæos vixit, summa cum integritate morum, tum etiam dignitate, rerumque cœlestium cognitione præditus.* Ex Eupolemo autem cap. 17. Item inquit, *ætate decima... Abrahamum natum esse tradit.* Si autem inter Majores Abraham postdiluvianos inseratur Cainam, jam non decima generatione post diluvium natus erit Abraham, sed undecima. Tertiò, quia SS. Patres nullam istius Cainanis junioris mentionem faciunt; Theophilus enim Antiochenus lib. 3. ad Autholycum ait: *Arphaxad natus annos 135. genuit filium nomine Sala.* Idem sentiunt Epiphanius Hæres. 55., quæ est

Mel-

Melchisedechianorum, Origenes, Julius Africanus, & Eusebius Cæsariensis, qui in suo Chronico à Scaligero edito Veterum Patriarcharum tum ante tum post diluvium annos ex triplici Textu Hebræo Græco & Samaritano recensens, in nullo eorum juniorem Cainanem reponit. Demum addunt, Moysem in Libro Geneseos accuratè descripsisse Chronologiam temporis, quod à Diluvio ad Abrahamum usque effluxit, distinctè notando annos, quibus singuli Patriarcharum vixerunt: Hæc autem Cainanis junioris adjectione non modicè perturbaretur. Concludunt igitur, istum Cainanem medium inter Arphaxad & Sale nunquam fuisse, & in Evangelium Lucæ fuisse intrusum.

XXXIV. Objicienti verò, Evangelium Lucæ, quod in Vulgata legimus, declaratum fuisse authenticum; in eo autem reperitur Cainan medius inter Arphaxad & Sale; reponunt: Ita sanè; sed abest, inquiunt, in Vulgata Veteris Testamenti Versione, quæ perindè authentica est judicio Concilii Tridentini. In alterutro ergo loco mendum esse, non obstante authenticitate necesse est, vel in Veteri Testamento, à quo Cainan abest, vel in Evangelio Lucæ, cui inseritur: imo multiplex in Veteri Testamento, simplex in Novo mendum erit, nam illic ter deest Cainan, istic semel abundat: & longè gravius in Veteri, quàm in Novo, quia in Novo una persona Cainan abundat; sed in Veteri cum Cainanis defectu conjungitur, ut dictum est, Chronologiæ perturbatio: cum enim Moyses Gen. 11. non modò narret generationes omnes Patriarcharum à Noe usque ad Abraham, verùm etiam distinctè notet, quoto anno vitæ suæ filium quisque genuerit, quotque post genitum filium supervixerit; si qua ibi Cainanis detractione mutilatio facta est, detracti quoque fuerunt anni, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale, & anni quibus genito Sale supervixit; sic Chronologia mutilata remanet. Si ergo hoc non obstat authenticitati Vet. Testamenti, nec etiam destruet authenticitatem Novi; si dicatur, Cainanem Juniorem non esse à Luca positum, sed intrusum: cui pondus addit auctoritas S. Irenæi seculi secundi Patris lib. 3. contra Hæres. cap. 33. (modò 22.) dicentis *Lucas genealogiam, quæ est à generatione Domini nostri usque ad Adam, Septuaginta duas generationes habere ostendit.* Quòd si Lucas inseruisset Cainan inter Arphaxad & Sale, genealogia Christi usque ad Adam haberet generationes Septuaginta tres. Hæc præcipua sunt, quæ movent non paucos ad opinandum, Cainan juniorem in Evangelium irrepsisse, non verò à S. Luca descriptum.

XXXV. Alii, qui tueri conantur, Cainan revera à S. Luca descri-

ſcriptum, in varios abeunt dicendi modos. Aliqui dicunt, nomen Cainan à Judæis expunctum fuiſſe è Veteris Teſtamenti Libris. Sed hoc ſinè ſpecie probabilitatis aſſeritur: quæ enim cauſa potuit eſſe, ut Judæi nomen Cainan expungerent, cujus nominatio vel prætermiſſio nihil prorsùs Chriſtianis faveat vel ipſis noceat? Debuiſſent potiùs eradere vaticinia, quæ contra ipſos clarè demonſtrant Chriſtum, & tamen ea intacta reliquerunt. Quòd ſi id etiam tentaſſent, non potuiſſent exequi in omnibus Codicibus, etiam Samaritanis, Syriacis, imo & Hebraicis apud Chriſtianos exiſtentibus; manſiſſent aliqua exemplaria, in quibus nomen Cainan adeſſet, quæ tamen hactenùs non apparuerunt. Adde, quòd debuiſſent eradere non ſolùm Cainanis nomen, ſed etiam annos, quibus vixit ante, & poſt genitum Sale, & ſic Chronologiam variare.

Nec dicas, nomen Cainan olim in Vet. Teſt. Libris extitiſſe, probari ex Verſione LXX. Interpretum, ex Hebraico confecta, in qua Cainan Junior legitur, ut videre eſt apud S. Auguſtinum lib. 16. de Civit. Dei cap. 10. dicentem: *Secundo igitur anno poſt Diluvium, Sem cum eſſet centum annorum genuit Arphaxat, Arphaxat autem, cum eſſet centum triginta quinque annorum, genuit Cainan, qui cum eſſet centum triginta, genuit Sala*: quod priùs dixerat Theophilus Antiochenus ſupra relatus. Reſpondetur enim, S. Auguſtinum ea verba deſcripſiſſe ex Verſione LXX. Interpretum, qualis ſuo tempore ferebatur, in qua, ut ipſe ibidem fatetur, multa erant ab Hebraico fonte diſſonantia, ideòque non erat pura & incorrupta, unde ad eam emendandam Verſionem ſuam S. Hieronymus aggreſſus fuit.

XXXVI. Dicunt propterea alii, S. Lucam eo conſilio nomen Cainan in genealogia Patriarcharum addidiſſe, ut Helleniſtis, in quorum gratiam potiſſimùm ſcribebat, hac in parte indulgeret: habebant enim illi præ manibus Verſionem Septuaginta, nomen Cainam præferentem. Sed quorsùm indulgentia iſta in Scriptore Spiritus Sancti ductu ſcribente, ut de induſtria ad complacentiam falſum inſereret in Evangelio? Hæc indulgentia, quantum viciſſim ſcandali in Hebræis excitaſſet, quantum invidiæ? Quantum detractum fuiſſet auctoritati Evangelii apud incredulos, ſi comperiſſent, eos, qui ſe Divino dictante Spiritu ſcribere dictitabant, ſcienter errores in Libris ſuis admittere?

Scio, alios malle, S. Lucam non ex ſententia ſua, ſed ex Vulgi opinione ac Populi præjudicio, Cainanem appoſuiſſe; ut, ſi cuiquam ingratum foret Cainan in ejus Evangelio legere, que-

re-

relam in Septuaginta non in Lucam moveret. Verùm hoc in primis Sacro Scriptore indignum eſt, qui ad veritatem, non ad Vulgi opinionem reſpicere debet. Rursùs, undè conſtat, tunc temporis perſuaſum fuiſſe, natum Cainan ex Arphaxad? Hebræis certè oppoſitum perſuaſum erat, qui hoc in ſuis Codicibus non legebant; Pagani, nihil de hoc norant; Helleniſtæ doctiores in ſua Verſione incorrupta hoc non legebant: ſi enim verum eſt, quod viri eruditi teſtantur, extat Codex vetuſtiſſimus Manuſcriptus Græcolatinus continens Evangelium Lucæ in antiquiſſimis Membranis litteris majuſculis ſine ſpiritibus & accentibus deſcriptus, in quo Cainanis illius junioris omittitur generatio: hic, ajunt, ex Galatia olim delatus in Gallias, ſervatuſque in Abbatia S. Irenæi propè Lugdunum, in Bellorum Civilium tumultu anno 1562. inde extractus, cum ad manus Theodori Bezæ perveniſſet, ab iſto Academiæ Cantabrigienſi dono datus fuit. Sed illum Codicem multis in locis eſſe corruptum obſervarunt aliqui, ideòque auctoritatem dubiam facit.

XXXVII. Alii verò, quibus placet, S. Lucam revera Cainanem Juniorem ſuo Evangelio inſeruiſſe, ut eum concilient cum Moyſe, diviſi ſunt. Nam quidam dicunt, Arphaxad patrem fuiſſe Cainan & Sale: prioris legalem, & ideò omiſſum fuiſſe à Moyſe: poſterioris verò naturalem. Alii ex Cainan & Sale unum & eundem hominem binominem conflant; ita ut ſenſus Lucæ ſit, non qui *fuit Sale, qui fuit Cainan; ſed qui fuit Sale, qui & Cainan*, hoc eſt, qui *Sale* vocatus etiam fuit *Cainan*. Sed hæc meditatio voluntaria videtur; tum quia ex Verſione Græca Geneſis Sale habetur ut perſona diſtincta à Cainan, nimirùm tanquam genita à Cainan; tum quia tò *qui fuit* eodem modo à Luca dicitur de Cainan, ac de aliis. Cum ergo ubique deſignet perſonas diverſas, & ordinem inferioris ad ſuperiorem, nihil eſt, cur hìc ad eandem perſonam reſtringatur.

XXXVIII. Alii tandem dicunt, Moyſen conſultò omiſiſſe Cainan, quòd decem tantummodò generationes ab Adam uſque ad Noe, & totidem à Noe uſque ad Abraham numerare decreviſſet, quemadmodùm Matthæus in genealogia Chriſti tres ex dictis omiſit Reges. Quemadmodùm ergo ex quo tres illi Reges à Matthæo omiſſi ſint, inferri non poteſt, eos in rerum natura non extitiſſe, neque inter Majores Chriſti ponendos eſſe: ita nec ex quo Cainan inter Majores Abrahæ prætermiſsus fuerit, argui poteſt, eum fictitium eſſe. Ideò autem Veteres, tam Patres, quàm profani Scriptores Cainanis generationem omiſiſſe credendi ſunt, quia Textum Hebræum, à quo abeſt, ſecuti ſunt;

cum ex adverso alii Patres & Ecclesiastici Scriptores, qui post S. Lucam ejus Evangelium tractarunt, Cainanem Juniorem inter Patriarchas reponunt; & Septuaginta Interpretes, si Cainanem hunc in suâ Versione addiderunt, nil aliud intenderunt, quàm supplere personam, quæ à Moyse fuerat prætermissa. In hanc opinionem tanquam paucioribus incommodis obnoxiam non invitus descendo.

Ne autem Cainanis Junioris adjectio variet Chronologiam, quæ inter Abraham & Noe post Diluvium secundùm Textum Hebraicum & Vulgatum describitur, dici potest cum Genebrardo lib. 1. Chronographiæ, quòd Arphaxad genuit Cainan anno ætatis suæ 18., & quòd Cainan genuit Sale anno ætatis suæ 17. Qua ratione salvatur, quòd Arphaxad genuerit Sale, generatione non immediatâ, sed mediatâ sicut avus nepotem, dum ageret annum trigesimum quintum, juxta Textum Hebræum & Vulgatam Gen. 11. v. 12. Sic enim omnia conciliantur. Solùm objici potest, quòd iis temporibus non generabant filios in ætate tam tenera, sed adultiori, quod & ego non negabo in more fuisse; sed quòd in aliquo casu oppositum contingere potuerit, urgente maximè humani generis multiplicatione, nemo puto, negabit. Hæc de ista implicatissima quæstione, in qua crederem usurpari posse Augustini dictum Serm. 20. de Verb. Apost. (modò Serm. 27. cap. 3.) *Melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.*

CAPUT III.

De Mariæ Virginis parentibus, ortu, educatione &c.

§. I.

Beatæ Mariæ parentes.

1. MAXIMAM B. Mariæ Virginis excellentiam paucis quidem, sed singularibus encomiis descripsit Lucas cap. 1. sui Evangelii, dum narrat, missum à Deo Gabrielem Angelum ad Virginem, Nazareth commorantem, Mariam nomine, Joseph viro justo desponsatam, qui ad eam ingressus, & plenam gratiâ, ac inter mulieres benedictam declarans, Altissimi Filium absque Virginitatis jactura de Spiritu Sancto in utero concepturam esse, prænuntiat. Qua enim excellentiori gratia potuit creatura à Deo insigniri, quàm ut esset Vir-

Virgo simul & Mater, & Unigeniti sui parens? Verùm cum præter hæc nec Lucas, nec alius Sacer Scriptor, quidquam dictum reliquerit de tantæ Virginis parentibus, ejus Natalibus, educatione &c. ex hoc profundo Scripturarum silentio factum fuit, ut Veteres præsertim Græci de Sancta Virgine plura evulgarint, quæ postea tanquam sine fundamento excogitata, ut apocrypha & fabulosa judicata fuere. Talia fuere Liber nescio quis Traditionum Judaicarum à D. Epiphanio memoratus Hæres. 78. & 79., Proto-Evangelium D. Jacobo Apostolo perperam adscriptum, Liber de Ortu Virginis à nonnullis Jacobo fratri Domini ab aliis S. Cyrillo Alexandrino suppositus, Liber alter de Ortu Virginis à Seleuco D. Matthæo affictus, Historia incerti Auctoris à D. Gregorio Nazianzeno Oratione de Christi Natali indicata, Opusculum de Nativitate B. Mariæ inter apocrypha S. Hieronymi rejectum tom. 5. Edit. Noviſſimæ Maurinæ, spuria S. Evodii Epistola, & alia ejusmodi. Ex his impuris lacunis biberunt pleno pectore Græci Scriptores; quia tamen nullus est liber adeò falsus, qui non contineat aliquid veri, ideò quæ falsa & commentitia in prædictis libris rejiciam, quæ autem ex Traditione Ecclesia admisit, & ego admittam.

II. Circa primum ergo, quinam fuerint B. Mariæ Virginis parentes, Centuriatores Magdeburgenses Centur. 1. cap. 10. dicunt: *Qui fuerint Mariæ parentes, certum non est: quia diserte in Sacris Litteris expressum non legimus.* Idem istorum Antesignanus Lutherus, qui cum in statis B. Annæ solemniis sermonem haberet, solitâ audaciâ ait: *Dicendum etiam aliquid esset de Diva Anna, cui hæ feriæ dicatæ sunt: verùm de illa ne apiculum quidem in Scripturis offendo.* A Luthero tamen discedunt Brentius super Lucam, ubi, *Mihi*, inquit, *ex Majorum Traditione manifestum est, quòd pater Mariæ Joachim vocatus sit. Apud Syros autem, quemadmodùm testatur Philo, idem sunt Heli Eliachim & Joachim. Quare cum pater Mariæ vocatur Joachim, manifestum est, ipsum & Heli vocatum; & is est Heli, quem Lucas vocat patrem Josephi.* Imo addit Bullingerus in cap. 1. Matth. *Omnium sententia est, Heli esse eundem, qui & dicitur Joachim, patrem scilicet Mariæ.* Accedit & Hosiander. in lib. 1. Harmon. Evang. c. 16. his verbis: *Ubi dubitatur de patre Josephi, Veteris Ecclesiæ Traditionem retineamus, quæ docet, Josephum fuisse filium Jacobi, generum autem ipsius Heli; hoc est Heli, qui vero nomine Jeboakin dictus fuit, fuisse patrem Virginis Mariæ, & avum Jesu Christi secundùm Carnem. Nam huic sententiæ omnes circumstantiæ, omnesque conjecturæ accedunt & adstipulantur*: ac postea rursùs; *Ita-*

que, ut dixi, hoc jam firmiter teneamus, Heli non fuisse patrem Josephi, sed socerum; Patrem autem Virginis Mariæ, & avum Domini nostri Jesu Christi; idque Apostolorum tempore jam fuisse omnibus notum, ut in genealogia Virginis apud Lucam rectè intelligenda nemoerrare potuerit. Ecce Novatoribus præfatis persuasum, B. Mariæ parentes fuisse Joachim; & consequenter Annam, cum utrumque doceat Traditio, & rursùm id etiam colligi ex Scriptura, semel admissâ sententiâ, de qua supra, quòd Lucas texuerit genealogiam non Joseph, sed Mariæ, & quòd *Heli* & *Joachim* sint synonyma.

III. Certum ergo esse debet, B. Mariæ parentes fuisse Joachim & Annam, maximè cum huic Traditioni accesserit Ecclesiæ universalis approbatio, quæ statis diebus celebrat Festum parentum B. Virginis sub nominibus Joachimi & Annæ: & ideò absque Censuræ nota in dubium revocari non posse existimo. Nec enim valet dicere, ad celebrationem festi & cultum nil referre, quo nomine vocentur, uti tam multi coluntur Martyres, quorum nomina nesciuntur. Hoc enim sustineri posset, si Ecclesia coleret parentes B. Virginis sub generali nomine parentum, sicut plures colit Martyres sub generali nomine Martyrum, quia eorum propria nomina ignorat, & solùm de eorum martyrio certa est: sic enim agit festum S. Mauritii & Sociorum, Decem Millium Martyrum &c. Sed cum Ecclesia colat parentes B. Mariæ sub speciali nomine Joachim & Annæ, absque temeritate in dubium verti non potest, ejusmodi fuisse eorum nomina. Nec valet hoc effugio se tueri, ea esse nomina mysticæ significationis, quæ ex ignoratione propriorum nominum Ecclesia eis imponere potuit: *Anna* enim *Gratiam* sonat, *Joachim* verò *Præparationem Domini*. Nam cum omnia Nomina Hebraica suam mysticam habeant significationem, ut patet; ex hoc sequeretur, omnia nomina mystica esse & nullum proprium. Neque huic speculationi patrocinatur Fulbertus Carnotensis, licèt enim serm. 3. de Ortu Almæ Virginis Mariæ hisce duobus nominibus *Joachim* & *Anna* mysticam interpretationem assignet: attamen serm. 2. hæc propria illorum nomina fuisse declarat, his verbis: *Nata est autem*, Maria, *juxta Relationem & Scripturas Sanctorum Patrum, in Civitate Nazareth, patre nomine Joachim ex eadem urbe oriundo, matre verò Anna nomine oriunda ex Civitate Bethlehem.*

IV. Neque contrarii sunt Hieronymus & Augustinus. Non quidem Hieronymus: nam licèt lib. contra Helvidium volentem, Mariam Matrem Domini esse eandem ac Mariam Cleophæ,

phæ, admittat, potiùs fuisse ejus sororem, ita ut una dicatur Maria Jacobi, altera Cleophæ: addit tamen, dictam Cleophæ, sivè à patre, sivè à gentilitate familiæ, aut quacumque alia causa: unde non asserendo, sed opinando alterutrum hoc dicit. Concesso autem ex abundantia, Patrem Matris Domini dictum fuisse Cleopham, non excluditur, quin etiam dictus fuerit Joachim; nam, ut ibi subjungit S. Doctor, Scripturarum consuetudo est, eundem hominem diversis nominibus nuncupari. Uno verbo: intentum S. Hieronymi eo in loco est ostendere, Mariam Jacobi Minoris matrem non fuisse eandem ac Mariam Matrem Domini, ut volebat Helvidius, qui contendebat, Mariam Matrem Domini post genitum Christum alios filios genuisse, nec perpetuò fuisse Virginem: nec obstare, quòd Jacobus Minor vocetur frater Domini, quia frater dicitur *non naturâ sed cognatione*. Sunt quidem apud Joan. Gersonem v. 3., qui credideriut, Annam Matrem Virginis Mariæ primò Joachim duxisse, ex quo filiam habuit Mariam Matrem Salvatoris, postea cum Cleopha Matrimonio junctam, genuisse Mariam Cleophæ Jacobi Minoris, Josephi justi, Simonis Zelotis, & Taddæi matrem, & tertiò nupsisse Salome, ex quo procreaverit Mariam uxorem Zebedæi matrem S. Jacobi Majoris, & S. Joann. Evangelistæ: super quo sequentia Carmina:

Anna tribus nupsit Joachim, Cleophæ, Salomeque;
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias
Quas duxere Joseph, Alphæus, Zabedæusque.
Prima Jesum: Jacobum, Joseph cum Simone Judam
Altera dat: Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Sed hæc, sicut & hujus opinionis Scriptores, non sunt tantæ auctoritatis, ut communem fidem extorqueant. Hanc opinionem refert S. Thomas in cap. 1. ad Galat. Lect. 5.

Non Augustinus; nam lib. 23. cont. Faust. c. 9. ubi dicit: *Ac per hoc illud, quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quòd patrem habuerit ex Tribu Levi Sacerdotem quemdam nomine Joachim, quia Canonicum non me constringit*, non negat absolutè, patrem Mariæ fuisse Joachim; de hoc enim non erat contentio; sed negat, Patrem Mariæ fuisse Sacerdotem, & proinde ipsum & Mariam fuisse de Tribu Levi, non de Tribu Juda & familia David, ut contendebat Faustus: unde subjungit S. Doctor: *Sed etiamsi hoc crederem, ipsum potiùs Joachim crederem aliquo modo ad David Sanguinem pertinuisse*: & infra: *Hoc ergo potiùs vel tale aliquid crederem, si illius apocryphæ Scripturæ, ubi Joachim pater Mariæ legitur, auctoritate detinerer, quàm mentiri Evangelium, in quo scri-*

ſcriptum eſt, & Jeſum Chriſtum Filium Dei Salvatorem noſtrum ex ſemine David ſecundùm Carnem, & per Virginem Mariam procreatum. Non ergo renuit credere, Patrem Mariæ fuiſſe Joachim, ſed qualem ex Scriptura apocrypha Fauſtus proferebat, nempe Sacerdotem, & de Tribu Levi; cum hoc ſit expreſsè contrarium Evangelio proponenti Chriſtum de ſemine David, & proinde etiam ejus Matrem. Idcircò autem Joachimum Mariæ patrem aſſertivè Auguſtinus non tribuit, quia ſuo tempore Eccleſia nihil fuerat locuta.

V. Ceterùm Eccleſiam Græcam parentes Mariæ Virginis Joachim & Annam quovis ſeculo agnoviſſe, teſtantur antiquiſſima Scripta, quæ licèt apocrypha, & apud Occidentales parvæ auctoritatis, Orientalium tamen in hoc ſententiam abundè teſtantur: & inſuper cum ſubſequentibus ſeculis in ea parte, qua Joachim & Annam Mariæ parentes dicunt, ea acceptarint nedum Patres Græci, Damaſcenus lib. 4. fid. Orthod. cap. 14. & Hom. 2. in Nativ. B. Virg., Andreas Cretenſis, Iſidorus Theſſalonicenſis, Cedrenus, Nicephorus; ſed etiam Eccleſia Occidentalis, quæ ſub præfatis Joachim & Annæ nominibus feſtos dies parentum B. Mariæ quotannis celebrat, votum ſuum adjunxerit, neſcio quo nili temerario auſu poſſit quiſquam Catholicus rem hanc ut incertam hodie proponere. Nec tamen ob id auctoritas aliqua libris expenſis, in quibus hæc nomina leguntur, attribuitur, ſed ſolum hujus Traditionis antiquitas oſtenditur. Profectò eorum Auctores, ſivè fuerint Ebionitæ, ſivè Manichæi, ſivè Seleucus, ſivè quis alius, nullum ſibi ac ſuis erroribus commodum obventurum ſperare poterant, ſi Catholicos de Joachim & Annæ nominibus traherent in errorem. Aliundè hæc nomina reſcierant, & ideò ſuis operibus exararunt, ut ad poſterorum notitiam tranſirent. Accedit, quòd in Sermone de Nativit. B. Mariæ D. Hieronymo ſuppoſito inter ejus opera tom. 5., quique ex Libro à S. Matthæo exarato exſcriptus proponitur, Auctor illius quicumque ſit, priùs proteſtatus ſe omittere ea, quæ Seleucus mentitus fuit, aut de ſuo confinxit, inter cætera, quæ à nemine neganda proponit, ſunt, quòd *Beata & gloriosa ſemper Virgo Maria de Stirpe Regia, & familia David oriunda: in Civitate Nazareth nata fuit. . . Pater ejus Joachim, Mater verò Anna dicebatur. Domus paterna eſt ex Galilæa, & Civitate Nazareth; Maternum autem genus ex Bethlehem erat.*

VI. Porrò ut quiſquis videat, quantâ injuriâ tanquam de hoc dubii aſſerantur continuatores Bollandi, legantur ad diem 20. Martii, ubi hæc habent §. 1. n. 1. *Quamquam B. Petri Damiani cen-*

censura Sermone 3. de Nativit. B. Virginis studium superfluæ curiositatis reprehendat in iis, qui quod Evangelista narrare superfluum duxit, nimis inutiliter quærunt, inquirentes quis pater, vel quæ mater Beatissimæ Mariæ fuerint: utriusque tamen Ecclesiæ Patrum Joachimum & Annam celebrantium concors credulitas facit, ut de nominibus non admodùm anxiè dubitemus, vera ne sint, an solùm accepta ex quadam etymologiæ Hebraicæ congruentia, qua Joachim Præparatio Domini, Anna Gratia *interpretatur, ut est apud Fulbertum Carnotensem Episcopum.* Deinde dato quòd multa, quæ in libello de Ortu Virginis Seleuco impostore scripta sunt, falsa sint, concludunt: *Quantulum tamen hoc est, si ipsa saltem parentum Sanctissimæ Dei Genitricis nomina Ecclesiæ Traditio conservasse putetur, nec omnia dicantur Auctores isti finxisse. Sub his certè nominibus eos celebrant Sanctorum Patrum encomia, & Ecclesiæ festivis prosequuntur honoribus.* Quod ostendunt ex Officiis antiquissimis Ecclesiæ Græcæ, & etiam Latinæ, etsi recentioribus. Neque obest, quòd S. Pius V. anno 1572. Officium S. Joachim sustulerit: non enim absolutè vetuit de eo recitari Officium, sed illud solùm, in quo continebantur multa ex apocryphis desumta, quæ Ecclesia esto non damnet, positivè tamen non recipit. Ista ex Bollandistis. Quibus constat, Traditionem de parentibus B. Mariæ Joachimo & Anna, quamvis in apocryphis Monumentis reperiatur, quia tamen ab utraque Ecclesia susceptа, non esse in dubium revocandam.

§. II.

Apocrypha de B. Virginis ortu & educatione.

VII. MUlta in supranominatis Libris apocryphis, sivè Beatæ Mariæ ortum antecedentia, sivè concomitantia, sivè consequentia leguntur, ut in Proto-Evangelio S. Jacobi, Libro Traditionum Judaicarum à S. Epiphanio Hæres. 78. & 79. memorato, lib. de Ortu Virginis à Seleuco D. Matthæo afficto, Historia incerti Auctoris à D. Gregorio Nysseno indicata, & aliis nullius in Ecclesia auctoritatis.

VIII. In Proto-Evangelio igitur S. Jacobo supposito legitur, Joachim die solemni oblationem in Templo offerre paranti, Judæum nomine Ruben obstitisse, quòd homini posteritate in Israel carenti, jus oblationis non esset. Joachim rubore suffusus in desertum aufugit, ibique jejuniis & orationibus intentus solidos 40. dies noctesque transegit. Interim Anna ejus uxor absen-

sentiam viri, simulque sterilitatem suam coram Domino domi deflebat: cum solemnitas quædam adesset, nec interim à fletu quiesceret, Judith illius famula lacrymas illius diei Religione reprehendit, simulque adhortata est, ut convenientem festo, atque Regio suo generi mitram assumeret. Ei verò renuenti Judith subiraſcens, sterilitatem exprobravit. His auditis, Anna luctu depoſito nuptialibus vestibus induta est. Circa horam nonam hortum suum ingressa Dominum precibus exorabat, ut sterilitatis opprobrium à se removeret; & cum inter orandum oculos attollens in lauro avium nidum cum pullis vidisset, eo aspectu lacrymas intendens & preces, orabat, ne sibi Deus denegaret, quod brutis & terræ concessisset. Adhuc oranti Angelus cœlestis occurrit de futuro partu lætum nuntium afferens, eamque inclytam in Mundo futuram prædixit; quo ab Anna audito, in laudes Dei præ gaudio effusa est, atque quidquid pareret, in obsequium Templi per totam vitam se dedicaturam promisit: sub hæc duo Angeli supervenientes nuntiarunt, Deum precibus Joachim annuisse, eumque cum suis ovibus quantociùs rediturum. Regressus est igitur è montibus Joachim, quem Anna venientem excepit. Post modicum femina concepit, & certo tempore Mariam edidit, quam lacte suo mater aluit. Post tres menses puella sola sine duce gradiebatur, & post annum cum ablactationis cæremonias celebraret, Sacerdotes convivio excepit, iisque mater infantulam obtulit. Cum tres ætatis annos in patris domo exegisset, à parentibus in Templo præsentata est, ut ibi educaretur, ac Domino obsequeretur. Hactenùs *Proto*, seu veriùs, *Pseudo-Evangelium*.

IX. Eadem ferè leguntur in memorato Serm. de Nativit. B. Mariæ. Ibi enim hæc habentur de Joachim & Anna: *Vita eorum simplex, & recta apud Dominum, apud homines irreprehensibilis & pia. Nam omnem substantiam suam trifariam diviserunt: unam partem Templo & Templi servitoribus impendebant: aliam peregrinis & pauperibus erogabant: tertiam familiæ usibus & sibi reservabant. Voverunt tamen, si fortè Deus donaret eis sobolem, eam se Domini servitio mancipaturos; cujus rei gratia, & Templum Domini singulis per annum festis frequentare solebant. Factum est autem, ut Encæniorum solemnitas approximaret; unde cum nonnullis Contribulibus suis Hierosolymam & Joachim ascendit. Ea verò tempestate Isaschar Pontifex erat: cumque inter ceteros concives suos etiam Joachim cum oblatione sua videret, despexit eum, & munera ejus sprevit, interrogans, cur inter fœcundos infœcundus ipse stare præsumeret, dicens, munera nequaquam Deo digna posse vi-*

de-

deri, quem ipse prole indignum judicasset, Scripturâ dicente, Maledictum omnem esse, qui non genuisset masculum in Israel. Dicebat ergo, priùs eum ab hac maledictione Sobolis generatione solvendum, & sic demum in conspectu Domini cum oblationibus esse venturum: cujus opprobrii objectu pudore magno suffusus Joachim ad pastores, qui cum pecudibus erant in pascuis suis, secessit. Neque enim Domum repetere voluit, ne fortè à Contribulibus suis, qui simul aderant, & hoc à Sacerdote audierant, eodem opprobrii elogio notaretur.

X. Verùm cum ibi aliquandiu esset, quadam die, cum esset solus, Angelus Domini cum immenso lumine astitit: qui cum ad ejus visionem turbaretur, Angelus, qui ei apparuerat, timorem ejus compescuit dicens: noli timere Joachim, neque in visione mea turberis; ego enim sum Angelus Domini missus ab ipso ad te, ut annuntiem tibi, preces tuas esse exauditas, & eleemosynas tuas ascendisse in conspectum ejus. Videns quippe vidit pudorem tuum, & audivit sterilitatis opprobrium, nec rectè tibi objectum. Peccati namque non naturæ ultor est Deus, & ideò cum alicujus uterum claudit, ad hoc facit, ut mirabiliùs denuò aperiat, & non libidinis esse, quod nascitur, sed Divini muneris, cognoscatur. Prima enim Gentis vestræ Sara mater nonne usque ad octogesimum annum infœcunda fuit? & tamen in ultima senectutis ætate genuit Isaac, cui repromissa erat benedictio omnium Gentium. Rachel quoque tantùm Domino grata, tantùmque à Sancto Jacob adamata, diù sterilis fuit, & tamen Joseph genuit, non solùm Dominum Ægypti, sed plurimarum Gentium fame perituraram liberatorem. Quis in ducibus vel fortior Samsone, vel Sanctior Samuele? Et tamen hi ambo steriles matres habuere... Proinde Anna uxor tua pariet tibi filiam, & vocabis Nomen ejus Mariam. Hæc erit, ut vovistis, ab infantia sua Domino consecrata, & Spiritu Sancto replebitur ab utero Matris. Omne immundum neque manducabit, neque bibet, neque inter populares forinsecus Turbas, sed in Templo Domini conversatio ejus erit, ne quid de ea sinistrum vel suspicari saltem posset vel dici. Itaque ætate procedente, sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur, ita incomparabiliter Virgo generabit Altissimi Filium, qui Jesus vocabitur, secundùm Nominis etymologiam Salvator omnium Gentium erit: & hoc tibi eorum, quæ annuncio, signum erit: Cum perveneris ad auream in Hierosolymis Portam, habebis ibi obviam Annam uxorem tuam, quæ de tuæ regressionis tardatione modò sollicita, tunc in aspectu tuo gaudebit. His dictis discessit Angelus ab eo.

XI. Deinde apparuit Annæ uxori ejus dicens: Ne timeas Anna, neque phantasma esse putes quod vides; Ego enim sum Angelus

ille, qui preces & eleemosynas vestras obtuli in conspectu Dei, & nunc missus sum ad vos, ut annuntiem vobis nascituram filiam, quæ Maria vocata super omnes mulieres erit benedicta. Hæc à nativitate sua statim Domini gratiâ plena tribus ablactionis suæ annis in Domo paterna permanebit, postea servitio Domini mancipata à Templo usque ad intelligibiles annos non discedet: ibi denique jejuniis, & orationibus nocte ac die Deo serviens, ab omni immundo se abstinebit, virum nunquam cognoscet; sed sola sine exemplo, sine macula, sine corruptione, sine viri commixtione Virgo Filium, Ancilla Dominum & gratia & nomine & opere Salvatorem Mundi generabit. Itaque surge, ascende Jerusalem, & cum perveneris ad portam, quæ aurea pro eo, quod deaurata est, vocatur, ibi pro signo virum tuum, pro cujus incolumitatis statu sollicita es, obvium habebis. Cum hæc igitur ita evenerint, scito, quòd quæ annuntio, sine dubio complenda erunt.

XII. *Igitur juxta Angeli præceptum uterque de loco, in quo erant, promoventes, ascenderunt Jerusalem, & cum ad locum pervenissent Angelico vaticinio designatum, ibi sibi invicem obviaverunt. Tunc de mutua sua visione læti, & promissæ prolis certitudine securi debitas Domino humilium exaltatori gratias egerunt. Itaque adorato Domino, domum regressi, Divinum promissum certi & hilares expectabant. Concepit ergo Anna, & peperit filiam, & juxta mandatum Evangelicum parentes vocabant Nomen ejus Mariam.*

XIII. *Cumque trium annorum circulus volveretur, & ablactionis Templum completum esset, ad Templum Domini Virginem cum oblationibus adduxerunt. Erant autem circa Templum juxta quindecim graduum Psalmos quindecim ascensionis gradus. Nam quia Templum erat in monte constitutum, Altare holocausti, quod forinsecus erat, adiri nisi gradibus non valebat. In horum itaque uno Beatam Mariam Virginem parvulam parentes constituerunt: cumque ipsi vestimenta, quæ in itinere habuerant, exuerent, & cultioribus ex more vestibus se & mundioribus induerent, Virgo Domini cunctos sigillatim gradus, sine ducentis & levantis manu, ita ascendit, ut perfectæ ætati in hac dumtaxat causa nihil deesse putares.* Hæc dictus Liber apocryphus: in quo deinde legitur, quòd oblato sacrificio parentes puellam Mariam in Templo cum aliis Virginibus educandam reliquerunt, ubi mansit usque ad annum quartumdecimum ætatis suæ, quotidie ab Angelis frequentata, quotidiè Divina visione fruens, & ut ait Proto-Evangelium, *accipiebat cibum de manu Angeli*. Alia præfata duo Evangelia, suppositâ narrant de B. Virgine sivè præcedentia, sivè consequentia ejus ortum, quæ optandum esset, ut à fonte puriori derivarentur.

XIV. Ve-

XIV. Verùm quod attinet ad Evangelium, seu Librum de Ortu Mariæ, quamvis sub Matthæi Evangelistæ nomine fuerit obtrusum, & tanquam ex Hebraico Matthæi volumine à S. Hieronymo fingatur translatum; ad quem finem excogitatæ sunt Epistolæ Chromatii & Heliodori ad Hieronymum, & Hieronymi ad ipsos, quæ extant tomo 5. Operum ejusdem; communiter tamen tanquam commentum rejicitur, excogitatum sivè à Gnosticis, sivè à Collyridianis Hæreticis, ut sentit S. Epiphanius Hæresi 26. & 79.; saltem ut apocryphum, ut Gregorius Nyssenus Homil. de Nativ. S. Virginis: unde Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. Sanctæ Litt. M. *Matthæus*, inquit: *Evangelista fingitur esse Auctor duorum Librorum, quorum alter* de Ortu, *sivè* Stirpe Mariæ, *alter* de Infantia Salvatoris *inscribitur, qui Valentinorum & Gnosticorum commenta sunt. His Libris inepti quidam auctoritatem asserere cupientes, præfationes addiderunt sub nomine Chromatii & Heliodori Episcoporum ad Hieronymum, & Hieronymi ad ipsos conflictas, quæ utrumque Opus testarentur à Hieronymo in gratiam eorumdem Episcoporum ex Hebraico Matthæi volumine translatum, & ab Hæreticorum falsationibus expurgatum; sed cum in his libris eædem nunc extent aniles fabulæ, quas Irenæus in primo adversùs Valentinorum hæreses, & Epiphanius primo Panarii sectione 3. ex iisdem voluminibus refellunt; palam apparet impostorum deceptio, Gelasius dist. 15. inter Libros ab Ecclesia damnatos utrumque abjicit,*

XV. De Proto-Evangelio autem Jacobi, quamvis Theodorus Bibliander magnificè sentiat, illudque genuinum Jacobi fratris Domini Opus existimans, asserat periniquum sibi videri, saltem in Ecclesiasticorum & Hagiographorum numero non haberi, in quo hodie habentur Tobias, Judith, Sapientia Salomonis, Sapientia Jesu Sirach, Historia Machabæorum; *Qui Libri*, inquit, *ab hoc sermone Jacobi argumenti excellentiâ, & styli simplicitate Spiritus Sancto familiari, meo judicio vincuntur;* contrarium tamen sentiunt tùm Veteres, tùm Recentiores præsertim ex Catholicis. Idem Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. Sanctæ Littera I. *Extat*, inquit, *nunc Scriptura quædam ab Hæreticis nostrorum temporum typis excusa, quæ Proto-Evangelium Jacobi, sivè Sermo historicus de Nativitate Deiparæ inscribitur, continens historiam Nativitatis Mariæ usque ad adventum Magorum, in quo inter cæteras ambiguæ fidei narrationes illud etiam adjicitur absurdissimum, nempe Josephum & Mariam stupri & sacrilegii accusatos, ex decreto Sacerdotum simul fuisse adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo Moyses explorari jussit innocentiam feminæ de adulterio*

suspectæ. Baronius, etsi ut videbimus non adeò sit difficilis, hunc tamen librum cum aliis rejicit; nam in Apparatu ad Annales n. 39. ait: *Ejusdem generis & existimationis habentur, quæ ex Pseudo-Evangelio Jacobo attributo leguntur, quæ à nostris chartis procul repellimus*: & ad ann. Christi 44. n. 48. *Jacobi Alphæi*, inquit, *quoque nomine hactenùs Pseudo-Evangelium circumfertur, quod jam olim ab eodem Gelasio proscriptum est*. Hoc ex hominum memoria penè obliteratum ex Oriente in Europam detulit ac transtulit Gulielmus Postellus, quem multi ex Eruditis propterea carpunt, inter quos Henricus Stephanus Tract. præpar. ad Apolog. pro Herodoto cap. 33.

XVI. Quid ergò de contentis in hisce duobus apocryphis circa B. Virginem statuendum sit; an omnia recipienda, an omnia explodenda; an aliqua recipienda, aliqua rejicienda, & quænam; labor est. Et quidem in eis contenta, quæ consona sunt narratis in Evangeliis, ut certa tenenda sunt; quæ verò ab eis discordant, vel quid absonum ac indecens continent, absque hæsitatione sunt repudianda. Ex Proto-Evangelio rejiciendum planè videtur, quod narrat, nempe convocato Concilio Sacerdotum de Velo faciendo pro Templo, & ad hoc selectis septem Virginibus de Tribu David, ut ex illis eligeretur, quænam deberet nere filum aureum & sericum, & cui vera purpura in sortem cederet; hoc contigisse Mariæ, unde dicit: *Maria accepta purpura, & cocco filavit*. Hæc enim inter fabulas aniles amandanda videntur. Rejiciendum secundó videtur, quod immediatè subdit, nimirùm cum Maria accepta hydria exiisset haurire aquam, audivit vocem Angeli dicentis ei: *Ave gratia plena*: & circumspiciens, undenam illa vox facta esset, tremefacta intravit Domum, & depositi hydriam, & accepta purpura sedit, ut operaretur, & tunc Angelus Domini astitit in conspectu ejus dicens: *Ne timeas Maria*: cum Lucas fide dignior unico contextu dicat, Angelum ingressum ad Mariam eam salutasse, eique legationem suam exposuisse: ad quem locum Ambrosius: *Solam*, inquit, *in penetralibus sine teste, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperit*. Eò magis ut horrendum refutandum est, quod inferiùs narrat, Annam scribam cum reperisset Mariam gravidam, eam & Joseph ad Principem Sacerdotum denuntiasse, ac si Joseph Virginem sibi à Templo datam sacrilegè defloraset: cumque tam Joseph quàm Maria hoc negarent, utrumque coactum fuisse potare aquam redargutionis. Quid enim hoc inverecundius? Sicut & illud, quod Mariæ parienti obstetrix Judæa à Joseph quæsita astiterit, quæ prodigiis tunc apparentibus, adeò

ut

ut totus Orbis cursum suum suspenderet, deterrit, id narrarit alteri mulieri nomine Salome; nimirùm, quòd Virgo manens Virgo Filium peperisset: cumque id Salome nollet credere dicens: *Nisi scruata fuero naturam ejus, non credam quòd peperit*: unde ad experimentum procedere. Hoc quid inverecundius, ac de purissima Virgine vel cogitare indignius? Et tamen hæc in præfato Pseudo-Evangelio narrantur.

§. III.

Quid de aliis in præfatis apocryphis contentis?

XVII. De parentum B. Mariæ Joachimo & Anna, quo nomine in utroque apocrypho nuncupantur, ambigendum non est, cum hoc Traditione susceptum fuerit, ut dixi, ab Ecclesia Græca, & Latina probatum, quæ sub hisce nominibus B. Mariæ parentum festos dies celebrat. Quod verò additur de exprobrata Joachimo ab Isaschar Pontifice seu Ruben sterilitate; & propterea de ejus secessu in desertum, & de luctu Annæ, sicut & de Angelo post 40. dies utrique apparenti, & prolem promittenti, quæ paritura esset Altissimi Filium, Mater simul & Virgo: suspensum me tenet; tum quia hæc nomina Ruben & Isaschar inter Pontifices, nec apud Josephum, nec alios probatos Scriptores leguntur; tum quia Joachimi & Annæ sterilitas usque ad ætatem effœtam, ut sine portento depelli non potuerit, non est adeò explorata, quin de opposito probabiliter dubitari possit. Nam Mariam illam Cleophæ, de qua Joan. 19. v. 25. dicitur *Soror Matris Jesu Maria Cleophæ*, fuisse in stricto sensu Sororem B. Virginis, tanquam magis consonum Evangelico Textui sentire videntur Hieronymus in cap. 27. Matth., ubi hanc Mariam Cleophæ matrem Jacobi vocat *Materteram Jesu, Sororem Mariæ Matris Domini*: quod repetit Epist. 150. modò 7. ad Hedibiam q. 4.; & lib. contra Helvidium, ubi ostendit, eos qui in Evangelio vocantur fratres Domini, sic dici, quia filios Materteræ ejus, Mariæ Matris Jacobi Minoris & Josetis, idest Mariæ Cleophæ uxoris Alphæi dictæ Mariæ Jacobi: Theodoritus etiam in cap. 1. Epist. ad Galat., S. Petrus Chrysologus Serm. 48. & 49., Beda in cap. 3. Marci, Maldonatus in cap. 12. Matth. v. 46., Possevinus in Apparatu, & alii. Posito ergo, quòd Maria Cleophæ esset in stricto sensu soror B. Mariæ ex iisdem orta parentibus, rueret supposita Joachim & Annæ sterilitas. Aut enim eam ante B. Virginem genuerant, & sic usque in eam diem steriles non fuc-

fuerant; aut post genitam Deiparam, adeóque non ita longæva erat eorum ætas, ut sine miraculo generationi vacare non possent: & hoc multò magis, si admitteretur supra memorata opinio, quòd Anna post genitam Deiparam Joachimo defuncto, nupserit Cleophæ, & ex eo genuerit Mariam, Cleophæ dictam. Quæ omnia esto non certa, cum tamen Ecclesia de hoc nihil hactenùs declaraverit, dubiam reddunt sterilitatem Joachimo & Annæ exprobratam; illius secessionem ad desertum; missionem Angeli nuntiantis utrique Deiparæ ortum: eò vel maximè quòd Lucas qui cap. 1. v. 11. narrat apparitionem Angeli Zachariæ nuntiantis ei conceptionem Joannis non obstante sterilitate, nihil dicit de Missione Angeli ad parentes B. Mariæ ejus ortum prænuntiantis: imo Gabriel ad Mariam missus, ut omnem ab ea suspensionem tolleret, affert quidem exemplum Elisabeth, quæ sterilis concepit filium in senectute sua; nihil tamen de conceptu Annæ Matris ejus, quæ sterilis in senectute eam concepera, locutus fuit; hoc certè velut magis ad rem non prætermissurus. Accedit, quòd Lucas missionem Gabrielis ad Mariam, annuntiantis ei conceptionem Filii Dei, proponit tanquam rem novam etiam ipsi Mariæ, unde turbata cogitabat; non esset autem nova, si parentibus suis fuisset antea prænuntiata: nec est credibile, quòd à parentibus aliquid de hoc Maria non audivisset.

XVIII. Ad hæc, & alia similia de quibus infra, quæ etiam, Apostolorum tempore incertis, nec probatis auctoribus ferebantur, allusisse putat Lucam S. Ambrosius in proœmio ad ejus Evang., quòd ita inchoat: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum*: quæ Lucæ verba expendens Ambrosius, postquam dixit, quòd sicut in Veteri Lege *aliqui Divino Spiritu infusi prophetaverunt; alii autem prophetare se pollicebantur, & professionem deslituebant mendacio*: sic & nunc in Nova: *Unde legimus aliqua, ne legantur, legimus, ne ignoremus; legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus; & ut sciamus qualia sint, in quibus magnifici isti exaltabant cor suum*, subjungit: *Conati itaque illi sunt, qui implere nequiverunt. Ergo multos cœpisse nec implesse, etiam S. Lucas testimonio locupletiore testatur dicens, plurimos esse conatos. Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est, nec implevit*. Propterea ut Evangelio suo fidem conciliet indubiam, dicit se scribere Lucas: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt Sermonis* &c. Cum ergo Lucas plura, quàm ceteri Evangelistæ, de Maria Virgine scripserit, & de iis, quæ præfata apocrypha ut superiùs narrant de ejus mirabili Conceptione, nec verbum

se-

fecerit, non levis conjectura est, Lucam ea existimasse partim non vera, partim incerta & dubia.

XIX. Unde Fulbertus Carnotensis, qui inchoante seculo undecimo floruit, & fortè primus ex Occidentalibus de præfatis apocryphis locutus est, serm. de Ortu B. Mariæ: *Extat verò*, inquit, *quædam non usitata relatio, quæ clarissimi Interpretis Hieronymi prænotatur nomine, referens, Beatum Matthæum post editum Evangelium ortum præfatæ Virginis, atque initiamenta pueritiæ Jesu Christi, ita obscuris manu propria obsignasse litteris Hebraicis, ut nullis Infidelium illud vellet patere superfluis & mordacibus rictibus; quæ tunc à prælibato Interprete feruntur transportata, quibusdam obnixè petentibus, ad Latinæ linguæ notitiam: & quia hæc relatio inter Sacræ Scripturæ Canones non habetur inserta, ideò unanimis Ecclesiæ Conventus in recitando apertè nec omnino eligit, nec in non recipiendo rejicit: cum nonnulla reperiantur dicta vel facta, quæ in præfata serie impossibilia videantur; quæ tamen volentibus & amantibus legere non denegat fidelium industria: nobis autem & omnibus Ecclesiæ filiis satis superque sit fides, & devota credulitas, qua verè eam confitemur Virginem & in ortu & in omni sua operatione.* Ita Fulbertus. Et Eadmerus S. Anselmi discipulus seculi undecimi Scriptor lib. de excellentia Virginis cap. 2. de origine Virginis Mariæ, *Illud*, inquit, *conjicio apud me, nativitatem ejus (quam quidem ex linea generationis humanæ non nescio descendisse) magna quædam atque miranda Divinorum signorum indicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam sibi antequam nasceretur, in Matrem elegit... Nec enim Ecclesiæ Dei inconcussæ auctoritatis ducit ipsam Scripturam, quæ ortum illius ab Angelo prænuntiatum refert*: addensque extare Scripturam, quam ex alia ignoti Auctoris in adolescentia se transtulisse S. Hieronymus fatetur, *non ut aliquam descriptæ rei certitudinem Ecclesiis vellet inferre, sed hoc solo, ut rogantibus amicis simpliciter morem gereret*: concludit: *Unde quemadmodùm dixi, scriptum illud in auctoritatem Ecclesia suscipere noluit: videlicet indecens esse reputans, de Beata Matre Dei quid dubitabile in laudem ejus recitari*. Ex quibus infertur, præfatorum apocryphorum narrationes de conceptu & ortu B. Virginis, de missione Angeli ad parentes ejus, aliisque ut nullius auctoritatis Ecclesiam semper habuisse.

XX. Ut certum tamen semper habuit, B. Virginem modo naturalis generationis fuisse conceptam, & asserentes, B. Annam audita Angeli voce sibi conceptum Mariæ annuntiantis statim ante congressum cum Joachimo concepisse, reprobavit: ideòque an-

anno 1677. à Sede Apostolica damnatus fuit Neapolitanus quidam nomine Imperialis, qui apocryphorum de Ortu Virginis, & Tragœdiæ, quæ inscribitur Christus patiens, deliramenta sequutus, docebat S. Annam absque suæ Virginitatis jactura Mariam concepisse, ex Tillemont. Docum. Hist. Eccl. tom. 1. Nota 4. de Nativ. B. Mariæ. Improbandi quoque videntur, qui imprudenti pietate ducti fingunt, Annæ puerperium absque dolore contigisse, & Mariam absque actu conjugii à Joachimo & Anna, aut saltem in mentis raptu & osculo, in momento, atque excluso astrorum concursu, & sine præscriptis à natura tegumentis editam fuisse. Hæc omnia enim tanquam singularia in Conceptione & Nativitate Christi, quæ sola supra naturalem modum facta est, tradunt Scriptura & Patres.

§. IV.

De Mariæ Præsentatione in Templo.

XXI. NUnc expendenda sunt ea, quæ de B. Virgine post ejus ortum referuntur, de quibus aliqua supra dicta sunt. Referunt ergo, quòd Maria sexto ætatis mense se ipsa ambulare cœpit; quòd triennis præsentata fuit coram Principe Sacerdotum, & toto Populo & Templo dedicata; quòd sine duce ac sustentante ascendit quindecim Templi gradus; quòd à parentibus ibi relicta fuit; in Templo usque ad quartumdecimum annum educata, quo tempore familiari Angelorum conversatione recreabatur, & cibo ab ipsis ministrato alebatur. Quid horum admittendum sit, quid rejiciendum, quid omittendum, videamus: & quidem de ejus ambulatione in ætate sex mensium, & ascensu adhuc triennis ad gradus Templi, fides sit apud Auctores.

XXII. Quoad Præsentationem in Templum, quidam Critici rigidiores suum calculum adjicere etiam hac tempestate abnuunt: cumque eis præsentantur pro ipsa testimonia ex Patribus Joann. Damasceno, Germano Patr. Constantinop., Andrea Cretensi, Georgio Nicomediensi, Cedreno, & Nicephoro, quos laudat Baronius, dicunt, illos esse Recentiores & Græcos, videlicet nimiùm faciles in excipiendis absque delectu Traditionibus: in antiquioribus etiam Græcis nullum extare hujus Præsentationis vestigium, exceptis Nysseno & Nazianzeno, qui ex apocryphis Historiis eam indicant. Dicunt præterea, Festum Præsentationis B. Virginis in Templo, quam Ecclesia Græca, & mo-

modò etiam Latina celebrat, non esse de Maria præsentata in Templo, sed de Maria præsentante Jesum Filium in Templo.

Verùm esto Festum Mariæ præsentatæ in Templo non sit antiquum in Ecclesia Latina, sicut in Græca; quia tamen Ecclesia etiam Latina celebrando hoc Festum approbavit ejus objectum, quod est Maria in Templo præsentata, nescio, quomodo possit in dubium hodiernis temporibus revocari. Festum hoc esse antiquum apud Græcos, apparet ex Constitutione Manuelis Comneni Imperatoris. De ea extant Sermones S. Germani Episc. Constantinop., & Georgii Episcopi Nicomediæ, quos latinè redditos habet Surius tom. 6. Apud Latinos autem ejus memoria non habetur, nisi ab anno 1372., quo Avinione cœptum est celebrari, & anno 1375. in Gallias transivit, ut apparet ex Epist. Caroli V. Francorum Regis de hac re ad Nicolaum Antissiodorensem Episcopum; quo tempore etiam Romæ cœperat peragi: & hoc, teste Tillemontio loco citato, suadente Cypri Cancellario factum fuit, ut hac in re Græcos imitarentur Latini.

XXIII. Non diffiteor quidem cum Cardinali Baronio in Notis Martyrologii ad diem 21. Novembris, antiquitùs Præsentationis Solemnitatem eam esse appellatam, qua Dei Genitrix S. Simeoni infantem Jesum in Templo obtulit, ut antiqua Ritualia, & alia vetusta Ecclesiarum Monumenta, & ipsa insuper Oratio Missæ illius diei apertè indicant: sed hoc nego esse Festum Præsentationis B. Mariæ, de quo hìc agimus; nam illud, ut dicebam, est Festum Præsentationis Jesu Christi in Templo, seu *Purificationis B. Mariæ* apud Latinos, quod peragitur die 2. Februarii quadragesimo post Natale Domini die: & hoc antiquum est, & à Græcis solemnitas *Occursus Domini* dicitur, de quo Patres Græci habuerunt Sermones & Homilias inscriptas *De Occursu Domini*. Istud verò ex dictis recentius, quod die 21. Novembris peragitur, est de Præsentatione, qua Virgo Maria adhuc puella præsentata fuit in Templo, quod tam in Ecclesia Græca quàm modò in Latina minùs solemne est. Et hoc constat etiam ex ipsa Oratione, quæ in Festo hoc Præsentationis B. Mariæ in Ecclesia Latina die 21. Novembris recitatur, in qua diserta tantùm mentio fit Præsentationis B. Virginis in Templo, nulla verò Præsentationis Jesu Christi à Maria Virgine in Templo oblati; sivè eam consideres, quæ sub Paulo III. recitabatur, hæc hisce verbis concepta erat: *Deus, qui Sanctam tuam Genitricem Tabernaculum Sancti Spiritus post triennium in Templo præsentari voluisti* &c.; sivè aliam, quæ à Sixto V. fuit in

locum præcedentis subrogata, & quæ etiam hodiè in publico ac Divino Officio Breviario inserta recitatur, nimirùm *Deus, qui B. Mariam semper Virginem Spiritus Sancti habitaculum hodierna die in Templo præsentari voluisti, præsta quæsumus, ut ejus intercessione in Templo gloriæ tuæ præsentari mereamur*. Cum ergo utraque Ecclesia Græca & Latina Mariam Virginem in Templo præsentatam publicè ac solemniter fateatur, non video, quomodò absque ingenti temeritate dubitari ampliùs possit. Quòd tamen hæc Præsentatio facta fuerit *post triennium*, cum Sixtus V. à Collecta hoc deleverit, videtur, illud non satis exploratum habuisse.

XXIV. Supersunt examinandæ aliæ circumstantiæ, quæ B. Mariæ Præsentationem consequutæ referuntur, nimirùm quòd à parentibus ibi relicta fuerit in Templo undecim annis educata, & quidem in loco, qui dicitur *Sancta Sanctorum*, familiari Angelorum consuetudine recreata, & cibo per ipsos præsentato toto eo tempore nutrita: hoc nedum in præfatis libris apocryphis, sed in Menologio Græcorum legitur, ubi ad diem 21. Novembris pro titulo est: *Ingressus Deiparæ, cum ad Templum præsentata fuit, & in Sancta Sanctorum introducta*: & infra: *Et nutriebatur ab Angelo, donec annum duodecimum attigit*.

§. V.

An fuerit educata in Templo.

XXV. NOn modica difficultas est, quòd B. Maria fuerit introducta in Sancta Sanctorum, & quòd ibi nutriretur ab Angelo. Contra primum videtur militare illud Pauli ad Hebr. 9. ubi distinguens duo Tabernacula in Templo, unum, *in quo erant Tabernacula, & Mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum*: dicit v. 6. *In priori quidem Tabernaculo semper introibant Sacerdotes Sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quem offert pro sua, & Populi ignorantia*: quibus correspondet id, quod præscribitur à Deo Exodi 30. v. 10. *Et deprecabitur Aaron super coruua ejus semel per annum* (in die expiationis) *in sanguine, quod oblatum est pro peccato... Sanctum Sanctorum erit Domino*: & Levit. 16. v. 2. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur*:

un-

unde S. Thom. 1.2. q. 102. art. 3. ad 4. dicit, quòd Tabernaculum distinguebatur in duas partes, in unam, quæ vocabatur *Sancta Sanctorum*, quæ erat Occidentalis; & aliam, quæ vocabatur *Sancta*, quæ erat ad Orientem: & *Sancta* à Sanctis Sanctorum distinguebantur quodam velo; subjungens: *Et ideò in interius Tabernaculum, ideſt* in Sancta Sanctorum, *solus summus Sacerdos, & semel in anno, introibat ... In Tabernaculum verò exterius, ideſt* in Sancta, *introibant Sacerdotes quotidie, non autem Populus, qui solùm ad atrium accedebat.* His ergo ſtantibus difficile creditu ſit, quòd, cum maximè nihil ſpeciale ex Scripturis habeatur, B. Virgo introducta fuerit, & tanto tempore manſerit in *Sanctis Sanctorum*, loco, ad quem, nedum nemo de Populo, ſed nec ipſi Sacerdotes accedere permittebantur, & quòd Summus Sacerdos contra mandatum Dei puellæ hoc conceſſiſſet.

XXVI. Neque difficultas tollitur dicendo, quòd ſoluta Captivitate Babylonica non fuerit tanta loci illius reverentia, quæ olim: unde notæ ſanctitatis viri, etſi pontificali dignitate non aucti illuc admittebantur; Nam de Jacobo Minore narrat Egeſippus apud Euſebium lib. 2. Hiſt. cap. 22. *Huic ſoli licuiſſe in Sancta Sanctorum ingredi.*

Nam hanc evaſionem futilem eſſe, oſtenditur ex Philone in Legatione ad Cajum Imperatorem pag. 1034. ubi ut eum deterreat ab interenda ſtatua ſua in Sancta Sanctorum, velut ab inaudito ſacrilegio: *Nunc*, inquit, *ponetur* (ſtatua) *in intimo Sanctuario, quod ſemel quotannis Pontifex introgreditur jejunii tempore, tantùm odores incenſurus, & ex more vota facturus ... De cetero ſi quis, non dico plebejus Judæus, ſed Sacerdos, vel à Summo proximus, imo is ipſe Pontifex, ſi duobus anni diebus, aut eadem die ter quaterve introierit, capite luet abſque venia. Tantam Religionem adytorum voluit eſſe Legislator, ut hæc ſola inacceſſa injectaque ſervarentur. Quàm multos ſacrificos putas ultrò mortem obituros, ſi videant importari ſtatuam?* Continuabat ergo Philonis tempore, & conſequenter poſt ſolutam Captivitatem, illibata Religio, ne quis præter Pontificem ſemel in anno, etſi Sacerdos eſſet, in Sancta Sanctorum penetraret. Quî ergo credibile eſt, ut Sacerdotes, & Pontifex ipſe, tanto zelo adytum illud cuſtodientes, illuc puellam Mariam introduxerint, non ſemel, ſed ut in eo permaneret, ac undecim annos tranſigeret? Quod verò de Jacobo fratre Domini dicitur, non evincit. Nam ibi dicitur, *unus ex omnibus in intimum Templi Sanctuarium ingrediendi jus, facultatemque habebat.* Si ergo *unus ex omnibus*; ergo aliis non licebat ingredi. Deinde dicitur *in intimum Templi Sanctuarium.*

non in Sancta Sanctorum: intimum enim Sanctuarium duplici parte, ut supra, constabat: una dicebatur *Sancta Sanctorum*: & hanc solus Pontifex semel in anno ingredi poterat; alia dicebatur Sancta: & hanc quotidie ingredi poterant Sacerdotes: hanc ergo Jacobo, utpotè Hierosolymorum Antistiti ingredi fortè permittebatur, & hoc intendit Egesippus. Nec obstat, quòd S. Hieronymus in Catal. Script. Eccles. in *Jacobo Minore*, & S. Epiphanius Hæres. 78. dicant: *Huic soli licitum erat ingredi in Sancta Sanctorum*: nam sumunt totum pro parte, nempe pro *Sancta*: unde addunt, quòd *solus Templum ingrediebatur*, in eam nimirùm partem, quam ingrediebantur Sacerdotes.

XXVII. Dici potest secundò, Dei interdictum, ne quis Sancta Sanctorum ingrederetur, limitari ad tempus, quo Pontifex ibi rem sacram faciebat: ea tamen peracta, licitum erat cuique intrare: unde Levit. 16. v. 17. dicitur: *Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur*. -- Sed verba ista nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium intrat, non sunt intelligenda de interiori parte Tabernaculi, quæ erat *Sancta Sanctorum*; hanc enim, ut dictum est, nemo unquam præter ipsum semel in anno ingredi poterat; sed de parte exteriori, quæ dicebatur *Sancta*: hanc enim ingredi nec Sacerdotes poterant, quando Pontifex in Sancta Sanctorum intrabat, licèt extra hoc tempus eam quotidie Sacerdotes ingrederentur.

XXVIII. Minus credibile videtur, quòd toto eo tempore, quo B. Virgo mansit in Sanctis Sanctorum familiari Angelorum conversatione fuerit donata, ac cibo eorum manu nutrita; tum quia hoc rarum prodigium, exceptis libris præfatis apocryphis, neque ex Scriptura, nec ex probatis Auctoribus colligitur, neque absque gravi fundamento miraculum tale credi debet; tum quia non concordat cum eo, quod scribit Lucas cap. 1., nimirùm, quòd ad primum Angeli ingressum eam salutantis Maria *turbata est, & cogitabat, qualis esset ista Salutatio*: quæ indicant, hanc Angeli apparitionem evasisse ei novam & insolitam: si autem frequenti Angelorum concursu, dum morabatur in Templo, visitata fuisset, & cibo eorum manu nutrita, velut ad rem sibi familiarem, non esset, cur ad aspectum & salutationem Angeli turbaretur. Scio dici posse, Mariam turbatam fuisse, non ad visionem Angeli, sed ad sermonem ejus de Conceptione Verbi. Sed si S. Lucam attendimus, turbata fuit, antequam Angelus quidquam de Conceptione Verbi ei loqueretur. Scio etiam, hoc in Menologio Græcorum, ut supra, referri. At quid factum

sit,

sit, Deus novit. Hoc unum dico, ad hoc asserendum me fundamentum non invenire.

XXIX. Volunt alii, quibus assentitur Baronius in Apparatu à n.49., Mariam Virginem fuisse cum aliis Virginibus Deo dicatis, non quidem in Sancto Sanctorum, sed in Cellulis Templo annexis ad hoc destinatis. Dicunt enim primò, quia teste Josepho lib.8. Antiquit. cap.2. circa Templum, à Salomone primó extructum, Cellæ nonaginta aliæ aliis superpositæ fuerunt; & totidem fuisse in Templo post Captivitatem Babylonicam, ad formam prioris instaurato, verisimile colligitur ex eodem lib.15. Antiqu. cap.14., & lib.6. de Bello Judaico cap.6.

Secundò, quia 4. Regum cap. 11. v.2., & 2. Paralipom. cap.22. v.11. legitur, quòd Josabeth filia Regis Joram, ne Joas filius Ochoziæ cum aliis ejus filiis ab Athalia interficeretur, abscondit eum cum nutrice sua in Domo Domini, eumque ibi clam sex annis servavit in cubiculo Lectulorum.

Tertiò, ut habetur Exodi 38. v.8., & 1. Reg. cap.2. v.22. erant mulieres, quæ excubabant ad ostium Tabernaculi.

Quartò, ut legitur Lucæ 2. v.37. Anna prophetissa *non discedebat de Templo jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte*.

Quintò, tandem 2. Machab.3. v.19. dicitur: *Sed & Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam*, qui tunc Summus Sacerdos erat: quæ de Virginibus conclusis in Templo intelligenda videntur.

XXX. Hæc tamen non videntur tanti roboris esse, ut persuadere possint. Non primum: nam dato, Cellulas illas extitisse etiam Templo instaurato; unde probatur, eas habitationi puellarum Deo dicatarum deservisse, & non potiùs maximam earum partem ad rerum sacrarum custodiam, thesaurorum, vestium, supellectilis &c. fuisse destinatam: aliam verò viris ministerio Templi per vices servientibus, Sacerdotibus, Levitis, Cantoribus, Janitoribus &c. in usum cessisse? Quod si ita erat, publicam honestatem certè non decebat, ut ibi cum Viris Virgines Deo dicatæ morarentur.

Non secundum, nam hoc non probat fuisse in Templo locum, in quo puellæ Deo dicatæ morari solitæ essent. Joas masculus erat, non femina: positus in Templo, non ad castitatis custodiam, sed ad vitæ tutelam: non in loco puellarum, sed in cubiculo Lectulorum, ubi scilicet Sacerdotes cubabant. Potuit autem Josabeth hoc obtinere, cum esset uxor Jojadæ Summi Sacerdotis.

Ne-

Neque est, cur miremur, si in re nova & adeò gravi, censuit Summus Sacerdos solvendam esse Legem, vel morem prohibentem, ne feminæ cubarent in ædibus Templi, destinatis ad quietem & habitationem Sacerdotum, sacro Ministerio vacantium.

Non tertium, non enim ex quo mulieres excubarent seu observarent ad ostium Tabernaculi, statim infertur, quòd in ædibus circa Templum habitationem haberent; & maximè ex eo, quod in Exodo dicitur. Cum enim eo tempore nondum esset fabricatum Templum, consequenter nec aderant cellulæ. Erant ergo mulieres Deo devotæ, quæ veniebant è domibus suis, & statis vicibus ibi orantes manebant. Imo Philo lib. 3. de Vita Moysis dicit quidem, mulieres illas certatim, ac summo ardore, specula sua contulisse, de excubiis tamen ad ostium Tabernaculi silet. Cui consonat Chaldaica Paraphrasis, quæ dicit, quòd mulieres illæ *veniebant, ut orarent in ostio Tabernaculi*: veniebant, inquam, non de cellulis circa Templum, sicut Moniales à cellis ad Chorum & Ecclesiam; tum quia, ut dicebam, cellæ illæ nondum erant constructæ; tum quia dubium est, an cellæ præfatæ mulierum habitationi deservirent: sed è domibus propriis adventabant. Idem dico ad locum ex primo Regum. Quamquam etiam contrariæ opinionis patroni fatentur, quòd mulieres illæ, quas filii Heli constuprabant, non erant Virgines Deo sacræ, sed erant mulieres, quæ in propriis domibus habitantes veniebant ad Templum adoraturæ, & has filii Heli constuprabant: sed ex hoc ego infero, nec etiam mulieres illas, de quibus in Exodo, habitasse circa Templum, sed è propriis domibus ad Deum adorandum venisse; nam in utroque loco sermo est de mulieribus, quæ *excubabant* seu *observabant ad ostium Tabernaculi*: unde Bonfrerius in dictum cap. 38. Exodi: *Nota*, inquit, *mulieres excubantes ad ostium Tabernaculi dici mulieres devotas, quæ frequenter veniebant ad Tabernaculum Deum adoraturæ & exoraturæ*.

Nec quartum: nam Anna prophetissa, de qua Lucas, non erat Virgo, sed vidua: deinde ly *non discedebat de Templo* est locutio emphatica, indicans ejus frequentiam ad Templum, non quòd in Templo habitaret; sicut nec quòd die ac nocte jejuniis & orationibus Deo serviret; aliàs neque ad cellas propè Templum unquam divertisse dicenda esset: illud ergo *die ac nocte* non est referendum ad istud *non discedebat de Templo*, sed potiùs ad istud *jejuniis & obsecrationibus serviens*, juxta illud Pauli 1. Cor. 5. v. 5. *Quæ verè vidua est .... instet obsecrationibus & ora-*

& orationibus nocte ac die. Quem morem servasse Apostolos in Ecclesiæ exordiis eligendo viduas seniores, quæ vel juniorum curam haberent, vel servitio Templi in Baptismo feminarum essent addictæ; de quo egi tom. 4. in 3. p. Tract. de Ordine q. 3. dub. 1. §. 2. n. 7. de Diaconissarum officiis: quod indicat idem Paulus citato loco v. 9. his verbis *Vidua eligatur non minùs sexaginta annis*. Hæ tamen vivebant quidem de eleemosynis Ecclesiæ, quas etiam feminis indigentibus dispensabant, in Templo tamen mansionem non obtinebant.

Neque prodesse videtur quintum. Nam 2. Machab. 3. v. 19. legitur quidem: *Sed & Virgines, quæ conclusæ erant*: non tamen dicitur, quòd conclusæ essent in Templo, vel in Templi ædibus: sed potiùs quòd Virgines, quæ in parentum domibus manebant conclusæ, aliæ procurrebant ad Oniam, aliæ ad Muros, ut communis consternatio exprimatur: unde 3. Machab. 1. v. 15. repetitur: *Et inclusæ Virgines in thalamis cum genetricibus prorupe-runt*, quæ Virginibus inclusis in Templo aptari nequeunt; nam ibi cum genitricibus non manebant. Alluditur ergo ibi (ut notat Calmet in cap. 3. 2. Machab.) ad morem Orientalium, apud quos puellæ ferè nunquam è paternis ædibus prodibant; ideòque Hebræi eas Halamoth, idest conclusas seu absconditas appellabant. Scio, S. Ambrosium dicere lib. 1. de Virginibus: *Etiam in Templo Hierosolymis fuisse legimus Virgines deputatas*: & hoc esse figuram futurorum, nempe Virginum Deo in Nova Lege dicatarum. Sed hoc non evincit, Virgines illas Templo deputatas habuisse continuam in ædibus Templi mansionem: nec enim ab initio Ecclesiæ, neque modò, saltem omnes, Virgines Deo aut Templo per votum castitatis dedicatæ, in Templo aut Templi ædibus habitant, sed non paucæ in propriis domibus degunt.

XXXI. Hæc sunt, quæ me suspensum tenent, né probem aut improbem opinionem contrariam Baronii, & aliorum de educatione B. Virginis in Templo à triennio usque ad quartum decimum suæ ætatis annum, cùm apertè non constet, fuisse in Veteri Lege hanc consuetudinem puellas in ædibus Templo annexis educandi: & insuper quia hoc etiam dato, probandum superesset, quòd in numero talium puellarum fuerit B. Virgo. Nam cum à potentia ad actum absolutè non valeat consequentia in affirmativis, ex eo quòd potuerit B. Virgo in Templo educari, non sequitur quòd revera fuerit ibi educata, nisi aliunde probetur factum.

Nec videtur factum sufficienter probari ex testimoniis, quæ ad-

adducuntur ex Damaſceno lib.4. Fidei Orthod. cap.14., Germano Conſtantin., Andrea Cretenſi, aliiſque à Baronio relatis in Appar. n.48. quibus additur Menologium Græcorum ſuperiùs allatum; tum quia præfati Græci Patres, ut bene notat P. Le Quien in citatum Damaſceni caput, hæc ex libris ſpuriis, qui primo & ſecundo ſeculo prodiere, præſertim ex Evangelio de Nativit. Mariæ, & Proto-Evangelio Jacobi, hauſerunt; tum quia alia permiſcent, quæ ab oppoſitæ opinionis auctoribus non probantur, nempè quòd fuerit educata in Sanctis Sanctorum, Angelorum conſortio frequenter recreata, imo Angeli manu cibo nutrita; tum demum quia de educatione Mariæ in Templo per annos undecim apud Patres Latinos, imo & Græcos antiquiores, altum eſt ſilentium. Quare cum ex his nihil inveniam ab Eccleſia Latina adoptatum, niſi Præſentationem in Templo, hanc ut certam teneo, de aliis nec affirmo, nec nego. Utriuſque partis momenta expendi, ut quiſque eam quæ ſibi magis arriſerit eligere poſſit.

§. VI.

An B. Virgo emiſerit Virginitatis votum, & quando.

XXXII. CAlvinus in Harmon. Evang. ad cap.1. Lucæ, omneſque Lutherani, aliique ſimiles, qui contra Caſtitatis Votum arma moverunt, & à ſuis cœtibus illud abjecerunt, dicunt, B. Mariam ſervaſſe quidem Virginitatem, nullo tamen Voto ad eam ſervandam ſe obligaſſe. Catholici tamen omnes Veteres ac Recentiores B. Virginem Virginitatis votum emiſiſſe fatentur. Solùm inter eos controvertitur de tempore, quo tale votum emiſit; & an fuerit abſolutum, an conditionatum. De primo in §. præſenti ſermo erit.

XXXIII. Quare dico contra Heterodoxos, certum eſſe Beatam Mariam Votum perpetuæ Virginitatis emiſiſſe. Hoc ipſamet teſtata fuit, quando Lucæ 1. ab Angelo ſalutata & monita, futurum eſſe, ut ipſa conciperet & pareret Altiſſimi Filium v.31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium* &c. hoc fieri non poſſe reſpondens: *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, ideſt cognoſcere non poſſum? Si enim ſolùm cognitionis actum, quem nunquam habuiſſet, eo verbo ſignificaſſet, ſtante nihilominùs potentia virum cognoſcendi, manis profectò fuiſſet objecta difficultas: nam Angelus proponebat ei partum ut futurum; non repugnat autem puellæ, quæ nondum cognovit, ſi ta-

si tamen sit virum cognitura, proponi conceptum & partum ut futurum; nec repugnat, Virginem esse cogniturarn virum, nisi votum & propositum servandi virginitatem obstat. Dum ergo dixit *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* significare voluit impotentiam, in qua posita erat, virum unquam cognoscendi: eo ferè modo, quo si abstemius proponenti sibi vinum ad bibendum dicat *Vinum non bibo*; & cæcus invitatus ad videndum respondeat *lumen cœli non video*; uterque indicat impotentiam, ille ad bibendum vinum, iste ad cœli lucem videndam.

XXXIV. Ita discurrunt Patres: Augustinus lib. de Sancta Virginitate cap. 4. *Ipsa quoque*, inquit, *virginitas ejus ideò gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret, ipse præripuit; sed priùs quàm conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit*: Quomodò, *inquit*, fiet istud, quoniam virum non cognosco? *Quod profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset; sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa jam voverat..... Virginitatem Deo voverat, cum adhuc quem esset conceptura nesciret, ut in terreno mortalique corpore cœlestis vitæ imitatio voto fieret non præcepto, amore eligendi non necessitate serviendi. Ita Christus nascendo de Virgine, quæ antequam sciret, quis de illa fuerat nasciturus, Virgo statuerat permanere, Virginitatem Sanctam approbare maluit, quàm imperare. Ac sic etiam in ipsa femina, in qua formam servi accepit, Virginitatem esse liberam voluit*. Et consequenter magis laudabilem: nam S. Thom. 3. p. q. 28. a. 4. post relata S. Augustini verba, ait: *Perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex Voto celebrentur; Virginitas autem in Matre Dei præcipuè debet pollere: & ideò conveniens fuit, ut Virginitas ejus ex voto esset Deo consecrata*.

Videatur idem Augustinus Serm. 225. (aliàs 53. de diversis) cap. 2. ubi habet: *Quando ei nuntiavit Angelus ait*,, Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?,, *Si cognoscere disponeret, non miraretur. Illa admiratio, propositi est testificatio*: & Serm. 291. (Edit. Maurinæ) *sed illa propositi sui memor, & sancti voti conscia, quia noverat quid voverat, dicendo*,, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?,, &c. Ecce ex ipsis Mariæ verbis probatum Virginitatis Votum antea ab ipsa emissum.

Gregorius Nyssenus Orat. in diem Natalis Christi ita loquentem Mariam inducit: *Interdixi mihi consuetudinem viri,*

quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco? Quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramque præstare: idcircò licèt, inquit, Angelus sis, licèt è cœlo venias, licèt id quod ostenditur, naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Porrò quid est sibi viri consuetudinem interdixisse, quid est virum cognoscere nefas esse, & quidem mulieri jam nuptæ; nisi quia Virginitatis Voto jam se obstrinxerat?

XXXV. Idem alii Patres: Beda in cap. 1. Lucæ, „ *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?*, „ *Propositum suæ mentis reverenter exposuit, vitam, scilicèt, Virginalem se ducere decrevisse.* Quid autem est illud mentis propositum, quid Virginalis vitæ ducendæ decretum, nisi votum?

S. Bernardus Homil. 2. super Missus est: *Dedit ergo*, inquit, *Virgini partum, qui ei jam ante & Virginitatis inspiraverat votum*: Homil. 4. *Nec enim quærit, an fiet istud, sed quomodo? quasi dicat: cum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud?* Quod repetit Serm. 4. de Assumtione, & Serm. Dominicæ infra octav. Assumt.

Ex præfatis S. Bernardi verbis tollitur, si qua fortè irreperet suspicio, quòd Mariæ interrogatio ex incredulitate aliqua, vel dubietate de eventu processerit: non enim quæsivit *an fiet*, sed *quomodò fiet*, nempè modum & ordinem, quo conceptio & partus ei ab Angelo prænuntiatus faciendus esset. Legerat illa quidem apud Isaiam cap. 7. vers. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, & hoc certò credebat; sed modum, quo hoc fieri debebat, apud Prophetam non legerat, & ideò ab Angelo scisciabatur. Ita Beda loco citato: *Quia ergo*, inquit, *legerat*, „ *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium*, „ *sed quomodo id fieri posset non legerat, meritò credula iis, quæ legerat, sciscitabatur ab Angelo, quod in Propheta non invenit.* Unde ab Angelo edocta modum, dicente *Spiritus Sanctus superveniet in Te* &c. statim subjunxit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.*

XXXVI. Propterea S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ expendens responsum Zachariæ Angelo nuntianti sibi futurum ortum Joannis, & Mariæ Angelo annuntianti sibi conceptum & partum Christi, dicit illud ex incredulitate processisse, & ideò silentio fuisse punitum; istud verò ex desiderio sciendi mysterium: *Etenim cum dicit*, „ Quomodo fiet istud?, „ *Non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus. Quantò temperantior ista re-*

spon-

ſponſio, quàm verba ſunt Sacerdotis? *Hæc ait?* quomodo fiet iſtud?„ *Ille reſpondit* „ unde hoc ſciam? *Hæc jam de negotio tractat, ille adhuc de nuntio dubitabat. Negat ille ſe credere, qui negat ſcire, & quaſi fidei alium quærit auctorem: iſta ſe facere profitetur, nec dubitat eſſe faciendum, quod quamodo fieri poſſit inquirit: ſic enim habes* „ Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognovi? „ *Incredibilis & inaudita generatio, ante audire debuit, ut crederetur. Virginem parere Divini eſt ſignum myſterii, non humani. Denique, accipe inquit ſignum tibi* „ Ecce Virgo in utero accipiet & pariet Filium „ *Legerat hoc Maria, ideò credidit futurum; ſed quomodo fieret, ante non legerat: non enim quomodo fieret, vel Prophetæ tanto fuerat revelatum. Tantum enim mandatum myſterii, non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum.* Hucuſque Ambroſius.

XXXVII. Audire præſtat & Auguſtinum, hoc idem dubium verſantem atque ſolventem Serm. modò 291. *Promittitur Zachariæ filius, promittitur & Sanctæ Mariæ Filius, & dicit etiam ipſa penè ipſa verba, quæ dixerat Zacharias. Quid enim dixerat Zacharias?* „ Unde mihi hoc? Ego enim ſum ſenex & uxor mea ſterilis, & progreſſa in diebus ſuis „ *Quid & Maria Sancta?* quomodo fiet iſtud? „ *Similis vox, diſſimile cor: vocem ſimilem aure audiamus, cor autem diſſimile Angelo pronuntiante diſcamus.... In illis ergo verbis Zachariæ non fuiſſe fidem, ſed dubitationem & deſperationem Angelus vidit, Angelus inaicavit vocem tollendo, infidelitatem damnando. Sancta verò Maria* „ Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? „ *Agnoſcite propoſitum Virginis. Quando diceret concubitura cum viro* „ Quomodo fiet iſtud? „ *Si enim fieret, quomodo de omnibus infantibus fieri ſolet, non diceret, quomodo fiet? Sed illa propoſiti ſui memor, & Sancti Voti conſcia, quia noverat, quid voverat, dicendo* „ Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? „ *quoniam non noverat, hoc fieri, ut filii naſcerentur niſi conjugatis, & concumbentibus cum viris ſuis, quòd ipſa propoſuerat ignorare; dicendo* Quomodo fiet iſtud? *modum quæſivit, non de Dei omnipotentia dubitavit.* Quomodo fiet iſtud? *Quis modus eſt, quo fiet iſtud? Annuntias mihi Filium, habes meum paratum animum; dic mihi modum. Potuit enim Virgo Sancta metuere, aut certè ignorare conſilium Dei, quomodo eam vellet habere Filium, quaſi improbaſſet Virginis votum... Vide Angelum ſcientem, illam quærentem, non diffidentem. Quia ergo vidit eam quærentem non diffidentem, non ſe negavit inſtruentem. Audi quomodo: erit Virginitas tua, tu tantùm crede veritatem, ſerva Virginitatem, accipe integritatem. Quoniam integra eſt fides*

tua, intacta erit & integritas tua. Denique audi quomodo fiet istud„ Spiritus Sanctus superveniet in Te „ &c. His Augustini verbis ad rem præsentem patet, Mariam Virginitatis Votum non opposuisse, quasi dubitaret aut ignoraret Messiam de Virgine nasciturum, sed cum nativitatis modum nesciret, de hoc ab Angelo instrui postulasse.

XXXVIII. Ex dictis ergo, ut ad rem præsentem revertamur, certò constat, Mariam Virginitatis Votum emisisse, & hoc ante Legationem Gabrielis. Quo autem ætatis suæ anno, seu tempore illud emiserit, incertum est. Attamen illud emisisse, etiam antequam à Joseph desponsaretur, indubitatum censeo: ita enim Veteres, ac Patres sensisse, judico. Nam Gregorius Nyssenus Orat. in diem Natalem Christi jam citata, ait: *Non liberorum causâ Josepho nupsit, quin imo nefas illi fuit cognoscere virum*. Unde nefas hoc illi fuisset, nisi quia voto Virginitatis ante erat obstricta? Hinc S. Augustinus lib. de S. Virginit. cap. 4. *Desponsata*, inquit, *est viro justo, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa jam voverat*: & Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. sic Mariam alloquitur: *Quia votum egregium Deo prima vovisti, votum Virginitatis, attamen sponsi nomen admisisti, desponsari viro non renuisti*. Votum ergo Virginitatis desponsationem antecessit. Et sanè: nam si ante desponsationem votum non emisisset, matrimonium cum Josepho iniisset animo cognoscendi virum, ab hoc enim solùm retrahi poterat à voto Virginitatis ante emisso; hoc autem singulare ejus Virginitatis elogium obscuraret. Nam etsi postea illud edidisset, habuisset multas Virgines excellentiores se, quibus nullus unquam ejusmodi fuit animus & consensus in conjugalem actum. Nec hoc fuisset singulare in illa; cum non paucæ extiterint, quæ post nuptias votum continentiæ de viri consensu perpetuæ emiserint & servarint.

XXXIX. Aliqui ergo sentiunt, Mariam Virginitatis votum in primo instanti usus rationis emisisse: & quia censent, eam usu rationis donatam fuisse in primo instanti suæ Conceptionis; quo sicut à peccato originali præservata, & omni auctâ sanctitate fuit; ita in eodem instanti censent, se suumque corpus Deo primò per votum obtulisse. Fuisse autem ab eo primo Conceptionis suæ instanti usu rationis præditam, ducunt ab exemplo Jeremiæ, & Joannis Baptistæ, qui ex quo sanctificati in utero matris, usum rationis in eodem momento obtinuere. Dici autem non debet, Matri Dei defuisse, quod aliis minoris sanctitatis Dei dono adfuit.

XL. Pia

XL. Pia quidem hæc assertio est; cujus tamen omnimodæ certitudini obstare videtur primò, tum silentium, nedum Scripturæ, sed Patrum, apud quos de hoc anticipato usu rationis B. Virgini in sua Conceptione concesso nihil reperitur, & multò minùs quod ab eo instanti votum Virginitatis emiserit; tum, quia S. Thom. 3.p. q.27. a.3. dicit, B. Virginem fuisse in utero sanctificatam, *non quidem per actum rationis suæ, sicut in Viris sanctis, quia non habuit usum liberi arbitrii adhuc in ventre matris existens: hoc enim est speciale privilegium Christi.* Secundò, quia ex Conceptione etiam sine labe peccati originalis, expresè hoc non videtur sequi. Nam nec pueri, qui concepti fuissent in statu innocentiæ, habuissent à momento Conceptionis usum rationis: imo nec nati habuissent statim cognitionem, nisi competentem statui illi, ut ostendi tom.6. in 1. p. q.3. *De statu hominis Innoc. quoad animam* dub. 6.; ut enim docet S. Thom. 1.p. q. 101. art.1. *de iis, quæ sunt supra naturam, soli auctoritati creditur. Unde ubi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ conditionem.* Cum ergo de hoc, quòd Maria in primo instanti suæ Conceptionis habuerit usum liberi arbitrii, auctoritas tum Scripturæ tum Patrum deficiat; ea enim verba ad Hebr. 10. v.5. *Corpus autem aptasti mihi . . . tunc dixi, ecce venio*, de solo Christo, qui in primo suæ Conceptionis instanti se se obtulit Patri, dicit Paulus; & ex eo Interpretes: quod autem hoc etiam Mariæ ejus Matri datum sit, quòd in momento suæ Conceptionis se se obtulerit Deo, auctoritas non dicit; dicendum videtur, quòd S. Thom. q.18. de Verit. art.7. de pueris in statu innocentiæ natis dicit: *Si autem aliquid aliud ex Divina gratia eis fuisset collatum supra id, quod naturæ integritas requirebat, hoc asseri non potest, cum non habeatur ex auctoritate expressum.*

XLI. Ad id, quod de Jeremia & Joanne Baptista dicitur, Respondeti potest cum August. Epist. 187. (aliàs 57. cap. 12.) quoad Jeremiam: *Quòd illa, priusquam exiret de vulva, sanctificatio Jeremiæ, quamquam nonnulli hoc in typum Salvatoris accipiant, qui regeneratione non eguit; tamen etiamsi de ipso Propheta accipiatur, potest & secundùm prædestinationem non inconvenienter intelligi*: quatenus dum adhuc esset in utero prædestinata fuerat ejus sanctificatio. Addo quòd etsi Jeremias fuerit adhuc in utero actu sanctificatus, non inde sequitur, quod tunc usum rationis habuerit; nam etiam infantes dum baptizantur, sanctificantur, & tamen tunc usum rationis non habent, quidquid in contrarium dicat Lutherus.

Quoad Joannem Baptistam idem S. Augustin. Epist. laudata

data cap.7. dubitat, an in eo acceleratus fuerit usus rationis, dum adhuc esset in utero: *Nam*, inquit, *neque cum hoc ante in Evangelio narraretur, dictum est*, credidit *infans in utero ejus, sed* exsultavit: *Neque ipsa*, Elisabeth, *dixit, exsultavit* in Fide *infans in utero meo, sed* exsultavit in gaudio. *Videmus autem exsultationem non solùm parvulorum, sed etiam pecorum, non utique de aliqua Fide vel Religione, vel qualicumque rationali cognitione venientem.* Addit tamen, quod hæc exsultatio Joannis ad adventum Matris Dei, utpotè nova & inusitata, in magnis signis est deputanda: *Ideò hæc exsultatio, & tanquam Matri Domini reddita resalutatio, sicut solent miracula fieri, facta est divinitùs in infante, non humanitùs ab infante.*

Quamquam etiamsi usque adeò est in illo puero acceleratus usus rationis & voluntatis, ut intra viscera materna jam posset agnoscere credere consentire, quod in aliis parvulis ætas expectatur ut possint; etiam hoc in miraculis habendum Divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ. Ita ex eodem S. Augustin. D. Thomas 3.p. q.27. art.6. Qui tamen probabiliùs putat, Jeremiam & Baptistam sanctificatos fuisse in utero, non tamen in utero usum rationis habuisse: *Sicut etiam pueri, qui sanctificantur per Baptismum, non statim habent usum liberi arbitrii.*

XLII. Ex his concluditur, quòd si B. Virgo usum rationis habuit probabiliter in primo suæ Conceptionis instanti (quod libentiùs affirmo, eo vel maximè, quia hoc fuisse Joanni Baptistæ sexto post Conceptionem mense concessum probabile esse etiam ex Augustino inferius dicam; nihil autem B. Mariæ est denegandum, quod esse aliis concessum existimatur) hoc non potuit fieri sine miraculo: ex hoc tamen non concluditur determinatè, quòd tunc votum Virginitatis emiserit, seu quòd Deo tunc obtulerit non solùm animam, sed etiam corpus; & quod utrumque illi in illo momento occurrerit. Quare certum quidem est, B. Virginem votum perpetuæ Virginitatis emisisse, sed quo tempore illud emiserit, antequam Josepho desponsaretur, videtur incertum. Crediderim quidem, eam, ex quo momento de Virginitate ac usu conjugii cœpit cogitare, votum emisisse; sed an hoc fuerit primum momentum usus rationis, determinare non audeo.

***

§. VII.

Quale fuerit B. Virginis Votum.

XLIII. SUppono certum, Deiparam mortalium primam ex motivo Religionis Virginitatem Deo vovisse, & eandem ex Voto servasse. Hoc enim indicant Patres, qui rem hanc attigerunt, Origenes in cap.13. Matth. *Arbitror*, inquit, *rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Jesum, muliebris verò Mariam. Non enim plausibile est, alii præter hanc Virginitatis primitias adscribere*: S. Ambrosius lib. de Inst. Virg. cap.5. *Egregia igitur Maria, quæ signum Sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ Virginitatis pium Christo vexillum levavit*: & cap.6. vocat eam *Virginitatis Magistram* Hieronymus Epist.22. (modò 18.) ad Eustochium dicit *Virginitas in Maria dedicatur, & Christo*: Augustus Tract.10. in Joan. A Maria *cœpit dignitas Virginum*: quæ de Virginitate ex voto servata intelligenda esse constat, quia Virginitatem citra votum alios & alias ante Mariam coluisse, nemo nescit, ut de Josue, Elia, Eliæo, Jeremia, Daniele, & aliis perspicuum est; & de Maria Sorore Moysis, quòd manserit Virgo, sentiunt D. Ambrosius lib.1. de Virginibus, & Gregorius Nyssenus lib. de Virginit. cap.19., quamvis contrarium sentiat Josephus lib.3. Antiquit. cap.2.

Clariùs tamen fuisse primam B. Virginem, quæ Virginitatis voto se dedicaret, asserunt Beda in cap.1. Lucæ dicens: *Quæ prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curavit* &c.; quid autem est se *mancipare*, nisi se obligare Virginitati per votum? Quod clariùs expresserunt, tum Rupertus lib.3. in Cantica supra citatis verbis: *Quia votum egregium Deo prima vovisti, votum Virginitatis* &c. Tum Bernardus serm. de Domin. infra octav. Assumt. dicens: *De cetero sanè Virginitatem carnis, & propositum Virginitatis, maximè & ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat: quod videlicet in libertate Spiritus Legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniam vovit.*

XLIV. Nec mihi quis opponat, filiam Jephtæ apud Judæos, quasi ista voto Virginitatem ad obitum usque servarit; aut Vestalium apud Gentiles: nam filia Jephte non fecit votum, sed Jephte pater ejus; nec votum fecit de ea in Virginitate custodienda, sed de ea in holocaustum Deo offerenda. Voverat enim

ut

(ut habetur Judicum cap. 11.) si Deus dedisset illi victoriam contra Ammonitas, se oblaturum ei in holocaustum, quicumque sibi à prælio revertenti primus occurrisset; cumque prima, quæ ei occurrit, fuerit ejus filia adhuc innupta, hanc se teneri Deo offerre existimavit, & re ipsâ obtulit. Quid autem hic de voto Virginitatis? Verum quidem est, quòd illa fati sui conscia effecta, rogavit patrem, ut sibi permitteret priùs deflere duobus mensibus Virginitatem suam; sed hoc non petiit amore Virginitatis ad mortem usque servandæ, sed potiùs dolore, quòd Virgo ac sterilis teneretur occumbere; nimirùm quòd nulla relictâ in Israele posteritate esset interitura: probrosa enim, & opprobrii nota tunc temporis erat sterilitas ac infœcunditas: quod potiùs evincit, Virginitatis votum consuetudini illorum temporum fuisse contrarium.

XLV. Quod attinet ad Vestales dico, apud Gentiles fuisse quidem Virgines, quæ ex decreto Numæ Pompilii Templo Deæ Vestæ inserviebant, Vestales propterea dictas; at hæ, durante quidem ministerio à nuptiis abstinebant, non tamen in eo totâ vitâ permanere tenebantur; sed expleto trigesimo anno teste Dionysio Halicarnassæo nubere poterant. Has improbans S. Ambrosius lib. 1. de Virginibus: *Quis mihi*, inquit, *prætendit Vestæ Virgines & Palladis Sacerdotes? Qualis est ista, non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? Petulantior est talis integritas, cujus corruptela seniori servatur ætati. Ipsi docent, Virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui Virginitati finem dederunt. Qualis autem est Religio ubi pudicæ adolescentes jubentur esse impudicæ anus? Sed nec illa pudica est, quæ Lege tenetur, & illa impudica, quæ Lege dimittitur. O mysteria, o mores, ubi necessitas imponitur castitati, auctoritas libidini datur!* Sed quid etiamsi Vestales vovissent? Votum illud proprio nomine censendum non esset, quia non vero Deo, sed falso editum, nec Religione, sed superstitione servatum.

XLVI. Nunc ad propositum dubium accedendo, S. Thomas 3. p. q. 28. art. 4. dicit, quòd: *Quia tempore Legis oportebat generationi insistere tàm mulieres, quàm viros, quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo Populo Christus nasceretur; Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolutè Virginitatem vovisse: sed licèt eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam Divino commisit arbitrio. Postmodum verò accepto sponso, secundùm quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum Virginitatis emisit.* Quibus videtur S. Doctor sentire, Beatam Virginem primò vovisse Virgi-

ginitatem solùm conditionatè, nempè si Deo placeret.

XLVII. Volunt tamen non pauci, Votum Virginitatis à Deipara emissum ante desponsationem fuisse absolutum, non conditionatum. Primò, quia SS. Patres superiùs relati votum Virginitatis ab ea emissum votum simpliciter tale celebrarunt; imo aliqui illud proponunt in exemplum ceteris Virginibus; istæ autem vovent absolutè.

Secundò, quia si vovisset solùm conditionatè, si Deo placeret, non exhorruisset ad vocem Angeli ei annuntiantis conceptum, & partum dicens,, Quomodo fiet istud?,, Nam ad tale nuntium statim intellexisset, Deo non placere ejus Virginitatis votum, & proinde se esse à voto solutam.

Tertiò, quia nullum in Veteri Lege erat præceptum de Matrimonio à singulis contrahendo, quod constat exemplo plurium Sanctorum Virorum, Josue, Eliæ, Elisæi, Jeremiæ & aliorum, qui in Veteri Lege à nuptiis abstinuere. Et dato etiam, quòd pro eo tempore, quo genus humanum & fidelis Populus erat multiplicandus, extitisset præceptum de prole procreanda; tempore tamen B. Mariæ, quo Populus erat sufficienter multiplicatus, istius præcepti obligatio jam cessaverat. Ita enim docet S. Thomas in 4. dist. 33. q. 3. art. 2. ad 2. *Non est inconveniens, aliquid esse illicitum uno tempore, quod est licitum vel virtuosum si alio tempore fiat: & ideò si in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani vel cultus Divini homines operi conjugali insistere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem servasset, fuisset in extremo diminutionis, quia abstinuisset à delectabili omni, quando non debuisset. Sed posteu facta multiplicatione humani generis, vel colentium Deum, sufficienti, non peccasset Virginitatem servans etiam in Lege Moysi; vel in statu naturæ integro, si homo non peccasset, non feciisset contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per alios, sed supra præceptum.*

XLVIII. Verùm hæc, ut opinor, sententiam S. Thomæ non lædunt, si benè explicetur. Suppono enim, B. Virginem non semel, sed pluries ante desponsationem de servanda Virginitate cogitasse, & plures actus circa eam habuisse: & primò quidem ejus desiderium coram Deo expressisse; sed quia videbat contrariam esse suæ Gentis consuetudinem, & maximè circa puellas, quæ cum essent unicæ & hæredes debebant alicui de domo & familia sua desponsari, ne hæreditas ad alienos transiret, nec adhuc sciret circa hoc voluntatem Dei; propterea Virginitatem suam hoc actu vovit quidem, & obtulit, sed sub conditione saltem tacita, si Deo placeret, & hoc illi acceptum es-

set: & in hoc actu, qui fuit voti inchoatio, non complementum, propositum suæ Virginitatis non minuit, sed auxit, quia illud non solùm Religionis, sed & Obedientiæ merito decoravit: & hoc indicavit S. Thom. dicto art. 4. 3.p. q.28. cum dixit, non credi eam *absolutè Virginitatem voviſſe: ſed licèt eam in deſiderio habuerit* (non dicit voverit) *ſuper hoc tamen voluntatem ſuam Divino commiſit arbitrio*.

Cum verò ſtatim etiam ante desponſationem ei revelatum fuit Virginitatem ſuam Deo fore acceptam, votum abſolutum de ea perpetuò ſervanda emiſit. Hinc factum eſt, ut cum poſt desponſationem ſuperveniens Gabriel ei conceptum & partum futurum annuntiaret, conterrita, quia ex una parte ſciebat, votum ſuum de perpetua Virginitate Deo fuiſſe acceptum, & ex alia ejuſdem Dei nomine prænuntiabatur futura Mater, neſciens modum, quo id faciendum eſſet, reſponderit: *Quomodo fiet iſtud?* Has Mariæ anguſtias expreſſit Bernardus Homil. 4. ſuper Miſſus eſt inducens Mariam Angelum ſic alloquentem: *Cum ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ votum eſſe Ancillæ ſuæ non cognoſcere virum; qua Lege, quo Ordine placebit ei, ut fiat iſtud? Si oportuerit me frangere votum ut pariam talem Filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito; fiat tamen voluntas ejus*: Quibus apertè apparet, eam tunc probante Deo jam emiſiſſe abſolutum Virginitatis votum; & hoc etiam ipſe S. Thomas citato loco ad primum fatetur dicens: *Poſtquam autem ei innotuit, hoc eſſe Deo acceptum, abſolutè vovit, antequam ab Angelo annuntiaretur*.

XLIX. Dixi, B. Virginem votum Virginitatis abſolutum emiſiſſe etiam ante desponſationem. Quia tamen S. Thomas videtur eſſe contrarius, dum citato loco ad tertium apertè dicit, quòd *Mater Dei non fecit* (votum abſolutum) *antequam Joſeph desponſaretur: ſed poſt desponſationem ex communi voluntate ſimul cum ſponſo ſuo votum Virginitatis emiſit*.

Propterea dico primò, mentem S. Thomæ fuiſſe, non quòd tunc primò votum Virginitatis abſolutum emiſerit, ſed quòd votum, quod ſeorſim antea emiſerat, ſimul cum Joſepho poſt desponſationem renovarit. Quod colligo ex eodem S. Thoma in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. q. 2. ad 2. ubi ait: *Quòd B. Virgo antequam contraheret cum Joſeph fuit certificata divinitùs, quòd Joſeph in ſimili propoſito erat*. Antequam ergo desponſaretur erat certificata divinitùs, quòd votum ſuum Deo placeret, & proinde ante abſolutè voverat, ſed quod ſolo corde conceperat, ſimul cum Joſeph etiam voce expreſſit.

Dici poteſt ſecundò cum aliis, hanc de Voto abſoluto edi-

to

to post desponsationem, non fuisse fixam S. Thomæ sententiam; sed in venerationem S. Augustini, cui tunc respondebat, & qui à Gratiano Can. *Sufficiat* Causa 27. *q.* 2., & à Mag. sent. in 4. *dist.* 30. supponebatur ita scripsisse lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 11. & 12.: quod falsum esse ob penuriam Codicum S. Thomas deprehendere non potuit. Cum igitur S. Augustinus oppositum potiùs dicat, tum lib. de S. Virginit. cap. 4., tum lib. 5. contra Julian. cap. 12., idipsum quoque S. Thomas sensisse dicendus est.

L. Statutô ergo, quòd Maria ante desponsationem votum absolutum Virginitatis emiserit priùs certificata, quòd hoc Deo placeret, non obstant argumenta contraria. Non primum, quia Patres dicunt quidem, B. Virginem absolutè Virginitatem vovisse, sed non dicunt eam sic vovisse cum de Virginitate cœpit cogitare: imo hoc exemplo docentur Virgines, ne temerè nisi precibus exploratâ priùs Divinâ voluntate in vota absoluta erumpant.

Non secundum, quia ex dictis ad nuntium Angeli Maria exhorruit, non quia dubitaret, an votum à se emissum Deo placeret; sed quia adhuc ignorabat modum, quo, salvo voto à Deo approbato, ipsa posset fieri Mater.

Neque tertium, quia non dicimus, B. Virginem à voto absoluto Virginitatis primò emittendo fuisse detentam aliqua Lege hoc prohibente, sed prudenti consilio explorandi voluntatem Dei, attentâ maximè consuetudine illius temporis, qua ejusmodi vota erant insolita, & ut diximus, inaudita; & ideò ab ipsa sumere debebant exordium; ut enim dicit S. Thom. 3. p. q. 28. art. 4. citato ad secundum: *Sicut gratiæ plenitudo perfectè quidem fuit in Christo; & tamen aliqua ejus inchoatio præcessit in Matre: ita etiam observatio Consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incœpit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine Matre ejus.*

CAPUT IV.

De Matrimonio inter Mariam & Joseph.

§. I.

Variæ opiniones.

I. MODUM, quo Maria Josepho tradita fuit, duo præcitata apocrypha, nimirùm Evangelium Mariæ & Proto-Evangelium Jacobi, ita describunt: Cum Maria in Templo degens ad quartum decimum, seu duodecimum, suæ ætatis annum, sanctâ conversatione omnes qui eam noverant in admirationem rapiens, pervenisset; & mos esset, ut Virgines, quæ hoc ætatis tempus expleſsent, domum reverterentur, ut nuptias inirent; Pontifex Zacharias omnibus ejus ætatis in Templo constitutis Virginibus hoc mandatum intimavit. Ceteris acquiescentibus, sola Maria se facere non posse respondit, asserens, se Domino Virginitatis voto mancipatam. Ad hæc verba in angustia constitutus Pontifex, cum nec votum infringendum putaret, nec morem genti suæ insuetum introducere vellet, re cum Primoribus occasione solemnitatis collata, communi voto Deum super hoc esse consulendum statutum est. Nec mora, cunctis enim audientibus, vox de Propitiatorii loco facta est: *Egrediatur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini* &c. Ex hoc ergo Isaiæ vaticinio intelligentes, cui tradenda ac desponsanda esset Virgo Maria, cunctos de domo & familia David nuptui habiles, & non conjugatos, virgas suas ad Altare afferre jusserunt, ut cujus virgula florem germinasset, & in ejus cacumine Spiritus Domini in specie Columbæ insedisset, is esse dignosceretur, cui Virgo commendari ac desponsari deberet.

Aderat inter ceteros de domo & familia David Joseph ætate grandævus, qui tamen cunctis virgas suas offerentibus solus virgam suam subtraxit. Sed cum nihil Divinæ voci consonum apparuisset, Pontifex iteratò Deum consuleudum putavit. Qui respondit, solum illum, qui ex designatis virgam suam non attulisset, Virginem desponsare debere. Proditus itaque est Joseph, qui cum virgam suam attulisset, & in cacumine ejus Columba de cœlo veniens consedisset, liquidò omnibus patuit, ei Virginem desponsandam fore. Igitur nuptiarum jure de more ce-

celebrato, Joseph in Bethlehem recessit domum suam dispositurus, & nuptias paraturus. Maria autem cum septem aliis Virginibus coævis & collactaneis ad domum parentum suorum in Galilæam reversa est: Hæc ex Evang. de Nativ. Mariæ.

II. Similia refert Proto-Evangelium, quamvis discordet primò, quia facit Mariam solum duodecimum annum agentem, quando Josepho nupta est. Secundò, quia facit Josephum viduum, & filios habentem. Eum enim inducit conjugio reluctantem his verbis: *Filios habeo, & sum senex, ipsa autem est juvencula: unde timeo, ne ridiculus fiam filiis Israel.* Cum verò Summus Sacerdos ei comminatus fuisset Dei indignationem, ob talem contradictionem: *Territus Joseph illam accepit, & dixit illi, Maria, ego te accipio de Templo Domini, & derelinquam te domi, & vadam ad exercendam meam ædomicam, fabrilemve artem, & redibo ad te: & Dominus custodiat te in omnibus diebus.* An verò Joseph fuerit viduus, & filios genuerit, & adeò senex, quando Mariam sibi desponsavit, infra videbitur.

III. Porrò Mariam fuisse Josepho desponsatam in Matrimonium, negarunt aliqui volentes, eam sub Desponsationis nomine traditam fuisse Josepho in meram Custodiam. Ita apud Baronium in Apparatu num. 59. ex Traditionibus Judaicis asserere videtur Gregorius Nyssenus Orat. in Natal. Domini, nimirùm quòd Sacerdotes anxii, quid de Maria statuerent: cum enim scirent, eam Virginitatis perpetuæ voto se Deo consecrasse, & indignum judicarent, corpus jam Deo consecratum tradere, ac potestati hominis subjicere, eam verò intra Templum unâ cum Sacerdotibus servare nec usitatum esset nec gravitatem rei, & honestatem deceret: *Divinitùs incidit consilium, ut darent eam cuidam viro nomine Desponsationis, is autem ad custodiendam Virginitatem ejus idoneus. Inventus est igitur Joseph talis, qualem ratio consilii requirebat ex eadem cum Virgine familia & Tribu: isque de consilio Sacerdotum sibi puellam desponsat: conjunctio autem non ultra sponsalia progrediebatur.* Idem scribit Epiphanius in Panario hæres. 78. & in Anchorato, addens, Mariam non fuisse illi traditam ad conjunctionem, quoniam viduus erat, sed propter Legem virum ejus vocatum esse. Quibus si per Desponsationem sola conjunctio maritalis intelligeretur, stante tamen veri Matrimonii substantiâ, non dissentirer: verùm quia videntur velle, solam Mariæ custodiam nomine Desponsationis traditam fuisse Josepho, hoc probari non potest, ut infra dicetur.

IV. Propterea alii putarunt, Joseph dictum fuisse Virum Ma-

Mariæ secundùm Vulgi æstimationem, eo modo quo dictus fuit Pater Christi. Alii voluerunt, inter Mariam & Joseph inita tantùm fuisse Sponsalia, nunquam verò verum ac ratum Matrimonium. Alii tandem verum Matrimonium initum quidem esse admittunt, sed tunc solùm contractum, quando Joseph ab Angelo didicit mysterium Divinæ fœcunditatis; antecedenter autem sola sponsalia inter eos intercessisse: quæ opinio etiam modò suos habet patronos. Quid autem nobis videatur, sequentibus dicemus.

§. II.

Inter Mariam & Joseph verum fuit Matrimonium:

V. ITa S. Thomas 3.p. q.29. art. 2. ubi primò notat: *Quòd Matrimonium, sivè Conjugium, dicitur verum ex hoc, quòd suam perfectionem attingit. Duplex autem est rei perfectio, prima & secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur: secunda verò perfectio consistit in operatione, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem Matrimonii consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem Matrimonii est proles generanda, & educanda; ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem; ad secundum per alia opera viri & uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam.*

His suppositis, dicit: *Quòd quantùm ad primam perfectionem omnino verum fuit Matrimonium Virginis Matris Dei & Joseph, quia uterque consensit in copulam conjugalem; non autem expresè in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret. Unde & Angelus vocat Mariam Conjugem Joseph dicens ad Joseph Matth.1.* „ Noli timere accipere Mariam conjugem tuam „ *Quòd exponens Augustinus lib.1. de Nupt. & Concupisc. cap. 11. dicit* „ Conjux vocatur á prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus„ *Quantum verò ad secundam perfectionem, quæ est per actum Matrimonii; si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud Matrimonium consummatum. Unde Ambrosius dicit super Lucam cap.1.* „ Non te moveat, quòd frequenter Mariam Scriptura vocat Conjugem; non enim Virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio nuptiarum celebratio declaratur „.

Habuit tamen illud Matrimonium etiam secundam perfectionem

nem quantùm ad prolis educationem. Unde Augustinus dicit lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 11.„ Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; Fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium: solus ibi nuptialis concubitus non fuit„.

VI. Ex his ergo formatur iste discursus. Posità formâ dante speciem essentialem rei, esto non habeatur omnis actus ad quem accidentaliter ordinatur, habetur veritas substantialis rei: verè enim subsistit potestas ad actum, quamvis ad talem actum nunquam exeat, aut nunquam sit exitura: Atqui Matrimonium inter Mariam & Joseph habuit formam dantem speciem essentialem Matrimonio, nempe indivisibilem conjunctionem animorum, quâ mutuò tenebantur sibi servare fidem conjugalem & mutuam in corpus alterius potestatem, quamvis nunquam in actum exierit, nec unquam esset exitura; non potestatis, sed voluntatis defectu; ergo verum fuit Matrimonium. Hinc S. Augustinus dicto lib. 1. de Nuptiis & Concup. cap. 11. ait: *Quibus verò placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum abstinere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: imò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ cariùs concordiùsque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum.*

VII. Neque dicas, dicto Matrimonio defuisse etiam formam essentialem, nempè conjunctionem conjugalem etiam animorum. Nam quamvis in eo fuerit desponsationis nomen, reverâ tamen fuit sola traditio custodiæ Virginitatis B. Mariæ: cum enim supponerentur tunc defuncti ejus parentes, egebat aliquo viro probo & pudico, qui ejus Custodiam assumeret, ideòque ad hoc electus fuit Joseph jam viduus, & ætate longævus. Quare Chrysostomus Homil. 4. in Matth. inducit Angelum Josepho dubitanti, an Mariam retinere deberet, sic dicentem: *Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit, non parentes. Tradit autem non ad nuptias, sed ut cum illa habites: tradit porrò per vocem meam, ut illam postea Christus tradidit Discipulo: ita & nunc Josepho tradit.* Certum est autem Christum non tradidisse Discipulo Mariam in Conjugem, sed in custodiam.

VIII. Nam hæc instantia, quæ ex libris spuriis & apocryphis originem ducit, contraria habet Evangelia, in quibus Maria dicitur absolutè desponsata, conjux, uxor, & Joseph vir Mariæ, Lucæ 1. v. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo... ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*, Matth. 1. vers. 18.

cæ-

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, vers. 20. *Joseph Fili David : noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & v. 24. *Accepit* (Mariam) *conjugem suam*: Lucæ 2. v. 5. ascendit Joseph in Bethlehem, *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*: Matth. 1. v. 16. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ*: & v. 19. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus*. Si autem Maria tradita fuisset Josepho in meram Custodiam sub nomine desponsationis, absolutè non diceretur desponsata, conjux, uxor Joseph, nec Joseph vir ejus; sicut quia Joseph verè non fuit pater Christi, non semper dicitur ipse absolutè pater, nec Christus ejus Filius, ut constat Lucæ 30. v. 23. *Ut putabatur filius Joseph*: & Angelus, qui Matth. 1. dixerat Joseph, ne timeret accipere Mariam conjugem suam, loquens de Jesu Mariæ filio c. 2. *Tolle*, inquit, *puerum*, *& Matrem ejus*: non dixit tolle Filium tuum, quia non erat verus pater, licèt gereret nomen patris.

Neque contrarius est Chrysostomus. Loco enim citato sæpiùs Mariam vocat Josephi sponsam. Quod verò addit, Deum non tradidisse Mariam ad nuptias, solum indicat, eam non tradidisse, ut ea ad carnalem copulam uteretur, sed ut sub conjugii fœdere intactam ejus Virginitatem custodiret, & ad hoc affert exemplum Joannis, cui à Christo moriente fuit Maria commendata: ceterùm Joseph, nedum custos, sed vir Mariæ, & Maria desponsata, conjux, uxor ejus absolutè in Evangelio pronuntiatur.

IX. Hinc præcluditur etiam aliquorum evasio dicentium, Joseph fuisse virum Mariæ, & Mariam ejus conjugem secundùm hominum existimationem, eo modo, quo putabatur pater Christi, & Christus Filius ejus, cum non esset.

Nam ad hoc secundùm asserendum, fundamentum dat Evangelium Lucæ 3., dum de Christo dicit: *Ut putabatur Filius Joseph*. At ne de primo dubitemus, omnem scrupulum idem Evangelium tollit. Rursùs, quòd Christus ex concubitu Joseph cum Maria genitus esset, & proinde Josephi filius, poterant homines æstimare, quamvis non esset, quia concubitus res secreta erat. De conjugio tamen inter utrumque non poterant falsò suspicari; nam Matrimonium apud Judæos res erat publicæ solemnitatis: adeòque fieri non poterat, ut saltem in patria vir & uxor aliqui existimarentur, nisi de eorum conjugio constaret. Imo ex hoc quòd Judæi existimabant, Jesum fuisse Filium Joseph, arguitur, eos certos fuisse de conjugio ejus cum Maria: alioquin cum omnem cavillum quærerent, ut Jesum criminarentur, eumque Populo despectum redderent; si eis non constitisset de vero conjugio

gio inter Joseph & Mariam, notam spurii Jesu inurere non abstinuissent: quod tamen nunquam eis in mentem venit; quin de hoc se certos esse proferebant, tum Matth.13. v.55., tum Marci 6. v.3., tum Joan.6. v.42. *Nonne hic est Jesus, Filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem?*

X. Præstat super hoc audire S. Augustinum lib.5. contra Julian. cap.12. Putabat Julianus, quòd quia inter Mariam & Joseph concubitus defuit, nullo modo fuisset conjugium; & quòd Joseph fuerit quasi maritus in opinione omnium: & sic etiam exponebat Evangelium, dum vocat Mariam conjugem, & Joseph ejus virum. Contra ipsum ergo sic Augustinus: *Secundùm hanc opinionem, non secundùm veritatem locutam fuisse Scripturam, vis intelligi, ut Virginem Mariam ejus conjugem diceret. Hoc putemus Evangelistam facere potuisse, cum vel sua vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundùm opinionem hominum loqueretur: numquid & Angelus loquens unus ad unum contra conscientiam & suam & ipsius, cui loquebatur, secundùm opinionem potiùs quàm secundùm veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit,* „ Noli timere accipere Mariam conjugem tuam? „ *Deinde quid opus erat, ut usque ad Joseph generationes perducerentur, si non ea veritate factum est, qua in conjugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro, cui respondes, cum posuissem, tu prorsùs adtingere timuisti. Dicit autem Lucas Evangelista de Domino, quòd putabatur Filius Joseph, quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare Conjugem, contra Angelum testem.* Quia verò Julianus etiam fatebatur, Mariam ex desponsionis fide nomen conjugis accepisse, ex hoc arguit S. Augustinus, verum propterea inter eos fuisse conjugium; tum quia cum Joseph vidisset eam divina fœcunditate donatam, aliam non quæsivit uxorem; tum quia estò in statu innocentiæ sexuum commixtio futura fuisset, attamen primi conjuges Adam & Eva conjuges instituti fuere antequam invicem commiscerentur; quod indicat, sexuum commixtionem ad substantiam conjugii non pertinere. Hæc tria Augustini argumenta præsentem veritatem mirè confirmant. Cui accedit Ambrosius lib.2. in c.1. Lucæ his verbis: *Non enim Virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur:* & lib. de Instit. Virginis c.6. *Desponsata enim viro* (Maria) *conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen ascisitur. Non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.*

§. III.

An S. Joseph dici possit Pater Christi.

XI. POrrò tanta vis Conjugii fuit inter Mariam & Joseph, ut vel ipsa Maria verè Christi mater Joseph virum Christi Patrem appellare non dubitarit, cum Lucæ 2. v.48. dixit Jesu: *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*: unde Augustinus serm.51. (aliàs 63. de diversis) cap.16. ait: *Sicut ergo erat illud conjugium, & sine ulla corruptione conjugium: sic quod castè uxor peperit, cur non castè maritus acciperet? Sicut enim castè conjux illa, sic ille castè maritus: & sicut illa castè mater, sic ille castè pater. Qui ergo dicit, non debuit dici pater, quia non sic genuerat filium, libidinem quærit in procreandis filiis, non caritatis affectum. Melius ille, quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam & qui adoptant filios, castius eos corde gignunt, quos carne non possunt.* Et cap.20. addit: *Quia movere non debet, quare per Joseph, & non per Mariam generationes numerentur, satis dictum est, quia sicut illa sine carnali concupiscentia Mater, sic ille sine carnali commixtione Pater. Per illum ergo descendant, & per illum ascendant generationes; nec eum propterea separemus, quia deficit carnalis concupiscentia; major puritas confirmet paternitatem, ne ipsa Sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum præponere noluit marito suo, sed dixit* „ Pater tuus & ego dolentes quærebamus te „ .... *Spiritus Sanctus in amborum justitia requiescens ambobus filium dedit. Sed in eo sexu, quem parere decebat, operatus est hoc, ut etiam marito nasceretur. Itaque ambobus dicit Angelus, ut puero nomen imponant, ubi parentum declaratur auctoritas* &c. Ne autem quis opponeret illud Lucæ 3. v.23. *Ut putabatur Filius Joseph*, quasi opinione hominum tantùm Joseph pater esset, addit: *Aliter quidem putabatur esse Pater Domini nostri Jesu Christi, scilicet sicut ceteri patres carne generantes, non solo spiritali affectu liberos suscipientes. Nam dixit & Lucas* „ Qui putabatur esse pater Jesu, „ *Quare* putabatur? *Quia humana putatio & existimatio illuc ferebatur, quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Joseph Dominus, quamvis hoc putaretur, & tamen pietati & caritati Joseph natus est de Maria Virgine Filius, idemque Filius Dei.*

XII. Hoc idem S. Doctor tradit, tum lib. 2. de Consensu Evangelist. cap.1., tum lib.1. de Nupt. & Concupisc. cap.11. his verbis: *Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo me-*

meruerunt, & non solùm illa mater, verùm etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus; utrumque mente non carne: sive tamen ille pater sola mente, sive illa mater & carne; parentes tamen ambo humilitatis ejus, non sublimitatis, infirmitatis, non divinitatis. Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur (*Lucæ* 2. *v.*33.) „ Et erat pater ejus & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo „ *Et alio loco* (*ibid. v.*41.) „ Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem: „ *Item paulò post* (*v.*48.) „ Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſtis nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te „.

Quibus Auguſtinus vult, arcto conjugii fœdere, quo animi Mariæ & Joſeph, eſto non corpora, indiſſolubiliter jungebantur, ut Maria eſſet vera Joſeph conjux, & Joſeph verus illius vir, factum eſſe, ut quidquid de conjuge quoquo modo naſceretur, etiam viro ejus naſceretur: hoc enim exprimunt illa verba ſuperiùs relata *Spiritus Sanctus in amborum juſtitia requieſcens amborum filium dedit: ſed in eo ſexu, quem parere decebat, operatus eſt hoc, ut etiam marito naſceretur. Unde ſicut illa ſine carnali concupiſcentia mater, ſic ille ſine carnali commixtione pater*: inde infert lib. 2. de Conſenſu Evang. cap. 1. Joſeph *ob hoc etiam* dici *Chriſti Patrem multò conjunctiùs, qui ex ejus conjuge natus ſit, quàm ſi eſſet aliunde adoptatus*. Chriſtus enim, utpotè verus Mariæ Filius, ad Joſephum Mariæ ſponſum peculiari titulo pertinebat, tanquam fructus illius Matrimonii, non quidem ex illo natus, ſed in illo; ac veluti in Joſephi fundo ſatus & procreatus; in illo ſcilicet, atque ex illo virgineo Corpore, in quod ille poteſtatem jure conjugii obtinebat. Multò etiam ſtrictiùs, quàm vitricus dicatur pater filii ſuæ uxoris, habiti ex alio conjugio, quia Joſeph dicitur Pater Chriſti nati in eodem licèt non ex eodem conjugio.

XIII. Neque ex his inferas primò, etiam puerum ex adultera genitum, quia in eodem conjugio, & eodem mariti fundo ſatum, dici poſſe pertinere ad maritum, & eſſe filium ejus. Secundò, quòd Corpora Mariæ & Joſeph deberent dici unum Corpus & una Caro, ſi Mariæ Corpus fuiſſet aliquomodo etiam Joſeph; quod eſt falſum, cum vir & uxor fiant unum Corpus & una Caro per carnalem commixtionem, quæ inter Mariam & Joſeph numquam fuit.

Non enim infertur primum; nam filius adulteræ in eodem quidem conjugio ſuſceptus eſt, non tamen ſine grandi injuria tum conjugis tum conjugii: ex filio autem, quem Maria Spiritu Sancto fœcundata genuit, nulla orta fuit injuria ſivè conjugi,

sivè fidei conjugali; quin potiùs tam Sancta, ac Divinæ prolis, generatione exaltati fuerunt conjuges, & ipsum conjugium.

Neque dicas, etiam Ismael genitus fuit ab Abraham absque injuria Saræ conjugis, imo ipsa volente; & tamen Sara non potest ullo modo dici Ismaelis mater. Nam dissimilis est ratio; tum quia Ismael genitus fuit, non in eodem conjugio cum Sara, sed in diverso, nempe cum Agar ancilla; tum quia Sara non habebat plenam potestatem corporis viri sui, quæ propter digamiam divisa erat inter ipsam & Agar, unde non quidquid ab Abraham generabatur, dici poterat suum. Hanc autem indivisam potestatem habebat Joseph; & propterea potiori titulo Christus potest dici natus ex Maria & Joseph, & Scriptura potest utrumque parentem Christi nuncupare, nimirùm sicut Mariam Christi Matrem, sic & Joseph Christi patrem.

Neque infertur secundum; non enim dicimus, quòd Maria & Joseph facti sint unum Corpus & una Caro; hoc enim per solum Matrimonium ratum & consummatum fit, quod in Maria & Joseph nunquam fuit: sed dicimus, quòd ratione fidei conjugalis, & conjunctionis animorum, mutuum aderat jus in corpus alterius; ut quidquid in illo & ex illo fieret, alteri tanquam res sua tribui posset. Hac positâ sententiâ, quam prælucente Augustino sequuntur Estius in 4. dist. 30. §. 11., Sylvius in 3.p. q. 28. in art. 1. & 2., mirè stabilitur veritas Matrimonii inter Mariam & Joseph.

XIV. Quod si quæratur: an sicut Joseph modo explicato dici potest Pater Christi, *Ita & Pater Dei*. Dicam absolutè dici posse; tum quia, ut vidimus, Evangelium vocat ipsum absolutè Patrem Christi; cum autem in Christo, ut contra Nestorium fides docet, eadem ac una sit persona Dei & hominis; & Paternitas directè referatur ad personam, quæ in Christo est Divina; ideo si Joseph dicitur Pater Christi, consequens est, ut dici possit etiam Pater Dei. Verùm hæc locutio non est adhibenda, nec prærogativa, quam soli Mariæ, quæ Christum peperit, Fides tribuit, ad alios extendenda est.

XV. Ex dictis colliges causam, quâ in Evangeliis S. Joseph interdum appelletur Pater Christi putativus, & secundùm æstimationem, interdùm verò & frequentiùs pronuntietur absolutè Christi Pater. Hoc enim secundum contingit, quia cum Christus sit Filius ejus Conjugis vi fœderis conjugalis, dici potest & esse in sensu vero & Theologico etiam Filius Joseph, ut probatum est. Primum autem evenit, ne homines præsertim rudes

& pro-

& profani audientes, Joseph Christi Patrem absolutè dici, putarent, eum carnali commixtione & modo communi Christi patrem fuisse. Ita S. Augustinus supra relatus, & lib.2. de Conf. Evangelist. cap.1. dicens: *Putabatur quidem Christus aliter Filius Joseph, tanquam ex ejus omnino carne progenitus; sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat Virginitas.* Et infra postquam dixit, Joseph ratione coniugii multò conjunctiùs (etiam sine commixtione carnis) dici Christi patrem, *quia ex ejus conjuge natus sit, quàm si esset aliunde adoptatus*, subjungit: *Unde manifestum est, illud, quod ait,* Ut putabatur Filius Joseph, *propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.*

XVI. Ita exponendum censeo S. Bernardum homil.2. super Missus est, ubi de Joseph ait: *Nec Vir ergo Matris, nec Filii Pater extitit, quamvis certa (ut dictum est) & necessaria dispensatione utrumque ad tempus & appellatus sit & putatus.* Solùm enim negat Joseph Virum Mariæ, quia non fuit ereptor, sed custos Virginitatis ejus; & Christi Filii ejus Patrem, quia eum carnali commixtione non genuit. Eodem modo exponit S. Thom.3.p. q.29. art.2., S. Hieronymum dicentem lib. contra Helvidium, quòd Joseph Mariæ *custos potiùs fuit, quàm maritus*: & super illud Matth.1. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ*, nimirùm: *Cum Virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quòd sponsi Viri, & sponsæ Uxores vocantur*: Respondet enim S. Thomas ibi ad primum: *Quòd Hieronymus accipit ibi Maritum ab actu Matrimonii consummati*: ibi enim probat, Joseph Virginem mansisse cum Maria; & ad secundum respondet, quòd *Nuptias Hieronymus vocat nuptialem concubitum.*

Neque tandem audiendus est Origenes homil.12. in Levit., ubi dicit, Joseph dictum patrem Christi, quia nutricius erat, *Et pro fideli Ministerio, Patris ei vocabulum Scriptura concessit*: sed audienda magis Scriptura est, quæ eum semper vocat Patrem, numquam verò nutricium appellat patrem, sicut nec nutricem matrem.

* * *
* * *

§. IV.

An conveniens fuerit Mariam Matrimonio jungi, & quomodo cohæreat cum voto Virginitatis antea emisso.

XVII. DUo hæc præsenti §. complectimur. Et quoad primum esto ejus convenientia satis appareat ex eo, quòd Deus ita disposuerit, cum Deus nihil disponat, nisi quod bonum & conveniens est; nihilominùs, quia Deus omnia in Sapientia disponit, rationes hujus convenientiæ examinare æquum erit cum Angelico Magistro 3.p. q.29. art.1. Dicit ergo S. Thomas: *Quòd conveniens fuit, Christum de desponsata Virgine nasci, tum propter Ipsum; tum propter Matrem; tum etiam propter Nos.*

Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione. Primò, ne à Judæis tanquam illegitimè natus abjiceretur... Secundò, ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur: unde dicit Ambrosius super Lucam c.3. „Qui in seculum venit, seculi debuit more describi: Viri autem persona quæritur, qui in Senatu, & reliquis Curiis Civitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instituit Scripturarum, quæ semper Viri originem quærit: *Tertiò ad tutelam pueri nati, ne Diabolus contra eum nocumenta vehementiùs procuraret: & ideò Ignatius dicit, ipsam fuisse desponsatam*, ut partus ejus Diabolo celaretur: *Quartò, ut à Joseph nutriretur: unde & Pater ejus dictus est, quasi nutritius.* His S. Thomas ostendit, ex parte Christi fuisse conveniens, ut de desponsata nasceretur.

XVIII. Contra tamen prædicta obstare videtur primò: quòd Christus ex Virgine nasceretur fuit miraculum maximè confirmativum nostræ Fidei; ergo non debuit per desponsationem obumbrari, sed manifestum esse. Secundò: dicere Christum ex desponsata nasci debuisse, ut modus nativitatis ejus Diabolo celaretur, nullius roboris est; tum quia Diabolus, cui nota sunt omnia, quæ corporaliter fiunt, perspicacitate suæ mentis naturaliter cognoscere poterat, an Christus de Virgine, an de corrupta natus esset; tum quia hoc de facto cognovisse apparet ex iis, quæ habentur Marci 1. v.24., ubi Dæmon ipse dicit: *Quid nobis & tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio, qui sis, Sanctus Dei.*

XIX. Sed primum solvitur à S. Thoma loco citato ad secundum. Primò ex S. Ambrosio super Lucam cap.1. *Quòd maluit Dominus, aliquos de sui Ortu, quàm de Matris pudore dubitare: scie-*

sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putavit Ortus sui fidem Matris injuriis astruendam. Deinde addit: *Sciendum tamen, quòd miraculorum Dei quædam sunt, de quibus est Fides: sicut miraculum Virginei partus, & Resurrectionis Domini, & etiam Sacramenti Altaris: & ideò Dominus voluit ista occultiora esse, ut Fides eorum magis meritoria esset. Quædam verò miracula sunt ad Fidei comprobationem: & ista debent esse manifesta.* Ita S. Thomas.

XX. Alterum obstativum tollit idem S. Thomas ibi ad tertium his verbis: *Sicut Augustinus dicit (lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8.) Diabolus multa potest scire virtute suæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute Divina: & hoc modo potest dici, quòd virtute naturæ suæ Diabolus cognoscere poterat, Matrem Dei non fuisse corruptam, sed Virginem; prohibebatur tamen à Deo cognoscere modum Partûs Divini. Quod autem postmodùm eum aliqualiter cognovit Diabolus esse Filium Dei, non obstat: quia jam tempus erat, ut Christus suam virtutem contra Diabolum ostenderet, & persecutionem ab eo concitatam pateretur: sed in infantia oportebat impedire malitiam Diaboli, ne eum acriùs persequeretur, quando Christus nec pati disposuerat, nec virtutem suam ostendere, sed in omnibus aliis infantibus se similem exhibebat. Unde Leo Papa in serm. 4. de Epiphania dicit,* „ quòd Magi viderunt & adoraverunt puerum Jesum quantitate parvum, alienæ opis indigentem, fandi impotentem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate discretum,„ *Ambrosius tamen super Luc. cap. 1. videtur hoc magis referre ad membra Diaboli. Præmissa enim hac ratione, scilicet de fallendo Principem mundi, subdit* „ sed tamen magis fefellit Principem seculi: Dæmonum enim malitia facilè etiam occulta deprehendit. At verò qui secularibus vanitatibus occupantur, scire Divina non possunt. Censet ergo S. Thomas Christum voluisse ex desponsata nasci, sive ut Mysterium occultaretur Diabolo, sive membris ejus, nempè pravis hominibus, quales erant Herodes, & Principes Synagogæ, Scribæ, Pharisæi &c.

XXI. *Fuit etiam conveniens* (pergit S. Thomas in Corp. art.) *ex parte Virginis. Primò quidem, quia per hoc redditur immunis à pœna, ne, scilicet* „ lapidaretur à Judæis ut adultera„ *ut Hieronymus dicit* (in cap. 1. Matth.) *Secundò, ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde dicit Ambrosius super Lucam cap. 1. quòd* „ desponsata est, ne temeratæ Virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre„. *Tertiò, ut ei à Joseph ministerium exhiberetur, ut dicit Hieronymus* supra laudatus.

XXII. Sed

XXII. Sed contra primam rationem obstare videtur; Nam si Maria non esset desponsata, quomodo posset ut adultera condemnari? Respondet tamen S. Thomas ad quartum: *Quòd judicio adulterarum lapidabatur secundùm Legem non solùm illa, quæ jam erat desponsata vel nupta; sed etiam illa, quæ in Domo patris custodiebatur, ut Virgo quandoque nuptura: unde dicitur Deuteron.22. v.20.* „ Si non est in puella inventa Virginitas, ejicient eam extra fores domûs patris sui, & lapidibus obruent viri Civitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui „.

Addit etiam: *Vel potest dici secundùm quosdam, quòd B. Virgo erat de stirpe Aaron, unde erat cognata Elisabeth, ut dicitur Lucæ 1. Virgo autem de genere Sacerdotali propter stuprum occidebatur: legitur enim Levit.21. v.9.* „ Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuretur „. *Quidam referunt verba Hieronymi ad lapidationem infamiæ.* Hæc S. Thomas. Prima tamen responsio planior videtur.

XXIII. *Ex parte etiam Nostra* (prosequitur S. Doctor) *hoc fuit conveniens. Primò quidem, quia testimonio Joseph comprobatum est, Christum ex Virgine natum: unde Ambrosius dicit super Lucam c.1.* „Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere injuriam & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum „. *Secundò, quia ipsa verba Virginis Matris credibilia reddunter, suam Virginitatem asserentis: unde Ambrosius dicit super Lucam* (ibid.) „ Fides Mariæ verbis major adscisci tur, & mendacii causa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta prægnans. Causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum conjugis præmium, & gratia nuptiarum partus, sit feminarum „. *Quæ quidem duo pertinent ad firmitatem Fidei nostræ. Tertiò, ut tolleretur excusatio Virginibus, quæ propter suam incautelam non vitant infamiam: unde Ambrosius dicit* (ibidem) „ Non decuit Virginibus siniſtrâ opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quòd infamata Mater quoque Domini videretur „. *Quarto, quia per hoc significatur universa Ecclesia, quæ* „ cum Virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo „ *ut Augustinus dicit in lib. de Sanctâ Virginitate cap.12. Potest etiam & quinta ratio esse, quòd Mater Domini fuit desponsata & Virgo: quia in persona ipsius & Virginitas & Matrimonium honoratur, contra Hæreticos alteri horum detrahentes.* Hæc S. Thomas, quibus aliquid addere superfluum esset.

XXIV. Transeo ad secundam quæsiti partem. Cum superiùs

riùs oſtenderimus, B. Virginem fuiſſe Virginitatis Voto præviè adſtrictam, meritò dubitari poteſt, quomodo potuerit Matrimonio jungi. Ab hac difficultate ſe expediebat Julianus Pelagii aſſecla, dicens, quòd inter Mariam & Joſeph verum non fuit Matrimonium, quia non fuit carnalis concubitus; quem propterea irridet S. Auguſtinus lib. 5. contra Julian. cap. 12. his verbis: *Multa diu diſputas contra ſententiam meam, & conaris oſtendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuiſſe Conjugium: ac per hoc ſecundùm te, cum deſtiterint concumbere conjuges, jam non erunt conjuges, & divortium erit illa ceſſatio* &c. Subſiſtit ergo verum Matrimonium, ut vidimus, etiamſi nec adſit, nec ampliùs futurus ſit, ut in decrepitis.

XXV. Certum eſt, poſſe Matrimonium conſiſtere cum Voto Virginitatis, & propoſito mutuo inter conjuges poſt contractum Matrimonium inito, de nunquam ſimul maritaliter concumbendo, utroque conjuge juri ſuo petendi debiti renuntiante; ut enim ait S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Evangeliſt. cap. 1. *Etiam ſervatâ pari conſenſu continentiâ, poteſt permanere, vocarique conjugium, non permixtô corporis ſexu, ſed cuſtoditô mentis affectu.*

XXVI. Totam difficultatem excitat Votum Virginitatis antea à B. Virgine emiſſum, ut oſtendimus, priuſquam cum Joſeph iniret Matrimonium; quia cum contractus Matrimonialis in eo poſitus ſit, quòd vir & mulier ſibi mutuò tradant ſuorum corporum poteſtatem ad actum utique conjugalem; difficile captu redditur, quomodo qui jam Virginitatis perpetuæ Votum emiſit, corporis ſui poteſtatem tradere alteri poſſit; tum quia ea traditio videtur ex tunc importare conſenſum in futuram copulam, ſaltem ſi ab altero conjuge poſtuletur, quod Virginitatis perpetuæ Voto repugnare tanquam illicitum, oſtendit S. Auguſtinus lib. de bono viduit. cap. 9. dicens, quòd virginali electâ Continentiâ, & *Voti debito oblatâ, jam non ſolùm capeſſere nuptias, ſed etiamſi non nubatur, nuptias velle damnabile eſt*: & oſtendit ex Paulo 1. ad Timoth. 5. v. 11. & 13., qui de Viduis, quæ Voto ſe Deo mancìparunt, & poſtea *nubere volunt, habentes*, inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*, & ſubdit, *etſi non nubendo, ſaltem volendo*. Quomodo ergo B. Maria, quæ jam Virginitatem Deo voverat, potuit abſque labe nuptias cum Joſeph non ſolùm velle, ſed inire?

XXVII. Tum ſecundò, quia nemo poteſt alteri tradere, quod jam ſuum non eſt; id autem non eſt ſuum, quod jam alteri fuit traditum; cum verò per votum Virginitatis Corpus ſuum

jam Deo tradidiſſet; quomodo poterat Maria illud in Joſeph tradere poteſtatem?

Tum tertiò, quia qui Virginitatem vovit, non habet poteſtatem utendi corpore alieno, ideòque acceptare non poteſt traditionem ſibi ab altero factam in Matrimonio: adeòque nec Matrimonium contrahere, in quo mutua utrimque fit & traditio & acceptatio.

Tum quartò: qui Voto Caſtitatis adſtrictus eſt, finem Matrimonii, qui eſt concubitus carnalis ad procreationem prolis, ſine ſacrilegio conſequi non poteſt. Sicut ergo Eunuchi, & alii phyſicè impotentes à Matrimonio ineundo jure prohibentur: ita & qui per Caſtitatis Votum moraliter impotentes facti ſunt; quod in Maria quoque militare videbatur, quæ dum Matrimonio junćta fuit, myſterium Virginei partûs nondum noverat.

XXVIII. Propter hæc & alia Doctores Catholici multas excogitarunt vias evadendi, & conciliandi cum voto antea edito Virginitatis Mariæ cum Joſeph Matrimonium poſtea initum; à quibus recenſendis abſtineo.

Planior tamen conciliandi modus videtur, ſi ſupponatur, ut ſuperiùs dixi, Deiparam Virginem antequam Joſepho nuberet, certa revelatione didiciſſe, Virginitatem, quam Deo approbante voverat, nullam paſſuram læſionem ex Matrimonio cum Joſeph, qui in eodem propoſito perſtans, nunquam traditâ ſibi in corpus ejus poteſtate eſſet uſurus, ſed futurus Virginitatis ejus fidelis cuſtos. Ita S. Thomas in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. qu. 2. ad 2. his verbis: *B. Virgo antequam contraheret cum Joſeph fuit certificata divinitùs, quòd Joſeph in ſimili propoſito erat: & ideò non ſe commiſit periculo nubens.* Nec fefellit eventus: nam ut ait idem S. Thom. 3. p. q. 28. art. 4. ad 3. *Poſt deſponſationem ex communi voluntate ſimul cum ſponſo ſuo votum Virginitatis emiſit;* ideſt votum, quod ſola priùs emiſerat, unâ cum Joſeph ſponſo confirmavit.

Simile quid in Cæcilia Virgine legimus contigiſſe, quæ certa de Angelo ſuæ Virginitatis cuſtode, citra periculum nupſit Valeriano, probè ſciens, Angelum à petendo debitum ſponſum avocaturum, aut alio quovis modo impediturum; quod illi feliciter ceſſit. Visô enim Angelô Valerianus cum ea in Votum Caſtitatis conſenſit, & uterque Caſtitatis propoſitum martyrio coronavit.

XXIX. His non obſtat, quòd primo loco objicitur. In Matrimonio enim diſtinguenda eſt traditio poteſtatis & juris in corpus alterius ab uſu talis juris & poteſtatis. In re enim, quæ uni-

unico usu non consumitur, separabile est dominium ab usu. Substantia autem Matrimonii consistit quidem in Traditione mutua potestatis in corpus alterius, non tamen in talis potestatis usu. Si inito Matrimonio uterque conjux voveat virginitatem ante copulam secutam, vel, si copulâ secutâ, uterque in Religione aliqua Voto solemni se adstringat, substantia Matrimonii manet potestas mutua in corpus alterius, nunquam tamen talis potestatis usus erit futurus. Votum ergo Virginitatis impedit quidem traditionem usus sui corporis alteri, non impedit tamen Traditionem potestatis in suum corpus alteri; maximè cum certa præscientia, illum tali potestate nunquam usurum. Cum ergo hoc certò sciret B. Virgo, potuit salvô Virginitatis Votô tradere potestatem sui corporis Josepho, & cum eo vero Matrimonii vinculo jungi.

XXX. Ex his infertur, B. Virginem Matrimonium ineundo consensisse quidem in traditionem potestatis sui corporis, non autem adhuc implicitè in usum talis potestatis (nisi in quantum actus implicitè continetur in potentia, ut ait S. Thomas in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. q. 2. ad 3.) eò quia divinitùs certificata fuerat, Joseph tali potestate nunquam usurum; sicut Beata Cæcilia consensit in traditionem potestatis sui corporis Valeriano nubens, sed non in usum, quem noverat ab Angelo esse impediendum. Quod de aliis Virginibus, aut viduis quæ continentiam voverunt, simile non est. Istæ enim nec sunt certificatæ divinitùs, nunquam ex Matrimonio carnalem copulam secuturam, nec si moventur ad Matrimonium ineundum post Votum, hoc ex obedientia Deo, sed potiùs ex concupiscentia volunt: & ideò benè dicit Paulus, quòd in his velle nubere damnabile est, & primam fidem irritam facere.

XXXI. Nec obstat, quod secundò opponitur. Nam esto nemo possit tradere alteri, quod suum jam non est, eo modo, quo suum non est, alio autem modo potest. Qui autem Voto Virginitatis obstrictus est, non potest quidem alteri tradere usum proprii corporis, quia jam suus non est, sed traditus Deo; potest tamen tradere jus & potestatem alteri, quem novit nunquam ea esse usurum: sic Dominus directus postquam uni tradidit usumfructum, potest dominium directum, quod remanet in sua potestate, tradere alteri, quem scit ab usufructu exigendo se temperaturum: & hoc modo B. Virgo per Matrimonium tradidit dominium sui corporis Josepho, illæsâ traditione usûs jam Deo factâ per Votum.

XXXII. Nec obstat tertia oppositio. Votum enim Virginitatis

tatis non tollit potestatem utendi corpore alieno, sed solùm exercitium talis potestatis: cum hoc autem Matrimonii substantia salvatur. Et hujus in promtu habemus exempla: qui enim post contractum Matrimonium Virginitatem vovent, quorum non paucos historiæ produnt, retinent potestatem alter in corpus alterius, cum etiam tunc vinculum Matrimonii maneat insolutum, usus tamen talis potestatis voto impeditus, si fieret, illicitus esset: adulter etiam perdit usum & exercitium, servatô tamen jure, & retentâ potestate in corpus conjugis.

XXXIII. Neque obstat quartum: nam, ut docet S. Thomas in 4. dist. 30. q. 2. art. 2. ad 4., *Proles non dicitur bonum Matrimonii solùm in quantum per Matrimonium generatur; sed in quantum in Matrimonio suscipitur & educatur: & sic bonum illius Matrimonii* (Mariæ & Joseph) *fuit proles illa, & non primo modo: nec tamen de adulterio natus, nec Filius adoptivus, qui in Matrimonio educatur, est bonum Matrimonii, quia Matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc Matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quòd proles susciperetur in eo, & educaretur.* Proles ergo, quæ est bonum & finis Matrimonii huic Sancto Conjugio non defuit, etsi non ex ipso carnali generatione nata, in ipso tamen Spiritus Sancti obumbratione concepta, parta, & educata. Qua ratione ceteris omnibus conjugiis etiam ratione finis præstantius fuit: unde Augustinus lib. 1. de Nuptiis & Concup. cap. 11. ait: *Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, Proles, Fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum, Fidem, quia nullum adulterium, Sacramentum, quia nullum divortium.*

Neque ad rem est exemplum de Eunuchis, & aliis impotentibus, qui nec validè possunt Matrimonium inire, cum ad reddendum debitum laborent impotentiâ physicâ & naturali. Qui verò castitatem vovit, ejusmodi impotentiam non habet, sed eâ potentiâ uti non potest, non quidem necessitate, sed voluntate, qua per votum usum talis potentiæ sibi interdixit: & perinde qui sic voverunt, à Matrimonio arcentur, non naturali jure, sed scriptô, & potissimè Ecclesiasticô id vetante ob periculum violandi votum in Matrimonio. Quo jure etiam qui post contractum Matrimonium ex mutuo consensu vovent, Ecclesia *Tit. de Conversione Conjugat.* jubet, ut perpetuò separentur. Cum autem Maria Virgo Joseph nupsit, nec ea Lex erat, nec, ob eminentem utriusque virtutem, periculum violandi in Matrimonio Votum ullum erat.

XXXIV. Difficultas, quæ non paucos angit, est, quòd Vir-

Virgo Deipara contrahens cum Josepho, & quicumque alius qui præmisso Virginitatis Voto contraheret, hanc certè conditionem debuisset apponere: *Contrabo tecum, si generationem prolis mecum evites*: sub qua conditione, aut verbo expressâ aut mente conceptâ, Matrimonium jure naturæ irritum est, utpotè contrariâ subsistantiæ ac fini Matrimonii. Propterea Gregorius IX. cap. *Si conditiones* Extra. *de conditionibus appositis in desponsatione* rescribit, *nullum esse, & irritum Matrimonium, si conditiones contra substantiam conjugii inserantur: puta si alter alteri dicat, contrabo tecum, si generationem prolis evites*: cui rescripto subscribit S. Thomas in 4. dist. 28. art. 4. ad 3., & dist. 30. q. 2. art. 1. qu. 2. ad 2. Videtur ergo cum Voto Virginitatis Matrimonium componi non posse.

XXXV. Fateor, quòd contrahere Matrimonium, præfatam conditionem apponendo, est facere Matrimonium nullum, quia est apponere conditionem contrariam fini & substantiæ Matrimonii: non tamen contra substantiam Matrimonii est illud contrahere cum certa præscientia, quòd ille, cum quo contrahitur, generationem prolis se ipso sit evitaturus, & usum conjugii nunquam petiturus. Hoc autem modo, non primo, B. Virginem Matrimonium contraxisse, dicit S. Thom. in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. q. 2. ad 2. *Beata Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata divinitùs, quòd Joseph in simili proposito erat: & ideò non se commisit periculo nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit; quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum: talis enim conditio, cum sit contra Matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, Matrimonium tolleret.* Res ista confirmatur exemplo donationis: si quis enim dicat: *Dono tibi domum meam, si eam non acceptes*, donatio ludicra est & nulla, quia non acceptatio exigitur à donatore, & perinde est donare talem conditionem exigendo ac irrisoriè donare. At verò si donavero domum meam ei, quem aliunde scio non acceptaturum, tunc non acceptatio erit extrinseca donationi, & quasi accidentalis, ac proinde veritatem donationis non tollit.

XXXVI. Neque dicatur, scientiam illam, qua B. Virgo noverat, Joseph nunquam conjugale debitum ab ea petiturum, fuisse causam, quare consenserit illi nubere; nisi enim hoc certò novisset, nunquam consensisset. Nam etsi ex illa scientia nata fuerit contrahendi voluntas, non per hoc tamen evenit, quod scientia illa causæ vel conditionis naturam induerit. Multa enim ex præconcepta scientia facimus, quæ sine illa non faceremus, & tamen verè facimus & volumus: & hoc magis in præsenti ca-

casu. Quia cum carnalis copula de essentia Matrimonii non sit, ad veritatem Matrimonii, ex D. Thom. in 4. dist. 28. q. 1. art. 4. non requiritur explicitus consensus in illam, sed implicitus, qui non debet intelligi, *nisi sicut implicitè continetur effectus in sua causa*: *quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re sua est causa usûs*. Potuit ergo B. Virgo tradere Joseph sui corporis potestatem, quamvis certò sciret, tali potestate eum nunquam fore usurum.

§. V.

Quandonam inter Mariam & Joseph fuerit initum Matrimonium.

XXXVII. QUæsitum hoc de tempore, quo Maria & Joseph Matrimonio juncti fuere, an scilicet ante Legationem Gabrielis ad Virginem an verò post, pro utraque parte inter Doctores Catholicos suos habet defensores. Aliqui enim volunt, ante Legationem Gabrielis inter Mariam & Joseph solùm intercessisse Sponsalia, seu Matrimonium per verba de futuro: tunc verò solùm per verba de præsenti contractum fuisse, quando post trium mensium moram in domo Elisabeth, Mariâ in Nazareth revertente, & à Joseph gravidâ deprehensâ, anxius iste quid faceret, volens eam occultè dimittere, monitus ab Angelo de Mysterio: *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*: *quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est* (Matth. 1. v. 20.) tunc omnî anxietate submotâ, primò per verba de præsenti eam accepit in conjugem. In hanc opinionem descendunt Baronius, Tostatus, Cajetanus, Lamy, & postremò Calmet, & ex Heterodoxis Samuel Basnagius, & Fridericus Spanhemius. Et pro ea ex Patribus afferuntur Hilarius in cap. 1. *Matth.*, Basilius *de humana Christi generatione*, & Epiphanius *hæres.* 78.

XXXVIII. Alii verò, & ferè omnes, tum Theologi, tum Sacræ Scripturæ Interpretes post S. Thomam, sentiunt, Mariam fuisse Josepho verè nuptam, & non solùm Sponsalibus promissam, ante Legationem Gabrielis, seu antequam in suo castissimo utero Verbum Divinum concepisset.

XXXIX. Huic opinioni libentiùs subscribo. In eam enim propendit, ut magis consonam Evangelio S. Thom. 3. p. q. 29. art. 2. ad 3. ubi concludit: *Licèt alii dicunt, quod nondum erat in domum inducta, sed solùm desponsata: primum tamen magis consonat Evangelio*. Hoc etiam expressè sentiunt Patres, S. Ambro-

brosius lib. 2. in Lucam cap. 1. sequentibus rationibus. Primò, nam quærens, *cur non antequam desponsaretur impleta est*? respondet: *Ne diceretur, quòd conceperit ex adulterio*: huic autem periculo provisum non fuisset, si cum concepit, sponsalia tantùm cum Joseph contraxisset, nec adhuc illi verè nupta fuisset. Secundò, ut falleretur Princeps mundi: *Qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum*: potuisset autem habere suspectum partum, si ex nondum verè nupta prodiisset: & eò magis in sententia illorum, qui, ut supra retulimus, volunt, Mariam solemni Sacerdotum decreto fuisse Josepho traditam. Quid enim Sacerdotes dixissent, si traditam per sola sponsalia de futuro prægnantem resciviſſent? Tertiò concludit, quòd B. Maria fuit *verè desponsata, sed Virgo, quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata sed nupta, unde alii nupta*, nempè Joseph, *ab alio repleta* nempè Spiritu Sancto. Ecclesia autem verè Christo nupta, parit filios in Spiritu.

XL. Ex his sequentes formantur discursus. Primò, si Maria non fuisset Matrimonio juncta, nisi post Salutationem Gabrielis, & maximè, ut volunt aliqui, solùm post tertium mensem, quo à Montana peregrinatione reversa inventa fuit habens in utero de Spiritu Sancto, tunc non nono mense, sed ante & maximè sexto mense peperisset Christum: ac ita partus adeò anticipatus, vel non fuisset tributus Josepho, vel si ei fuisset tributus, potuissent dicere Judæi & alii ignorantes Mysterium, quòd habuissent carnalem copulam post contracta dumtaxat sponsalia de futuro, & nondum Matrimoniô de præsenti celebratô. Hoc autem quid indignius, quid magis læsivum sanctitatis & castitatis talium Sponsorum? Quàm malè consuluisset Deus honori Matris Filii sui?

Rursùs si Maria ab Elisabeth reversa à tribus mensibus uterum gestasset, nondum Josepho nupta, sicut hoc innotuit Josepho, ita innotescere potuisset parentibus, & aliis uteri illius tumentis ante celebratas nuptias curiosis observantibus. Quid autem quæso suspicati non fuissent? Si Joseph nondum edoctus Mysterium ab Angelo, cum primò eam prægnantem conspexit, subdubitare cœpit, eamque dimittere cogitavit, quid de aliis? numquid suspicari non potuissent, an ipsi fuisset vis illata, & furtivô concubitu defforata atque compressa, eo maximè tempore, quo extra parentum domum apud Elisabeth mansit? Populares etiam quos siniſtros rumores non sparsissent? Si enim compertum illis fuisset, ut necesse erat, eam à tribus mensibus prægnantem fuisse, dum Josepho nupta est, eamque post sex menses

à ce-

à celebratis nuptiis peperisse Filium, procul dubio ex illo insolenti ac intempestivo partu existimassent Mariam in parentum ædibus fuisse fornicatam, ac juxta Legem ad tribunal morte plectendam rapuissent, ut supra dixi ex Deuter. cap. 22. Hac suspicione tum Herodes tum Judæorum Principes Christum persequentes ex parte excusabiles viderentur: *Quid enim*, inquit citato loco S. Ambrosius, *Judæis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persequi?* Tandem si Maria sexto mense post initas nuptias Christum peperisset, amplum argumentum Judæi habuissent calumniandi Christum, cum enim omnia vel minima scrutarentur, ut ei detrahere possent, si sexto post initas nuptias mense natum eum comperissent, non Josephi filium, sed spurium eum traduxissent, quia ut refert Maimonides in Tract. de prohibitis congressibus cap. 15. num. 17. *Desponsata si gravida fiat in domo patris sui, infans habetur pro spurio.* Cum ergo hac notâ nec leviter Judæi Christum tetigerint, sed eum Joseph Filium semper habuerint, ut legimus Matth. 13. v. 55., & Joan. 6. v. 42. *Nonne hic est Jesus Filius Joseph, cujus nos novimus patrem & Matrem?* non est credibile, eum nisi debito tempore conceptum fuisse & natum.

XLI. Secundò ex hoc sequitur, quòd locum ampliùs non haberet ratio, quam ex S. Ignatio Martyre Epist. ad Ephes. probaverunt Patres, Origenes homil. 16. in Lucam, Basilius homil. *De humana Christi generatione*, Damascenus lib. 4. *De Fide Orthod.* cap. 5., Hieronymus in cap. 1. Matth., Bernardus homil. 2. *Super Missus est*, & S. Thomas 3. p. q. 29. art. 1., multique alii: nimirùm, Deum voluisse, ut Christus ex desponsata conciperetur, ut partus ejus celaretur Diabolo, dum putaret eum non de Virgine, sed de uxore generatum: non enim latuisset Diabolum, quod omnibus conspicuum esse poterat, nempè Mariam tertio ante Matrimonium mense uterum tumentem gestare, & sexto post Matrimonium mense partum edidisse. Latere quidem poterat & ipsum & omnes, si jam nupta concepisset, & nono post nuptias mense partum edidisset: nam cernens Mariam esse jam nuptam, eamque post nonum mensem peperisse, Deo sic volente, ulteriora in jam conjugata investigare non curavit. At si sexto post nuptias mense peperisset, cum hoc sit solitum, Diabolus, sicut & homines, materiam hoc investigandi habuissent. Certè ex Joseph genitum non putassent.

XLII. Tertiò sic discurro. A tempore Angelicæ Salutationis Scriptura nobis exhibet Josephum cum Maria familiariter conversantem, ei comitem fuisse in itinere ad Elisabeth, quamvis

vis Evangelistæ non dicant, probabile est; non enim puella sola itineri se exposuisset: reversa ab Elisabeth Joseph domum petiit, ubi à solo Josepho primò inventa est in utero habens; *Non ab alio inventa est, nisi à Joseph*, inquit S. Hieronymus in c. 1., *qui penè licentiâ maritali futuræ uxoris omnia noverat*: Hæc autem familiaris conversatio & cohabitatio Virginibus, desponsatis per Sponsalia tantùm de futuro, apud Judæos non permittebatur cum sponsis; lex enim erat, ut primùm Virgo sponderetur, non deducenda in domum mariti, nisi spatio temporis interposito vel mensium, vel etiam annorum, & interea maneret in domo parentum ad custodiam Virginitatis, ac vix extra domesticos lares pedem efferre posset. Cùm ergo Maria statim atque Angelo nuntiante concepit, difficilem in Montana peregrinationem suscepérit, & cum Elisabeth quasi tribus mensibus mansisse legatur Lucæ 1.; quis sibi finget, eam tunc Matrimonio nondum fuisse junctam, sed per sponsalia de futuro solùm promissam? Accedit, quòd incipiente jam tertio mense, dum apud Elisabeth adhuc moraretur, uterò ejus intumescere, hoc domesticos Elisabeth non latuisset: quid autem hi non conscii Mysterii suspicati adversùs Mariæ honestatem non fuissent, si sponsalibus tantùm promissam, & non verè nuptam rescivissent?

XLIII. Quartò Matth. 1. legitur, quòd cum Maria inventa esset in utero habens, *Joseph vir ejus .... voluit occultè dimittere eam*. Joseph ergo vocatur *Vir* Mariæ, non *Sponsus*: jam igitur erat cum ea Matrimonio junctus, non puris sponsalibus ei promissus: deinde *voluit eam dimittere*; ergo jam eam apud se habebat: *Quam enim non accepit, nemo dimittit*, inquit Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. 1., & ideò si volebat dimittere, fatebatur se eam jam accepisse, & apud se habere: hoc autem de promissa solùm per sponsalia dicere non potuisset, quæ habenda & accipienda, non habita & accepta dici potest. Hinc Angelus à Joseph dubitatem tollere volens, *Noli*, inquit, *timere accipere Mariam conjugem tuam*: & subditur: *Accepit Mariam conjugem suam*: ubi non dicitur *in conjugem*, quomodo accipitur, cum primò Matrimonio jungitur, sed *conjugem*, nimirùm retinere ad convictum, quam jam acceperat per conjugium, & à convictu volebat dimittere. Tandem si tunc Maria nondum solemni ritu Matrimonio juncta fuerat, cum Evangelista non dicat, eam postea junctam fuisse, sed solùm *Et non cognoscebat eam*, sequitur, inter Mariam & Joseph sponsalia tantùm, & nunquam verum Matrimonium intercessisse.

XLIV. Scio, apud Gratianum qu. 27. causa 2. cap. *Quòd autem*

tem, & cap. *Institutum*, non defuisse, qui, specioso obtentu extollendi Mariæ Virginitatem, existimarunt, eam fuisse solum Joseph sponsione promissam, nunquam tamen Matrimonio junctam.

Sed hoc esse falsum, primò demonstrat Evangelium, quod multis in locis Mariam *Conjugem* & *Uxorem* Josephi, & vicissim Josephum *Virum* Mariæ disertè appellat: Sponsa autem solùm de futuro nec *conjux* nec *uxor*, sicut nec sponsus de futuro absolutè *Vir ejus* appellatur. Rursùs cum sponsalia nil aliud sint, quàm fides data, & promissio facta de futuris nuptiis; si Maria & Joseph post contracta sponsalia nunquam nuptias iniissent, fidem datam in sponsalibus aut violassent; aut nonnisi fictè ac simulatè sponsalia contraxissent. Sibi ergo Maria & Joseph in sponsalibus contrahendis mutuò verba tantùm dedissent, si promissas nuptias nunquam implere in animo habuissent; & Ecclesia, quæ à duobus seculis Festum Desponsationis seu Matrimonii Mariæ cum Joseph celebrandum instituit, fideles deciperet; quod dictu nefas est. Quia tamen hæc opinio hoc errore movebatur, quòd putaret nuptialem concubitum esse partem substantialem Matrimonii; quod esse falsum ex S. Thoma superiùs ostendi; ideò in ea refutanda diutiùs non immorabor. Nunc excutienda sunt momenta, quibus Auctores oppositi volunt, Matrimonium inter Mariam & Joseph contractum quidem fuisse, sed solùm post Legationem Gabrielis.

XLV. Primò ergo moventur ex illo Lucæ 1. v. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo ..... ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph de Domo David, & Nomen Virginis Maria.* Videtur ergo Maria ante Legationem Gabrielis fuisse nondum Josepho nupta, sed solùm desponsata, seu sponsione promissa.

XLVI. Respondeo primò: quòd si nomen *Desponsata* significat solùm promissam, & nondum nuptam, sequitur, quòd nec post reditum á domo Elisabeth Maria fuerit Joseph verè nupta, & proindè nunquam, nec imminente jam partu, fuerit Josepho Matrimonio juncta, cum idem Lucas cap. 2. v. 5. dicat, quòd Joseph, ut pareret Cæsaris Augusti Edicto ascendit in Bethlehem, *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*. Si ergo desponsata uxor est uxor tantùm promissa, nec tunc Maria erat Joseph verè nupta: quod oppositæ opinionis patroni non admittent. Sciant ergo, nomen hoc *Desponsata* à Sacra Scriptura usurpari non pro puella solùm sponsione promissa, & quæ adhuc in domo paterna custoditur; sed etiam pro puella jam viro

ro nupta & tradita, ac in illius domesticum consortium recepta, ut benè multis Sacræ Scripturæ locis demonstrari posset. Præcipuè autem tempore Salutationis Angelicæ, & Conceptionis Verbi, Mariam non ampliùs fuisse in parentum domo custoditam, sed Josepho jam nuptam, eique traditam, satis credibile apparet; tum quia ejus parentes, ut refert Cedrenus, fortasse jam mortui erant; tum quia cum statim perrexerit in Montana ad salutandum Elisabeth, hoc certè, si puella fuisset nondum nupta, Virgo modestissima non tentasset, maximè sola sine comite transire per mediam Jerusalem, ac longo itineri se exponere sine comite, ac sui pudoris fideli custode. Quis autem alius comes ac custos esse poterat quam Joseph? Licèt autem Lucas hoc iter describens Joseph non meminerit, satis tamen illi fuit eum dixisse Virum Mariæ: nam quis alius comes debebat esse sponsæ, quàm Vir ejus? Neque obest, quòd Joseph, etsi Mariæ comes, verba Salutationis Elisabeth non audierit; contingere enim potuit ut Joseph tunc præsens non esset, & hoc Divino consilio factum, ut Joseph Mysterium nesciret, usque dum ab Angelo de eo edoceretur.

XLVII. Respondeo secundò: Lucam dicere Mariam potiùs Josepho *desponsatam* quàm nuptam, non quia inter eos nondum esset verum ac ratum Matrimonium, sed ut indicaret, eos sola conjunctione animorum fuisse desponsatos, nulla conjunctione corporum. Hoc indicant etiam verba, quibus Lucas inducit Mariam sic Angelo loquentem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi diceret desponsata quidem sum viro: at quomodo concipiam in utero, ut tu dicis, quoniam illum adhuc carnaliter non cognosco? Ut igitur ostenderet, Mariam quamvis Matrimonio junctam, fuisse tamen intactam, maluit Lucas Desponsatam dicere quàm nuptam; & eadem ratione, quamvis prægnantem, Desponsatam uxorem appellare voluit, cum tamen juxta contrarios saltem tunc esset Matrimonio juncta, non solis sponsalibus promissa. Hac interpretatione utitur etiam S. Thomas 3.p. q.29. art.2. ad 1. & 2., ut respondeat Hieronymo, qui prima fronte videtur sola sponsalia Mariam inter & Joseph admittere, & nuptias inter eos negare: unde ad tertium ait: *Quamvis tamen* (Maria) *esset domi habita propter primam desponsationis fidem, nondum tamen intervenerat solemnis celebratio nuptiarum, propter quod etiam nondum carnaliter convenerant.*

XLVIII. Moventur secundò, ex Matth. cap.1. v.18. ubi hæc leguntur: *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto:*

quæ verba *antequam convenirent*, cum non possint aptiùs intelligi, quàm de conventione ad cohabitandum, indicant, Mariam cum concepit, adhuc fuisse in paternis ædibus, ac subinde nondum Josepho nuptam: si enim Josepho fuisset nupta, paternis relictis laribus in domum Josephi concessisset.

Et confirmant: nam Matthæus ibidem v.19. subdit: *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere*, nimirùm è paterna domo in propriam, *voluit occultè dimittere eam*, idest statuit apud se, recedere à sponsalibus, eamque deserere. Hinc Josepho fluctuanti occurrens Angelus dixit v.20. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; quasi diceret: noli timere cum ea inire conjugium, eamque in domum tuam, ut spopondisti, accipere. Quibus apparet, quòd Maria dum inventa fuit in utero gestans, nondum erat à Joseph domi accepta, ac proinde nondum ei nupta.

XLIX. Respondeo, hunc Matthæi textum sententiæ nostræ favere potiùs quàm obesse, ut supra ostensum est num.43. Modò addo, verba illa *antequam convenirent* de conventu per conjugalem concubitum, idest antequam conjugaliter commiscerentur, esse exponenda, non de conventu ad cohabitandum; jam enim in Josephi domo erat Maria, cum hoc contigit, & consequenter jam nupta: & hoc ut meliùs ejus honori consuleretur: unde S. Thomas loco supra citato ad tertium ait: *B. Virgo sic fuit desponsata Joseph, quòd etiam esset domi habita. Nam sicut in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis; sic in ea, quæ extra domum concipit, est suspecta conjunctio. Et ita non esset sufficienter provisum famæ Beatæ Virginis per hoc, quòd fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita.* Antequam ergo conjugaliter convenirent, inventa est Maria habens in utero. Nec sequitur, quòd postea conjugaliter convenerint, sed Scriptura quid factum non sit ostendit, aut quod videbatur esse faciendum, licèt factum non sit. Ita S. Hieronymus lib. contra Helvidium cap.1. *Sicut si aliquis dicat: antequam in portu prandarem, navigavi: non intelligitur, quòd in portu prandeat postquam navigaverit, sed quia cogitabatur in portu prandsurus.* Ex quibus S. Thom.3.p. q.28. a.3. ad 1. *Et similiter*, inquit, *Evangelista dicit*,, Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto,, *Non quia postea convenerint; sed quia dum viderentur conventuri, præveniet conceptio per Spiritum Sanctum, ex quo factum est, ut ulteriùs non convenirent.* Sic igitur discurro: Maria & Joseph tunc erant in eo statu, in quo viderentur posse conjugaliter convenire: sed si essent tantùm sponsalibus mutuò promissi, non esset in eo statu,

tu, in quo viderentur posse conjugaliter convenire; ergo non solis sponsalibus erant promissi, sed vero ac rato Matrimonio jam conjuncti.

L. Ad confirmationem dico cum S. Thom. 3.p. q.29. art.2. ad 3. *Quod dicitur*,, Et nollet eam traducere,, *melius intelligitur, deest* nollet eam diffamare in publicum, *quàm quòd intelligatur de traductione in domum: unde & Evangelista subdit, quòd*,, voluit occultè dimittere eam,,. Quomodo quæso (ut supra dicebam ex Ambrosio) dimittere poterat, quam domi nondum habebat? Quomodo libello repudii eam dimittere, quæ nondum esset sua, quia nondum nupta? desponsata namque, & nondum nupta, libello repudii non dimittebatur, quia nec in potestate viri erat, nec conjugali fide ipsi oppignerata. In eo ergo statu erat Joseph, quo licèt *nollet*, poterat tamen Mariam *traducere*, nempe eam in publicum ignominiosè diffamare, & veluti adulterii ream secundùm formulas juris coram Senatu accusare, ut teste Josepho lib.4. Antiquit. cap.8. moris erat: unde ut hanc ab eo anxietatem tolleret Angelus, teste S. Thoma 3.p. q.29. art.2. ad 3., ei dixit: *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam*, idest, *ne timeas nuptias ejus solemniter celebrare*. Demum si Joseph absolutè *Vir Mariæ* dicitur: si Maria dicitur *ejus Conjux*: quid ulteriùs desideratur, ut jam Matrimonii vinculo junctos simul habitasse dicamus? Quare S. Thom. citato loco concludit: *Licèt alii dicant, quòd nondum erat in domum inducta, sed solùm desponsata: primum tamen magis consonat Evangelio*.

LI. Moventur tertiò aliqui: nam secundùm Maimonidem Tract. de Connubiis Hebræorum cap. 10. num.17. Puellæ non statim post sponsalia in domum conjugis deducebantur, sed eis aliqua mora in parentum ædibus concedebatur. Cum ergo Maria & Joseph servatis Hebræorum legibus nuptias celebrarint, credibile est, Mariam post sponsalia cum Josepho inita Gabrielis Legationem susscepisse, tres desponsationis menses apud Elisabeth consumsisse, eisque exactis, in ædes Josephi deductam, nuptias cum eo celebrasse.

Addunt: non decuisse, ut Maria jam Mater Dei effecta imperio mariti subjecta cum eo habitaret, antequam iste edoctus fuisset Mysterium. Cum ergo Joseph Mysterium non noverit, nisi post reditum à domo Elisabeth, inde fit, quòd nonnisi post illud trium mensium spatium nuptias cum eo celebrarit, conjux ejus effecta fuit, & cum eo habitare cœpit. Talis autem trium mensium absentia à sponso valdè juvit ad probandum, Mariam non ex Joseph fuisse effœtam, sed solo Spiritu Sancto operante concepisse.

LII. Re-

LII. Respondeo tamen, hæc nihil me movere. Non primum: nam tempus pro puellis desponsatis præfixum ante solemnem in ædes conjugis deductionem nullâ Lege taxabatur, sed longum, vel etiam breve pro voluntate & commoditate contrahentium erat, ut testatur Leo de Modena p. 4. c. 3. Hist. de Ritibus Judæorum. Sic Genes. cap. 24. v. 55. Fratres Rebeccæ Isaac jam desponsatæ postularunt, ne nisi post decem dies ad domum Sponsi deduceretur, dicentes: *Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur*. Quid ergo vetuit, quin Maria parvo à Sponsalibus elapso tempore, ante Legationem Gabrielis & Conceptionem Verbi fuerit Matrimonio cum Joseph conjuncta, & ad domum ejus deducta, maximè ita statuente Dei Providentia, ne talis insperatò ac anticipatò conceptu fama ejus læderetur? Hoc facilè assequemur, si historiam supra relatam, quamvis apocryphum, saltem in hac parte cum Gregorio Nysseno, & aliis Veteribus admittamus, nimirùm, Mariam è Templo in domum parentum, qui fortè tunc erant mortui, non rediisse, sed post expletam omnem Matrimonii solemnitatem ab ipsis Sacerdotibus statim Josepho viro ejus fuisse traditam.

Neque movet me id quod addunt. Quin (& quidem maximè) decebat, ut B. Virgo in ædibus Josephi habitaret, eique nupta esset, dum concepit, quàm si extra domum Josephi, & nondum nupta concepisset, ob rationes supra allatas num. 49. Unde Ambrosius lib. 2. in Lucam: *Fides*, inquit, *verbis Mariæ magis adscisciturr, & mendacii causa removetur: videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta prægnans: causa autem mentiendi desponsata non habuit, cum conjugii præmium, & gratia nuptiarum sit partus feminarum*. Quod ex S. Thom. 3. p. q. 29. art. 2. ad 3. supra comprobavimus: cui periculo minùs occurrunt, qui volunt, Mariam sexto post initas nuptias mense peperisse. Partus enim ut supra diximus adeò insolitus à stupri suspicione non vacasset. Josephum autem nondum de Mysterio instructum Mariam uxorem habere, & cum ea familiariter habitare, indecens non fuisse, apertè demonstrant ejus puritas, amorque castitatis, qua Mariam assumsit in sponsam, non ut ereptor, sed ut custos & testis ejus Virginitatis. Et hæc satis de hac quæstione: in qua neutri quidem opinioni Scriptura apertè patrocinatur, magis tamen ei conformem eam, quam hactenus propugnavimus, judicamus.

§. VI.

Quoto ætatis anno Maria & Joseph Matrimonium inierint.

LIII. Quoad ætatem, qua Beata Virgo fuit desponsata Josepho, ad quartumdecimum annum perveniſſe, narrant Pseudo-Evangelium de Nativit. Mariæ, & Evodius apud Nicephorum lib. 2. cap. 3., ſed in Proto-Evangelio Jacobi duodecennis tantùm fuiſſe describitur, cum Josepho desponsaretur, his verbis: *Duodecim autem annorum factâ in Templo Domini, Concilium Sacerdotum factum eſt dicentium: Ecce Maria facta eſt annorum decem* (ſivè ut græcè legitur) *duodecim, in Templo Domini, quid faciemus illi?* &c. Apud Doctores verò circa hoc varietas eſt. Joannes Annæus in Commentariis Chronographiæ Philonis ſenſit, Mariam anno decimo quarto ætatis ſuæ Chriſtum peperiſſe, cui ſubſcribit Driedo lib. 3. de Dogmat. Sac. Script. tit. 3. cap. 5. parte 4., ex quo ſequitur, B. Virginem anno ætatis decimo tertio nondum expleto Joſeph nupſiſſe.

Nicolaus Monachus in Epiſt. Petro Cellenſi ſcribit, Mariam vix duodennem nuptui traditam.

Vazquez ex Baronio in Apparatu num. 53., ut communem ſententiam profert, Deiparam nuptam fuiſſe anno decimo quinto inchoato, & nondum expleto. Huic accedit Suarez, aſſerens tanquam probabilius, Deiparam nupſiſſe paulò poſt inchoatum decimum quartum annum; quia, inquit, undecim ferè annis in Templo manſit, & tunc tradita fuit Josepho, & poſt quatuor menſes Angelicum Nuntium habuit, cumque triennis fuiſſet in Templum adducta, fit ut agens annum decimum quintum Filium pepererit.

Cajetanus verò in cap. 1. Lucæ cenſuit, B. Virginem in ætate viginti quatuor annorum peperiſſe Chriſtum, adeòque anno vigeſimo tertio nondum completo Joſepho nupſiſſe.

LIV. Quam verò ætatem ageret Joſeph, cum Mariam accepit, magis incertum eſt. Evangelium de Nativ. Mariæ illum dicit *grandævum*: Proto-Evangelium Jacobi illum inducit tali connubio his verbis reſiſtentem, *Filios habeo, & ſum Senex, ipſa autem eſt juvencula; unde timeo, ne fortè ridiculus fiam filiis Iſrael.* Octogenarium tunc fuiſſe, putat Epiphanius hæreſ. 78., cui ſubſcribit Nicephorus lib. 1. c. 7. In Anchorato tamen idem Epiphanius tantùm dicit fuiſſe Senem, nil de ætate determinans.

nans. Huic opinioni adhæsit Pictorum vulgus, qui Joſephum in ſenili ætate, ac Mariam juvenculam, honeſtatis fortè titulô, pingere conſueverunt.

LV. Joſephum tamen in ætate quidem matura, ſed non ſenili, Mariæ junctum fuiſſe, ob rationes infra adducendas, alii præſertim ex recentioribus autumant. Quinquagenarium fuiſſe, putat Gerſonius in Serm. de Nativ. B. Virginis habito in Concil. Conſtantienſi. Viguerius lib. Inſt. Theologic. cap. 20. ſatis juvenem fuiſſe exiſtimat, ætatem tamen non determinat. Sicut nec eam deſignat Suarez, ſolùm dicens, Eum fuiſſe aptiſſimæ & convenientiſſimæ fini, ad quem eligebatur; addens: qua verò ætate fuerit, ſivè juvenis, ſivè vir, ſivè triginta, ſivè quadraginta annorum, definiri non poteſt, cum ex hiſtoriis nihil habeamus. Idem ſentit Vazquez, ſolùm addens, Joſephum non fuiſſe impotentem ad generandum, quando contraxit, non ſolùm re ipsâ, ſed etiam opinione hominum, ac proinde non fuiſſe octogenarium, ut putavit Epiphanius, aut valdè Senem, quem impotentem homines ſuſpicari poſſent: quod adeò verum exiſtimat Abulenſis in cap. 30. Numer. qu. 31., & in cap. 1. Matth. q. 32., ut oppoſitum judicet irrationabile. Quid autem de utroque hoc dubio ut probabilius judicem, dicam in ſequentibus.

LVI. Quoad ætatem, qua B. Virgo nupſit Joſepho, probabilius videtur, fuiſſe nec nimiùm maturam, nec nimis teneram; nimirùm adoleſcentulam quidem, non puellam; ideòque duodecimum & quartum decimum annum excedentem: quot autem annis exceſſerit, omnino incertum eſt. Eam tamen maturioris ætatis non fuiſſe, quando nupſit, facilè conjicitur; tum quia nemo ex Patribus, vel ex Antiquis Mariam quando nupſit, aut quando Chriſtum peperit, vocat eam mulierem aut feminam, ſed vel puellam vel adoleſcentem; tum quia hoc fuiſſet contra Judæorum conſuetudinem, vi cujus ipſorum mulieres non provectæ ſed juvenilis ætatis Matrimonio jungebantur.

Quòd autem ætatis nec nimis teneræ Maria fuerit, quando nupſit, ſuadere videtur primò æqualitas inter virum & uxorem: ſi enim Joſeph provectæ vel maturæ ſaltem ætatis erat quando ei junctus fuit, impro prium apparuiſſet, ſi tenellam in conjugem accepiſſet: an non eam Judæi deriſiſſent, qui ab iis, quæ extrinſecùs tantùm apparebant, permoti, junctam vidiſſent cum homine, qui potiùs ejus appareret genitor, quàm maritus? Secundò, id poſtulabat honeſtas Virginis, quæ Voto Virginitatis jam obſtricta, non libidine, ſed obedientiâ ad Matrimonium trahe-

trahebatur; præmatura enim & accelerata Matrimonia intemperantis libidinis argumentum esse solent. Tertiò, quidni ultra tenellam ætatem Mariam cogitemus, quæ quarto post nuptias circiter menſe, acceptô Angelicô nuntiô, longam, nec facilem, quia in Montana, peregrinationem ſuſcepit, Eliſabeth ſalutatura; & quæ propinqua partui à Nazareth conceſſit in Bethlehem?

At inquies: Mariam, dum nupſit Joſepho, *puellam*, *juvenculam* vocant Patres. Eſtò: at numquid ex hoc probatur, eam duodecim tantùm, aut quatuordecim egiſſe annos, dum nupſit, aut dum peperit? Etiam Rebecca Geneſ. 24. paſſim *puella* appellatur, & Abiſag. 3. Reg. 1. v. 4. dicitur *Puella pulchra nimis*: quis autem ex hoc inferet, utramque vix quartum decimum annum attigiſſe, & non potiùs decimum octavum, aut etiam vigeſimum? Ruth etiam Moabitis *puella* à Booz vocatur Ruth. c. 2. v. 5. *Cujus eſt hæc puella*? quæ tamen annos ut minimùm viginti quinque tunc agebat; cum ut habetur ibid. cap. 1. v. 4. ex priori viro, cum quo decem annis vixerat, vidua tunc eſſet. Non ergo ex quo Beata Virgo *puella* à Patribus dicatur, quando nupſit Joſepho, infertur, eam vix quatuordecim annos exceſſiſſe: eò vel maximè quòd in Evangeliis, aut aliis Libris authenticis, Maria deſponſata Joſeph *Virgo* quidem vocatur, *ſed adoleſcentula* aut *puella* nunquam. Opinio ergo, quòd adeò tenera Maria nupſerit, ex fontibus apocryphis ſupra narratis ac proinde ſuſpectis prodiit: qui nec ipſi inter ſe concordant, nam unus dicit, Mariam Matrimonium iniiſſe, cum ageret annum quartum decimum, alter verò cum ageret ſolùm duodecimum.

LVII. His non obſtat primò, quòd Baronius ex Epiſtola Evodii oſtendat, B. Virginem quartodecimo ætatis anno nupſiſſe; & hoc confirmet ex Gregorio Nyſſeno Orat. in Chriſti Natale, ex Germano Conſtant., ex Georgio Nicomedienſi, ex Joanne Damaſceno, Cedreno, Elia Cretenſi.

Secundò, quòd Nicephorus lib. 2. Hiſt. cap. 3. referat, Mariam triennem in Templo præſentatam undecim annis manſiſſe in Templo, & deinde Joſepho traditam; ex quo conficitur, eam tunc quatuordecim annos egiſſe.

Tertiò, quòd Hieronymus lib. de Nativ. S. Mariæ, Origenes Tract. 26. in Matth., & Theophylactus in cap. 23. Matth. determinent annum, quo Maria Joſepho juncta fuit.

Nam ad primum, ſalvâ reverentiâ Baronio debitâ, dico, Epiſtolam illam Evodii à Criticis haberi ut ſpuriam, & nullius in præſens auctoritatis; vel, ſi ſaltem dubia ſit, dubium eſ-

esse & incertum annum, quo Maria nupsit.

Ad secundum dico: quidquid sit an Oratio illa sit genuinus partus Nysseni an potiùs suppositus, certum est, quòd in illa nec verbum habetur de ætate B. Virginis, quando nupsit: sicut nec Germanus Georgius Damascenus aliique citati de hac quidquam determinant. Quòd si etiam aliquid de hoc attingerent, opinionem probabilem facerent, sed non certam.

Ad tertium pariter dico, Lib. de Nativ. B. Mariæ non esse Hieronymi; insuper nec aliud dicere, quàm quòd B. Virgo cum præsentaretur in Templo, sola sine manuducentis adjutorio gradus omnes Templi ascendit. Origenes solùm dicit, quòd Zacharias occisus fuit inter Templum & Altare; quòd permisisset B. Virginem post partum inter Virgines orare: & hoc ab Hieronymo ipso ut apocryphorum somnium rejicitur. Idem dic de Theophylacto. Hæc tamen suscipiat Lector, non tanquam asserta, sed ut opinabiliter prolata, ut cuique pateat libertas in re incerta, quod sibi magis placuerit, amplectendi.

LVIII. Nunc ad ætatem, qua S. Joseph cum Maria conjugium iniit, de quo major est incertitudo, transiens, verisimilius existimo, eum non fuisse senem, nec adolescentem, sed mediæ, nimirùm maturæ & gravis ætatis. Moveor primò, quia ex dictis voluit quidem Deus ex Virgine, Matrimonio tamen juncta, concipi & nasci, ut Matris honor poneretur in tuto, & ejus graviditas posset marito tribui ab omnibus, qui ignorabant Mysterium: ergo Joseph in ea ætate debuit iisque viribus esse, ut fœtus & partus Virgineus communiter ei tribui posset, & non alteri. Si autem tunc fuisset ætate ac senio confectus, videntes Mariam ab inito Matrimonio ferè statim uterum gerentem, quid non dixissent? Certè, ut est suspiciosum hominum genus, ex hoc ad malè de juvene uxore pariente suspicandum, & maximè si sexto post initum conjugium mense (ut volunt aliqui contra quos supra egimus) peperisset, omnes ignari Mysterii processissent.

Secundò, Patres concordes dicunt, Mariam Virginem Matrimonio fuisse junctam, ut haberet virum, qui esset illi in præsidium, solamen & adjutorium, tum in educanda prole, tum in re familiari gerenda; & qui arte ac labore suo eam aleret, eique in suscipiendis longis itineribus comes esset & adjutorium: quale autem subsidium, quale adjutorium sperare in præfatis oneribus potuisset Maria ab homine annoso, qui adjutorio ac præsidio egeret potiùs, quàm alteri præstare posset? Nonne ei gravamini potiùs fuisset, quàm solamini? Certè cum audio Joseph

seph ad omnia, quæ sponsæ suæ contingerent, semper paratum, eique in itineribus semper fidelem comitem, & præcipuè cum Matth. 2. lego v. 13., Angelum ei dicentem: *Surge & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum*: & statim v. 14. *Qui consurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum*: hac Josephi promtitudine mihi persuadere non possum, eum fuisse ætate ac viribus fessum, quin potiùs eum existimem ætate florentem, ac viribus fortem.

Tertiò, S. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 12., ubi totus est in probando, Joseph fuisse verum Mariæ Virum, dicit, quòd *in spem procreandæ prolis* eam duxit, quamvis postmodum *procreandæ prolis spem amiserit*, dum Divinam fœcunditatem monente Angelô intellexit: tunc enim & ipse Virginitatis Votum emisit. Ea ergo vigebat ætate, iisque viribus, ut ex conjugio, prolem sperare prudenter potuisset, nisi alium postea Divino afflatu animum induisset: quod senio confectus, puta octogenarius sperare prudenter non potuisset.

Quartò, Lucæ 2. dum Christus annum duodecimum ageret, Joseph non solùm vivebat, sed simul cum Maria & Jesu singulis annis occasione Festi Paschatis à Nazareth descendebat in Jerusalem, quod & singulis sequentibus annis continuasse credibile est; eum enim superstitem fuisse indicant illa verba: & Jesus *erat subditus illis, & proficiebat sapientia, & ætate*: quòd si octogenarius Mariam duxisset, dum Jesus ageret annum duodecimum, Joseph annum nonagesimum tertium egisset: difficile autem creditu est, hominem nonagenario majorem, & ad centenarium properantem, itineri trium fermè dierum pares vires adhuc obtinuisse. Crescet autem magis difficultas si admittamus cum aliquibus, Josephum vivere adhuc non desiisse, quando Christus trigesimum annum agebat, tunc enim de ipso tanquam adhuc vivente loquebantur Judæi, tum Joan. 6. v 42. *Nonne hic est Filius Fabri, cujus nos novimus patrem & matrem?* tum Matth. 13. v. 55. *Nonne hic est Fabri Filius? nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joseph, & Simon & Judas? & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Tunc autem annum centesimum decimum superasse necesse erit, si ponamus octogenarium Mariam duxisse: quod sine certa probatione, quamvis possibile, nemo sibi persuadebit. Mitto opinionem Chrysostomi homil. 5. in Matth., Ambrosii lib. de Instit. Virg. c. 6., lib. 1. Epist. 5., lib. 2. in Lucam ad c. 1., & Augustin. serm. 81. de tempore, volentium, Josephum Christo morienti superstitem fuisse: ideò autem Joanni potiùs, quàm ipsi, Mariam commen-

dasse, ut palam ostenderet, Mariam inter ac Josephum nullum carnale commercium intercessisse. Hi certè Patres non erant in opinione, quòd Joseph octogenarius Mariam duxisset, alioquin ad annum centesimum ferè vigesimum ejus vitam protraxissent.

LIX. Igitur Matrimonium inter Mariam & Joseph, utpotè à Divina Sapientia altè dispositum, decebat, ut nihil haberet, quod non esset conveniens, & humano judicio reprehendi posset. Si autem fuisset valdè juvenis, ei defuisset laus; nec honestati Virginis benè consultum fuisse videretur. Si verò admodum senex, sustinendo oncra Matrimonii, proli educandæ, & aliis ferendis laboribus impar fuisset. Adde, quòd in tanta ætatis discrepantia, qualis est inter senem ac juvenculam, in hominum æstimatione nunquam probatum, sed risu potiùs semper exceptum conjugium fuisset. Decuit ergo, ut tale conjugium fieret cum maturæ ætatis viro, à juventute quidem recedente, sed ad senectam non declinante, & propterea à Sacra Scriptura semper vocatur Vir. Sed cum quotum annum ageret non dicat, nec nos dicamus, sed ad incerta amandabimus.

LX. Quare nullius fidei puto ea, quæ ex Pseudo-Evodio, ex falso Hieronymo, & ex conficta Josephi Historia ab Epiphanio descripta sunt de Josephi ætate, quando Mariam duxit, nempe quòd octogenarius fuerit, vel ad extremam senectutem vergens, ob rationes superiùs allatas. Minorem etiam fidem meretur usus antiquus pictorum pingendi Joseph in senili ætate. Nam pictoribus atque Poetis par licentia conceditur, res, non ut revera sint, sed ut sibi in mentem venerint, efformandi, quod sub oculis quotidie habemus. Pictores tamen pingunt Josephum in ætate senili quidem, sed adhuc vigenti, ut arti fabrili, quam exercentem plerumque efformant, adhuc idoneus sit, & proinde non decrepitæ, sive octogenariæ ætatis: ideo autem senem potiùs, quàm juniorem pingunt, ut eum designent sponsæ suæ Virginitatis custodem fuisse, non ereptorem, & sic à videntibus omnem contrariam suspicionem tollentes erga castissimos sponsos ingerant devotionem.

LXI. Nec tandem opponas Abulensem paradoxo 1. cap. 80., & paradoxo 2. cap. 73. referentem, Judæos putasse, Christum natum ex adulterio, dum videbant Josephum in ætate adeò grandæva constitutum, ut communiter censeretur impotens ad generandum.

Nam Abulensis hoc refert quidem, sed non probat, imo contrarium statuit, præcipuè in cap. 30. Numer. q. 31., in cap. 1. Mat-

Matth. q. 32. ut supra indicavimus, & adhæret opinioni Gersonis, qui Josephum quinquagenarium fuisse putat. Quòd autem Judæi suspicati fuerint ex Josephi impotentia Christum ex adulterio natum fuisse, fabulosum esse Judæi ipsi ostenderunt, qui ex supra dictis Joan. 6. & Matth. 13. dubitabant quidem de modo, quo Christus tantam scientiam haberet, sed quòd esset Filius Fabri, nempè Joseph, certò se scire asserebant: imo eorum admiratio ex hoc augebatur, quòd ille, quem Filium Fabri esse noverant, tam sublimia & loqueretur & faceret.

§. VII.

De statu S. Joseph ante & post initum cum Maria conjugium.

LXII. A Bætate, in qua Joseph Mariæ junctus conjugio fuit, gradum faciamus ad ejus statum, an scilicet fuerit in statu Cœlibis, an Vidui; & ex priori uxore defuncta filios habens, quando cum Maria conjugium inivit. Deinde an post initum cum ea conjugium castè semper cum ea perseverarit.

LXIII. Circa primum, Joseph fuisse viduum, & filios ex priori uxore habentem, collegerunt aliqui ex Proto-Evangelio Jacobi, in quo, dum ageretur de Sponso Mariæ destinando, inducitur Angelus Principi Sacerdotum dicens: *Zacharia, Zacharia, exi & convoca viduos Populi, & adferant singuli virgam, & cui ostenderit Deus signum, hujus erit uxor in custodiam.* Cumque inter ceteros accurrisset etiam Joseph, & ex ejus virga columba egrediens volasset super caput ejus, Sacerdos ex hoc conjiciens, hunc esse præ ceteris electum, ei dixit: *Tu es forte divina electus, ut accipias Virginem in custodiam apud te, & contradixit Joseph dicens: Filios habeo, & sum senex, ipsa autem est juvencula: unde timeo, ne fortè ridiculus fiam filiis Israel.* Idem videtur colligi ex S. Epiphanio hæres. 78. dicente, Joseph, quando Mariam duxit in uxorem, fuisse viduum, & ex alia uxore plures filios suscepisse, qui Christo vivente adhuc superstites erant. In hanc opinionem trahuntur Hesychius Orat. 2. de resurrect., Eusebius lib. 2. hist. cap. 1., Nicephorus lib. 2. hist. cap. 3., Chrysost. homil. 5. in Matth., aliique ex Græcis. Ex Latinis autem inducuntur S. Hilarius in cap. 1. Matth., Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 6., & aliqui alii.

LXIV. Dicendum tamen est, Josephum ante conjugium cum B. Virgine viduum non fuisse, sed cœlibem & Virginem.

Hoc

Hoc adeò certum putat S. Hieronymus in cap. 13. Matth., ut oppositum vocet deliramentum his verbis: *Quidam suspicantur sequentes deliramenta Apocryphorum, fratres Domini de alia uxore Joseph filios fuisse.* Quibus apparet, qualis auctoritatis ac fidei fuerit apud verum Hieronymum Proto-Evangelium Jacobi, ubi, ut vidimus ista narrantur. S. Thomas etiam in cap. 2. Joan. Lect. 2. *Cavendi sunt*, inquit, *duo errores, scilicet Helvidii dicentis, quòd B. Virgo post Christum alios filios habuit, & hos dicit fratres Domini, quod est hæreticum. Item error quorumdam dicentium, Joseph ex alia Conjuge filios genuisse, & hos vocari fratres Domini, quod Ecclesia non tenet: & ideò Hieronymus eos improbat.*

LXV. Probo primò: Matrimonium inter Mariam & Joseph debet esse ita purum ac perfectum, ut nullum eo purius ac perfectius unquam fuerit: sed purius est ac perfectius Matrimonium Virginis cum Virgine, quàm Virginis cum jam corrupta, vel corrupto, unde in viduo si aliam duxerit, etsi Virginem, aliquam maculam agnoscit Ecclesia, ratione cujus eum indignum judicat, ut ad Sacros Ordines promoveatur. Ergo &c. Itaque Conjugium inter Mariam & Joseph debuit esse tale, ut perfectius, quàm Conjugium Adami & Evæ, Conjugium spirituale Christi & Ecclesiæ repræsentaret: ergo debuit esse Virginis cum Virgine, unius cum una tantum, sicut Christus Virgo Ecclesiam Virginem sibi desponsavit, nec aliam unquam habuit. Hinc Hieronymus Helvidium arguens: *Tu dicis*, inquit, *Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali Conjugio Virgo Filius nasceretur*: & Augustinus serm. 25. de Annunt. nunc in App. ser. 195. *Habe Joseph cum Maria Conjuge tua communem Virginitatem membrorum, quia de Virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria Sponsa Christi in carne sua Virginitate servata: sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis, & honorificentiâ Virginitatis, ut de Virgineis membris Genitricis seculis Christianis nulla sit zelotypia .... Gaude itaque Joseph, nimiùmque congaude Virginitati Mariæ, qui solus meruisti Virginalem affectum possidere Conjugii; quia per meritum Virginitatis ita separatus es à concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris.*

LXVI. Probo secundò: Omnes illi, quos Christus peculiariter dilexit, & quibuscum familiariter conversatus est, Virgines fuerunt. Ejus enim Sanctissima Mater Virgo fuit, Virgo Joannes Baptista, Virgo etiam Joannes Evangelista; ergo multò magis decuit, ut Joseph, qui inter brachia sua post Mariam eum strin-

ſtringere meruit, ac ſæpiſſimè oſculari, qui eum nutrivit, qui eum in Ægyptum duxit ac reduxit, Virgo eſſe debuit. Hinc S. Petrus Damiani Epiſt. 6. ad Nicolaum Pontificem cap. 4. ait: *Eccleſiæ fides in eo eſt, ut non modò Deipara, ſed etiam putativus Pater atque nutritius Virgo habeatur..... Sic igitur Redemtor noſter tantoperè dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de Virgineo utero naſceretur, ſed etiam à nutritio Virgine tractaretur.*

LXVII. Probo tertiò: Qui dicunt, Joſephum antequam Deiparam duceret, aliam habuiſſe uxorem, & ex ea filios procreaſſe, inani fundamento nituntur; & deinde inter ſe non conveniunt; ergo audiendi non ſunt. Probo primum: Fundamentum eorum eſt præfatum Jacobi Evangelium, quod revera Jacobi non eſt, ſed Seleuci viri Manichæi, ut teſtatur Innocentius I. Epiſt. 3. ad Exuperium c. 3., ſivè ut alii putant, cujuſdam ſectâ Gnoſtici vel Ebionitæ. Cujuſvis autem opus ſit, nullam mereri fidem obſervat Origenes ipſe Comment. in Matth. ubi ait: *Fratres autem Jeſu, affirmant nonnulli, filios eſſe Joſephi ex priori Conjuge, quam ipſe ante Mariam duxerit, ad id ſcilicet adducti traditione Evangelii, quod ſecundùm Petrum inſcribitur, vel libro Jacobi.* Qua Traditione etſi apocrypha adducti quidam Patres Græci, & etiam Latini, hanc opinionem non reprobarunt, eò vel maximè, quòd Eccleſia, quamvis eam non teneat, contrarium tamen non definivit.

Probo ſecundum: Qui Joſepho aliam uxorem ante Mariam tribuunt, in ejus nomine non conveniunt. Sunt qui eam volunt *Eſtam*, quod ex apocryphis hauſtum, monent Origenes & Hieronymus, nempè ex Pſeudo-Evangeliis Petri & Jacobi. Sunt qui eam *Mariam* fuiſſe velint, quæ Jacobi Minoris mater *Maria Jacobi* dicta eſt: ſed hi turpiùs hallucinantur; cum enim Chriſtô in Cruce pendente Maria Jacobi mater adhuc ſuperſtes eſſet & Calvario adſtans, Marci 15. v. 40. *Erant autem mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi Minoris*; ſi hæc fuiſſet prima uxor Joſeph, conſequens eſſet, ut Joſeph aut binas Marias ſimul habuiſſet uxores, illam nempe, & Deiparam, aut priorem datô libellô repudiaſſet. Quis autem mente ſanus hoc dixerit?

LXVIII. At opponent primò: Credibile non videtur, quòd S. Joſeph in ætate illa, qua Virginem duxit, vel ſenili, vel ut diximus ſatis matura, ſine uxore fuiſſet, quum Judæi omnes Matrimonium inirent, ut filios procrearent.

Reſpondeo, quòd etſi regulariter omnes Judæi Matrimonio jun-

jungerentur, aliqui tamen à Matrimonio per totam vitam abstinuerunt, ut Josue, Elias, Elisæus, Jeremias, Daniel, & tres pueri, & postremò Joannes Baptista à Deo electus, ut Christi esset Præcursor. Cur ergo Joseph, quem Deus elegerat, ut intemeratæ Virginis Sponsus esset, & Patris Christi gereret nomen, non debuit ab omni anteriori abstinere Coniugio, Deo secretè illum afflante, ut esset Virginis Virgo Sponsus, & Filii Virginis Virgo parens?

LXIX. Sed opponunt secundò, Evangelia & Paulum oppositum dicere: nimirùm Christum habuisse fratres, non quidem ex Maria post Christum genitos, ut statim ostendam; ergo filios Joseph ex priori uxore procreatos.

Sed ad hoc concordi Patrum Traditione dico, eos, qui in Scriptura *Fratres Domini* appellantur, non homines eodem patre aut matre genitos denotare, sed quoslibet Christo Domino proximâ cognatione conjunctos, pro more Scripturarum, ub fratres sororesque dicuntur, qui proximè cognati vel affines sunt: sic Abraham Loth, qui nepos ejus erat, *Fratrem* vocat Gen. 13. v. 8. *Fratres enim sumus*: Laban cap. 29. v. 15. Jacob generum suum *Fratrem* vocat: *Num quia frater meus es, gratis servies mihi?*

Fratres ergo Domini & sorores dicuntur Matth. 13. v. 55. Jacobus, Joseph, Simon, & Judas, & sorores ejus, non quia filii Joseph ex priori conjuge, ac multò minus ex Maria; sed quia filii Mariæ Cleophæ, quæ cognatione & sanguine juncta erat Mariæ Virgini, & mater Jacobi, ideòque *Soror Matris Domini* dicitur. Vel, ut putant Baronius in Apparatu, & Bollandus ad diem 9. Aprilis, qui fratres Domini dicuntur, fuerunt filii Mariæ uxoris Cleophæ: Cleophas autem erat frater Josephi Sponsi Virginis Deiparæ, sicut asserunt Egesippus apud Eusebium lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 11., & alii Patres. Quapropter sicut Josephus & Cleophas erant fratres; ita Maria Mater Jesu uxor Joseph, & Maria uxor Cleophæ fratris Joseph appellabantur sorores; & filii Mariæ uxoris Cleophæ Christi Mariæ Virginis filii dicebantur fratres, aut si velis Consobrini. S. Hieronymus existimat, Mariam Cleophæ, sic dictam à patre non à marito, fuisse verè sororem B. Virginis; sed quia nec Mariæ patrem credimus fuisse Cleopham, sed Joachim; & quia Deiparam credimus unigenitam, ideò alio titulò Mariam Cleophæ ejus sororem dictam existimamus.

LXX. Non latet, S. August. in illud ad Galat. 1. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini* dice-

cere, quòd Jacobus frater Domini nuncupatur, vel quia filius fuit Joseph ex alia uxore, vel ex cognatione: & S. Ambrosium lib. de Inst. Virg. cap. 6. hæc habere: *Potuerunt autem & fratres esse ex Joseph, non ex Maria; quod quidem si quis diligentiùs prosequatur, inveniet.* Quibus adjungi possunt Eusebius lib. 2. hist. cap. 1., Origenes in cap. 13. Matth., Epiphanius hæres. 78., Hilarius in cap. 1. Matth.

LXXI. Attamen hos Patres non assertivè, sed opinanter hoc proposuisse, ex modo loquendi apparet. Cum enim Græci ex apocrypho Evangelio Petri, sivè Jacobi, ut perpetuam Mariæ Virginitatem tuerentur, dicerent, eos, qui fratres Domini dicuntur in Evangelio, esse filios Joseph, non ex Maria sed ex priori conjuge susceptos; neque Ecclesia contrarium statuisset; hoc admittebant, non quidem determinando, sed aliis determinandum relinquentes, ut ex Ambrosio apertè colligitur.

LXXII. Claudat hanc quæstionem suo testimonio S. Thomas 3. p. q. 28. art. 3. ubi ad 5. *Dicendum*, inquit, *quòd* quidam, *sicut Hieronymus dicit super Matthæum* (cap. 12. super illud *Ecce Mater ejus*) fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur: nos autem fratres Domini, non filios Joseph sed Consobrinos Salvatoris, Mariæ materteræ Domini liberos intelligimus: *Quatuor enim modis in Scripturis* fratres *dicuntur, scilicèt*, naturâ, gente, cognatione, & affectu: *Unde fratres Domini dicti sunt, non secundùm naturam, quasi ab eadem matre nati, sed secundùm cognationem, quasi consanguinei ejus existentes. Joseph autem, sicut Hieronymus dicit contra Helvidium*, magis credendus est Virgo permansisse, quia aliam uxorem habuisse non scribitur, & fornicatio in sanctum Virum non cadit.

Et ibidem ad sextum ait: *Maria, quæ dicitur Jacobi mater, non intelligitur esse Mater Domini; quæ in Evangelio non consuevit nominari, nisi cum cognominatione hujus dignitatis, quòd sit Mater Jesu. Hæc autem Maria intelligitur esse uxor Alphæi, cujus filius est Jacobus Minor, qui dictus est frater Domini.* Ita S. Thomas.

LXXIII. Quoad secundum, nempè, an S. Joseph post initum cum Maria Conjugium perpetuò castè cum ea perseveraverit: Articulus Fidei est, quòd ante Conceptionem Verbi eam carnaliter non cognoverit: hoc produnt Mariæ verba Lucæ 1. vers. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & istud Matth. 1. v. 18. *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*: & hoc in quæstionem hìc non vocamus. Quod ergo in controversiam vertitur, est an post Christum conce-

ptum & natum, Joseph cum Maria castus perpetuò vixerit, an eam postea carnaliter cognoverit.

LXXIV. Primus, qui perpetuam Mariæ & Joseph Virginitatem apertè aggressus est, fuit seculo quarto Helvidius, asserens, Mariam post Christi conceptum & partum fuisse à Joseph Viro suo carnaliter cognitam, & ex eo plures filios genuisse, quos Evangelium fratres Domini nuncupat. Helvidium strenuè integro libro confutavit S. Hieronymus. Helvidio adhæsisse Jovinianum, testis est S. Augustinus lib. de Hæresibus *in Joviniano*. Non longum post temporis intervallum eumdem errorem amplexus est Bonosus quidam Episcopus, contra quem Siricius Romanus Episcopus elegantem scripsit Epistolam ad Theophilum Alexandrinum, & Anysium Thessalonicensem Episcopum (licèt quidam D. Ambrosio eam adjudicarint.) Eumdem errorem seculo septimo quidam in Hispania excitarunt, contra quos S. Ildefonsus Episcopus Toletanus strenuè pugnavit. Demum hac nostra ætate Calviniani Ministri, infensi Virginitatis hostes, sicut eam à suis cœtibus prorsùs exulare fecerunt, ita conantur B. Virginis perpetuam Virginitatem, si non apertè negare, in dubium saltem revocare; asserentes, oppositum nullo aliquo Scripturæ testimonio satis refelli, ideòque probabiliter sustineri posse. Ecclesia tamen, ut dogma certum & ad Fidem pertinens semper tenuit, B. Mariam, nec ante, nec post conceptum Dei Filium, fuisse carnaliter à Joseph cognitam; adeòque perpetuò Virginitatem servasse. Quare cum Helvidius, aliique post ipsum adversùs eam loqui cœperunt, omnes Patres, & Catholici tanquam ad impiam blasphemiam exhorruerunt, ac ad eam impugnandam sese excitarunt. Hanc veritatem jam statui in Theol. tom. 1. in 3. p. q. 5. dub. 4. §. 2.

LXXV. Nihilominùs ad præsens in gratiam maximè S. Joseph aliqua repetam, & alia addam. Et primò perpetuam Mariæ Virginitatem præfiguratam fuisse in illis Ezechielis verbis cap. 44. v. 2. *Hæc dicit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*, sentiunt Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, Ambrosius lib. de Instit. Virginis cap. 7., Augustinus serm. 14. de Nativ. Dom., Chrysostomus, Damascenus, & alii. Sunt etiam alii typi ad hoc accommodati, ut Rubus ardens & incombustus Exodi 3.: Vellus Gedeonis cœlesti rore perfusum Judic. 6.: Virga Aaronis sola Dei virtute floréscens. Hæc tamen Calviniani velut inefficacia parvi pendunt, quia non in plano & litterali sensu, qui solus in eorum sectæ principiis Fidei Regula esse potest, sed

ſed allegorico tantùm, ſive accommodatitio, ad Mariam tranſferuntur.

LXXVI. Verùm etſi non Scriptura, nobis tamen & ipſis ſuffragari debet altera Regula, nempè conſtans ac perpetua Eccleſiæ & Patrum de hac veritate Traditio. Eccleſiæ quidem, quæ in Conciliis hoc ſemper profeſſa eſt: Synodus V. Can.6. Deiparam vocat *ſemper Virginem immaculatam*: Concilia Generalia Epheſinum, & Chalcedonenſe eam appellant *Mariam ſemper Virginem*: Synodus VI. Act.2. *Mariæ Virginitas*, inquit, *ante partum, in partu, & poſt partum intemerabilis*: & Concilia ſubſequentia, quoties de Maria ſermonem habent, hac phraſi loquuntur.

Patres etiam. Græci quidem: Epiphanius hæreſi 78. *Quis unquam*, inquit, *aut quo ſeculo auſus eſt proferre Mariæ Nomen, & interrogatus, non ſtatim intulit Virginis vocem?* Baſilius homil.25. de humana Chriſti generatione, relatô errore eorum, qui putabant, Mariam poſt Chriſtum natum matrimonialia opera Joſepho Viro non negaſſe, ait: *Virgo videlicet & mater, & in Virginitate ſancta perſeveraus, gloriam nihilominus, & bene dictionem pariendi ſortita*. Origenes hom.7. in Lucam: *Quod aſſerunt quidam, Mariam nupſiſſe poſt partum, unde approbent, non habent. Hi enim filii, qui Joſeph dicebantur, non erant orti de Maria, neque eſt ulla Scriptura, quæ iſta commemoret*. Cyrillus lib. 2. de recta in Deum Fide: *Unum & ſolum peperit S. Virgo, nempe Emmanuelem: cur igitur filium illius primogenitum appellat? neque enim ulli alii poſt ipſum ex ipſa nati ſunt. Perpetuò namque illa Virginitatem conſervavit. Sanè quantùm ex Divina Scriptura conjici poteſt, Unigenitum Dei Verbum ob id primogenitum appellatum eſt, quia Carni & Sanguini ceteriſque humanis æquè ac nos communicans, inter multos fratres primatum ſortitum eſt*. Quibus unam ex præcipuis Adverſariorum rationibus Cyrillus proſternit.

Ex Patribus Latinis ſuperiùs indicavimus Hieronymum, Siricium, Ildefonſum Toletanum, Auguſtinum. Hoc unum addo, adeò conſtans fuiſſe apud Patres, tum Græcos, tum Latinos, Mariam Virginem permanſiſſe poſt partum; ut eſtò, ut ſupra vidimus, eos, qui fratres Domini in Evangelio dicuntur, fuiſſe filios Joſeph aliqui putarint; nemo tamen ex Maria ſuſceptos dixerit, ſed ex priori conjuge, quam habuiſſe ſupponunt.

LXXVII. Hanc veritatem invictè probat quatuor rationibus S. Thomas 3.p. q.28. art.3. hiſce verbis: *Abſque omni dubio deteſtandus eſt error Helvidii, qui dicere præſumſit, Matrem Chri-*

sti post partum à Joseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. Hoc enim primò derogat Christi perfectioni: qui sicut secundùm Divinam naturam Unigenitus est Patris tanquam perfectus per omnia filius ejus: ita decuit, ut esset unigenitus Matris tanquam perfectissimum germen ejus. Secundò hic error injuriam facit Spiritui Sancto, cujus sacrarium fuit uterus Virginalis, in quo carnem Christi formavit; unde non decebat, quòd de cetero violaretur per commixtionem virilem. Tertiò derogat dignitati & sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset; & si Virginitatem, quæ in ea miraculosè conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Quartò etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumtionem imputandum, si eam, quam revelante Angelo de Spiritu Sancto concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et ideò simpliciter est asserendum, quòd Mater Dei, sicut Virgo concepit, & Virgo peperit; ita etiam & Virgo post partum in sempiternum permansit. Hæc Angelicè S. Thomas.

LXXVIII. Quis ergo audeat tam indecorè de Maria & Joseph cogitare; ut credat, probabile esse sanctissimos ac purissimos conjuges concupiscentiæ æstu abreptos injurios Filio Dei, ac Spiritui Sancto esse, & uterum ejus opera sanctificatum carnali concubitu polluere non exhorruisse? Credendum potiùs est, ac certò tenendum, Joseph ab Angelo de tanto mysterio edoctum perpetuæ Virginitatis Votum, cui Maria jam se obstrinxerat, & ipsum emisisse; castumque cum ea Conjugium usque ad mortem continuasse: huic enim Conjugio nihil deerat, aderat Proles, aderat Fides, aderat Sacramentum. Unde Augustinus lib. 1. de Nuptiis cap. 11. *Nuptiarum*, inquit, *bonum impletum est in illis parentibus Christi; Proles, Fides, Sacramentum: Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

LXXIX. Helvidii fundamenta facilè evertuntur. Quòd enim 1. Matth. 13. v. 55. Jacobus & Simon dicantur fratres Domini, jam supra abundè ostensum est, eos dici fratres non naturâ, sed cognatione. Imo etsi fuissent naturâ fratres, non potuissent esse filii Joseph ex Maria geniti post Christum, quia Christo ætate provectiores, si credimus Eusebio lib. 3. hist. cap. 32., Epiphanio hæres. 28., Gregorio Nysseno, seu Hesychio homil. 2. de Resurrectione.

Quod autem Lucæ 2. v. 7. dicatur de Maria: *Et peperit Filium suum primogenitum*, non arguit, eam post ipsum alios filios genuisse. Nam *Primogenitus* dicitur non solus is, post quem alii sunt geniti, sed etiam is, ante quem genitus est nullus, seu qui pri-

primus prodit ex utero : sic Exodi 13. v.2. dicitur *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel tam de hominibus, quàm de jumentis* : ubi primogenitum dicitur, quod primò gignitur, etsi aliud post ipsum non gigneretur, ideòque adhuc erat Deo offerendum. Christus etiam dicitur à Paulo Rom. 8. v. 29. *Primogenitus in multis fratribus*, sive quia (ut ex Cyrillo supra relato) per assumtionem carnis in humanis communicans, inter multos fratres primatum sortitus est ; sivè quia inter omnes justos, quos per gratiam Filios Dei facit, ipse tanquam inter fratres Primogenitus est.

LXXX. Neque officit, quòd Matth. 1. v. 25. dicitur Joseph *Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum* : quasi quòd postquam peperit, eam cognoverit. Nam verbum illud *Non cognoscebat eam, donec* &c. variè (nullus tamen in favorem Helvidii) Patres interpretati sunt. Quidam non de cognitione carnali, seu congressu maritali illud intellexerunt, sed notitia dignitatis, seu excellentiæ Deiparæ uxoris suæ, quam Joseph nondum plenè cognovit antequam pareret. Ita S. Epiphanius hæres. 78., Auctor Operis imperfecti in Matth., & Auctor Sermonis de Natali Domini apud Athanasium. Quidam de cognitione, qua quis accipit in uxorem, intelligunt, quasi Joseph Mariam non acceperit in uxorem, donec peperit, sed eam ut tantùm desponsatam haberet. Ita Hilarius in dictum Matthæi locum ; sed hoc superiùs non probavimus. Alii cognitionem ex facie intelligi malunt : quasi Deiparæ vultus à Divini Verbi Conceptione tanto fulgore coruscarit, ut à Joseph nec aspici, nec cognosci posset, donec Divinum conceptum fœtum effunderet, eo modo, quo, ut dicit Paulus 2. Cor. 3. v. 7. non poterant *intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus*.

Communiùs tamen & planiùs de cognitione maritali & carnali intelligitur, non sic tamen, ut maritalem congressum, quem antequam pareret cum Maria nondum habuerat, post partum cum ea habuerit, sed potiùs quòd nunquam habuerit. Verbum enim *Donec* non semper indicat, id quod factum non est, postea esse factum : sic Genesis 8. v. 8. Corvus *egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram*, qui tamen nec siccatis aquis reversus est : sic Psal. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* : & 1. Cor. 15. 25. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* : nec tamen sequitur, quòd postquam omnes inimici sub pedibus ejus positi fuerint, Dominus a dextris Dei sedere, & Christus regnare desinat.

Quan-

Quando ergo Matthæus dicit, quòd Joseph non cognoscebat eam, donec peperit, significat quidem, Joseph eam non cognovisse carnaliter, antequam pareret; sed non idcircò innuit, eam post partum cognovisse, sed potiùs nunquam eam nec post partum cognovisse. Ita Chrysostomus homil. 5. in Matth., Nazianz. Orat. 36., Hieronymus lib. contra Helvidium, & alii. Nota tamen, quòd præfatæ expositiones licèt in modo cognitionis, quo Joseph non cognovit Mariam, inter se non congruant, conveniunt tamen omnes contra Helvidium, Joseph Mariam carnaliter non cognovisse. De hoc vide S. Thom. loco cit. ad 3.

Minùs officit alterum ex eodem Matth. cap. 1. v. 18. *Antequam convenirent inventa est in utero habens* &c. Hinc enim, ut ait Hieronymus in dictum locum, non sequitur, quòd postea convenerint, sed Scriptura, quid factum non sit ostendit. De hoc jam dixi supra §. 5. n. 49. Vide S. Thom. 3. p. q. 28. art. 3. citato ad 1.

LXXXI. Ex Patribus opponi solent Tertullianus, qui lib. de Monogamia cap. 8. ait, Mariam post natum Jesum conjugale solvisse debitum: *Et Christum quidem*, inquit, *Virgo enixa est, semel nuptura post partum*. Quo exemplo probare intendit, secundas nuptias illicitas esse. Item S. Basilius, qui homil. 25. de humana Christi generatione exponens verba, „*Non cognovit eam, donec peperit*„, sic loquitur: *Affert hic locus suspicionem, quòd postquam generationi Domini per Spiritum Sanctum castè purèque servivit, tum demum usitata nuptiarum opera Maria non recusaverit. Nos autem, quamvis nihil hoc doctrinæ pietatis officiat, si quidem eò usque Virginitas fuit, dum dispensationi illa serviret; quod autem deinde secutum est, tanquam nihil ad Mysterii rationem pertinens, curiosiùs omittamus inquirere*. Ex his Basilium tanquam Helvidio faventem Casaubonus traducit.

LXXXII. Respondeo, quoad Tertullianum ex S. Hieronymo lib. contra Helvidium cap. 9., quòd dum hæc scriberet Tertullianus factus jam erat hæreticus Montanista, ideo de ejus auctoritate nos hac in re non debere esse sollicitos: *De Tertulliano*, inquit S. Hieronymus, *nihil amplius dico, quàm Ecclesiæ hominem non fuisse: subsequens error detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*.

Non sic de S. Basilio: non enim ibi absolutè dicit; quòd liberum cuique sit opinari, Mariam post partum nuptiale debitum non negasse, sed solùm id nihil referre ad Mysterium ab Isaia prædictum. Interpretabatur enim ibi Oraculum *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, quo simpliciter prædicitur partus Virgineus,

neus ; aitque, ut huic Oraculo sua veritas constaret, satis esse, ut Maria, dum in hoc conceptu & partu Spiritui Sancto serviret, Virgo permansisset: quòd si post talem partum Virginitatem non servasset, veritati hujus Mysterii non officeret ; non tamen dicit, quòd hoc veritati doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ nihil officeret. 1mo expressè contrarium subjicit addens: *Nihilominùs quoniam Christum amantium aures non sustinent hoc audire, quòd Dei Genitrix aliquando Virgo esse desierit* &c. Deinde exponens illam particulam *Donec* ait: *Illud dicimus, quòd* Donec, *etsi alicujus temporis terminum circumscribere videatur, verè tamen infinitum aliquid præsefert*. Quæ Helvidio jugulum petunt.

LXXXIII. Aliis privilegiis fuisse S. Joseph à Deo donatum, piè aliqui meditati sunt: nimirùm, eum in utero Matris suæ sanctificatum fuisse. Secundò eum omnia jura, & munera veri Sponsi Mariæ, exceptò carnalis copulæ usu, obtinuisse. Tertiò Josephi dignitatem majorem fuisse dignitate Præcursoris & Apostolorum. Quartò absque temeritate dici posse, eum reliquos omnes in gratia & beatitudine antecellere. Quintò ei deberi cultum summum Duliæ. Sextò, probabile esse, eum anima & corpore cum Christo in cœlis regnare. Hæc piè quidem à quibusdam Recentioribus excogitata, optandum esset, ut aliquod fundamentum haberent, vel in Scriptura, vel in Traditione, vel in antiquis Patribus: sed cum Scriptura de Joseph nil aliud dicat, quàm quòd fuerit Vir Mariæ, de qua natus est Jesus, quòd fuerit justus: *Joseph autem Vir ejus cum esset justus*, Matth. 1. v. 16. & 19., quòd ab Angelo varias acceperit revelationes de iis, quæ circa Mariam & Jesum agere debebat: cum Traditio, & antiqui Patres de ipso nil addiderint iis, quæ de ipso Sacræ Litteræ dicunt, nec in Conciliis, aut Canonibus quidquam speciale de illo statutum sit; propterea benè dixit Suarez in 3. p. q. 29. art. 2. *Hæc & similia, quæ sunt præter generales Canones Scripturæ, non sunt sine convincente ratione & magna auctoritate Ecclesiæ, vel Sanctorum Patrum approbanda. Denique quæ dona Scientiæ, aut Sapientiæ, aut quæ Gratiæ gratis datæ huic Sancto donatæ fuerint, incertum nobis est: illud solùm ex Evangelio habemus, recepisse interdum illustrationes, & prophetica revelationes. De aliis verò solùm dicere possumus, ea ut minimùm accepisse, quæ suo muneri convenienter obeundo fuerunt opportuna, reliqua verò ignota nobis esse: unde in his donis & gratiis facilè credi potest, superatum fuisse hunc Sanctum, non solùm ab Apostolis, sed etiam ab aliis, quibus ad utilitatem Ecclesiæ erant necessaria*. Hæc Suarez: quæ doctrina est Apostoli 1. Cor. 12.

LXXXIV.

LXXXIV. His positis certum existimo, S. Joseph habuisse omnia dona, quæ decent dignitatem Sponsi B. Virginis, & Patris Christi, nedum quoad nomen, sed etiam quoad rem, in sensu supra expositò; & proinde quòd fuerit aliquo modo Caput, & Superior Virginis, ut enim ait Paulus ad Ephes. 5. v. 22. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam Vir caput est Mulieris, sicut Christus Caput est Ecclesiæ*: quod repetit S. Petrus Epist. 1. cap. 3. v. 1. Caput etiam aliquo modo Christi ut hominis, unde Lucæ 2. v. 51. de Christo dicitur: *Et erat subditus illis*, nempè Mariæ & Joseph. Et sanè si Christus ut homo aliis hominum Legibus se se subjicere voluit, credendum est, Legem etiam obedientiæ filiorum erga parentes adimplere voluisse. Joseph etiam dignitatem in tota sancta Familia obtinuisse, inde colligo, quòd in iis quæ occurrerunt, tam circa fugam in Ægyptum, quàm circa reditum, ad solum Joseph Angelus à Deo fuit directus, ut habetur Matth. 2. v. 13. & 19., & præceptum de Jesu Nomine imponendo Josepho specialiter ab Angelo factum fuit Matth. 1. v. 20. *Vocabis Nomen ejus Jesum*.

LXXXV. Videtur tamen obstare; quia subjectio mulieris viro est pœna ob peccatum inflicta Gen. 3. v. 16. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Cum ergo B. Virgo piè supponatur à peccato præservata, censenda est ab hac subjectione exemta. Unde S. Augustinus Opusc. de Assumt. Virginis cap. 4. dicit: *Non fuisse sub potestate viri, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit*.

Verùm hoc non obstat. Nam subjectio mulieris viro, quæ est in pœnam, est subjectio proprii corporis ad usum conjugalem, & ad pariendos cum dolore filios, non autem subjectio viro tanquam sui principio, ex quo sumta est, quo sensu Paulus ad Ephes. supra relatus dicit, quòd *Vir caput est mulieris sicut Christus Caput est Ecclesiæ*: & Gen. 2. dixit Deus: *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumta est*. Priorem ergo subjectionem Maria, quæ de Spiritu Sancto concepit, & sine dolore peperit, & cujus corpus quoad usum conjugalem sub potestate viri nunquam fuit, viro suo Joseph non habuit: & in hoc sensu Augustinus (si tamen Augustini est illud Opusculum) negat, eam fuisse sub potestate viri. Posteriori tamen modo se se subjectam exhibuisse Josepho, sicut & ipsum Christum, maximè in externis & domesticis rebus, tanquam familiæ gubernatori & capiti, nemo puto negabit. Ceterùm sicut Christus in iis, ad quæ complenda à Patre missus fuerat, parentibus se non subesse apertè protestatus est Lucæ 2. v. 49., ubi eis conquerentibus: *Quid est*, inquit, *quòd*

quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Ita in iis, quæ pertinebant ad cognitionem Mysteriorum Dei, & ad susciendas Gratiæ privilegia, à Viro B. Virgo non pendebat, nec sub ejus potestate erat.

LXXXVI. An verò Josephi dignitas major fuerit dignitate Præcursoris, & Apostolorum? crederem, Josephi dignitatem in aliquo sensu dici posse majorem dignitate Apostolorum, quia ejus ministerium propiùs accedebat ad Christum, utpotè Viri Matris ejus, & gerentis personam Patris ejusdem inquantùm hominis; ideòque videbatur aliquomodo servire ordini hypostatico. Si tamen spectetur finis, ob quem Christus venerat, proximiùs ei serviebant, tum Præcursor, qui ejus adventum prænuntiabat, ideòque sanctificatus fuit in utero, quod de Joseph non legitur, ut dicemus; tum Apostoli, quos elegit, ut eum toti orbi annuntiarent, & quos propterea omnibus gratiis etiam gratis datis cumulavit, & quibus tanquam amicis omnia, quæ audivit à Patre, nota fecit. Unde in hoc genere major videtur fuisse dignitas tum Præcursoris tum Apostolorum. Quare Paulus 1. Cor. 12. v. 28. loquens de iis, quos Deus posuit in Ecclesia, dicit: *Primùm quidem Apostolos*: unde S. Thom. in cap. 3. Matth. dicit Apostolos esse majores officiò Novi Testamenti; & ad Ephes. 1. *Temerarium est ergo*, inquit, *aliquem Sanctum Apostolis comparare*. Quod verò aliqui dicunt, S. Joseph munus Apostolicum præcurrisse, Magis & Pastoribus Christi ejus adventûs Mysterium aperiendo, nullo Scripturæ fundamento asseritur; quæ potiùs, Pastores ab Angelo edoctos, & Magos à stella monitos fuisse, asserit. In his ergo, quæ suo muneri conveniebant, Joseph excelluit, in aliis verò donis & gratiis potuit ab alio superari, ut supra ex Suarez dicebamus.

LXXXVII. Hinc incertum est, quod dicunt aliqui, S. Joseph reliquos omnes in gratia, & beatitudine superare. Cum enim gradus beatitudinis correspondeat meritis, non est certum merita S. Joseph cujusvis alterius Sancti, etiam Præcursoris, merita superasse.

LXXXVIII. S. Joseph colendum esse cultu quidem minori, quàm Christum, qui cultu Latriæ colendus est; & Mariam, cui hyperduliæ cultus debetur, sed summo Duliæ cultu super omnes, lubens annuo, quia cum cultus sit testificatio honoris, & excellentiæ, excellentia Joseph infra Christi excellentiam & Mariæ videtur summa. Mirum tamen videtur, quòd summam hanc excellentiam in S. Joseph super omnes Sanctos Ecclesia vel nonnisi serò agnoverit, vel saltem nonnisi serò cœperit vene-

rari. Si enim in tanta dignitate fuit constitutus, cur permisit Spiritus Sanctus eam tanto tempore ignorari, vel saltem minori dignitate coli, quàm Apostolos, aut alios non paucos Sanctos? Ita autem est: de cultu Apostolorum & Martyrum apud Ecclesiam antiquam amplissima habemus documenta, at de cultu S. Joseph, saltem publico & solemni, nihil aut ferè nihil accepimus. Recentioribus tantùm seculis à Romanis Pontificibus statutum est, ejus in Ecclesia universali celebrandam esse memoriam, & anniversariam festivitatem. Solùm ineunte seculo decimoquinto à Gregorio XV. festum ejus die 19. Martii ritu duplici quotannis celebrandum in tota Ecclesia institutum est, quem diem tanquam festum de præcepto ab omnibus Christifidelibus observandum Pontifices posteriores decreverunt. Scio, responderi, Ecclesiam primitivam à colendo S. Joseph abstinuisse, ne hoc cultu occasionem daret Hæreticis asserendi, eum fuisse Patrem Christi Domini naturalem, ut de facto Ebionitæ impiè ac falsè dixerunt, Christum ex concubitu Mariæ & Joseph esse natum. Hæc tamen hæresis primis quidem Ecclesiæ temporibus fuit, cum tamen paulò post suffocata fuerit ac extincta, non videtur fuisse causa sufficiens, ut cultus publicus S. Joseph ad hæc novissima tempora differretur. Fortè probabilius crederem, quòd cum S. Joseph non pertineat ad Novum Testamentum, nisi inchoative, quasi in Veteris & Novi confinio positus, Ecclesia præcipuè intenta ad proponenda Fidelibus merita eorum, qui Novum Testamentum, vel voce, vel sanguine, vel doctrina, vel bonis operibus illustrarunt, S. Joseph sicut & parentum B. Virginis Joachim, & Annæ excellentiam, ac dignitatem quamvis maximam, nonnisi serò celebrare cœpit.

LXXXIX. Duo supersunt de S. Joseph inquirenda. Unum quod primo loco propositum fuit, nempè an fuerit sanctificatus in utero Matris. Alterum, quod sexto loco indicatum fuit: an anima simul & corpore modò cum Christo regnet in Cœlis.

XC. Quoad primum affirmativè censuit Gerson homil. de Nativ. B. Virg., & 3. p. Alphabeti 59. lib. 2. asserens, idipsum inveniri in officio Hierosolymitano. Idem etiam de aliis Viris sanctis censent probabiliter aliqui. Verùm hæc incerta sunt; nec tantum privilegium exemtionis à communi Lege nativitatis in peccato, nisi de eo constet ex Sacra Scriptura, vel Traditione cuiquam asserendum est. Ex Scriptura autem non constat nisi de Jeremia cap. 1. v. 5., & de Joanne Baptista Lucæ 1. v. 44. Unde excepto Christo concepto de Spiritu Sancto, & ex Virgine nato, ac Maria Virgine ejus Matre, ut habet Ecclesiæ Traditio, nulli al-

alteri præter duos præfatos hoc privilegium certò est asserendum. Quare Suarez loco supra citato: *Multò minus*, inquit, *censeo, esse asserenda vel credenda quædam privilegia, quæ nonnulli huic Sancto* (Joseph) *tribuunt, ut fuisse sanctificatum in utero Matris, caruisse fomite, vel omni actuali peccato .... Hæc enim & similia, quæ sunt præter generales Canones Scripturæ, non sunt sine convincente ratione, & magna auctoritate Ecclesiæ, vel Sanctorum Patrum, approbanda.* Ecclesiam autem hoc privilegium in S. Joseph non agnoscere, ex eo colligo, quòd S. Joseph festum de Nativitate nunquam celebravit: celebrasset autem, si eum ex utero Matris jam sanctificatum prodiisse existimasset, sicut propterea celebrat festum Nativitatis Præcursoris; & à temporibus S. Augustini, ut ex sermone 23. de Sanctis modò 292. apparet, celebrabat.

XCI. Quoad alterum, affirmativam partem ut probabilem censet Suarez loco citato cum aliis, dicens: *Probabile fieri, Sanctum hunc corpore & animo glorioso cum Christo regnare, quia cum ante Christum mortuus fuerit, verisimile est, fuisse unum ex illis, qui tempore mortis vel resurrectionis Christi surrexerunt, quos multi sentiunt, ad immortalem vitam animi & corporis transisse.* Sed ne huic opinioni statim subscribam, facit primò sententia quorumdam, qui, ut supra indicavimus, volunt S. Joseph Christo moriente fuisse adhuc superstitem. Secundò, quia positô, quòd Christo resurgente, multi qui mortui jam erant, simul cum illo ad gloriam animi & corporis resurrexerint, de quo infra dicam, non video; cur inter istos ponendus potiùs S. Joseph, quàm SS. Joannes Baptista, & parentes Mariæ Virginis Joachim, & Anna: hos autem non esse ponendos, colligo ex eo, quòd eorum Reliquias Corporum veneramur in terris, ut Sancti Joannis Baptistæ Caput & Cineres, & S. Annæ Corporis particulas variis in locis colimus. Ceterùm quid revera sit, an Christus ambos parentes suos, corpore & animo in cœlis ante universalem Resurrectionem secum adduxerit, Ecclesia de Maria Matre ejus piâ Traditione credit; at de S. Joseph sui parente solus ipse novit.

*****
***
*

CAPUT V.

De Christi conceptu Beatæ Virgini nuntiato, & in ejus utero procreato.

§. I.

Examinantur ea, quæ Annuntiationem concernunt.

I. SANCTUS Thomas 3.p. q.30. Quatuor de hoc examinanda sibi proponit. Primum, an fuerit conveniens Mariæ annuntiari quod in ea generandum erat. Secundum, per quem erat ei hoc annuntiandum. Tertium, per quem modum ei annuntiari debebat. Quartum, de Ordine Annuntiationis.

Circa primum respondet art. 1. *Quòd congruum fuit, B. Virginem annuntiari, quòd esset Christum conceptura. Primò quidem, ut servaretur congruus Ordo conjunctionis Filii Dei ad Virginem, ut scilicet priùs mens ejus de ipso instrueretur, quàm carne eum conciperet. Unde Augustinus dicit in lib. de Virginitate c.3.* „ Beatior est Maria percipiendo Fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi „ *Et postea subdit* „ materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset „ *Secundò, ut posset esse certior testis hujus Sacramenti, quando super hoc divinitùs erat instructa. Tertiò, ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret: ad quod se promtam obtulit dicens* „ Ecce Ancilla Domini „. *Quartò, ut ostenderetur, esse quoddam spirituale Matrimonium inter Filium Dei & humanam naturam: & ideò per Annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ.* Et hoc quia, ut ait ibi ad primum: *Prophetia prædestinationis completur quidem sine nostro arbitrio causante, non tamen sine nostro arbitrio consentiente.*

II. Neque putes, bonorum hoc omnium maximum, nempè Dei facti hominis conceptionem, ac proinde totius humani generis salutem ex creatæ voluntatis assensu pependisse: sicut enim Deus potuit sine ullo humano consensu illud præordinare: ita sine illo potuit implere. Sed quemadmodùm eos, quos vult, sine ullo eorum opere ad gloriam prædestinat, non tamen vult sine eorum opere effectum consequi: ita hoc Mysterium, quod ex sua bonitate præordinarat, noluit sine Mariæ Virginis voluntate & consensu peragi; consensu tamen, quem ipse agebat in Virgine:

ne: *Agit quippe in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod agere ipse voluerit: facitque ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes*, ut ait Augustinus lib. de gratia & lib. arb. cap. 21., & lib. 4. ad Bonifacium c. 9.

III. Quamvis autem B. Virgo ante Annuntiationem Fidem Incarnationis haberet, quia tamen nondum conscia erat Divini Consilii, hanc esse in se peragendam, ideò decuit, ut de hoc ab Angelo instrueretur. Unde S. Thomas ad 2. *Beata Virgo*, inquit, *expressum fidem habebat Incarnationis futuræ: sed cum esset humilis, non tam alta de se sapiebat, & ideò super hoc erat instruenda.*

IV. Quoad secundum: conveniens fuisse Matri Dei annuntiari per Angelum Divinæ Incarnationis Mysterium, docet Sanctus Thomas art. 2. propter tria: *Primò quidem, ut in hoc etiam servaretur Divina ordinatio, secundùm quam mediantibus Angelis Divina ad homines perveniunt*: & ad hoc affert dictum Dionysii cap. 4. cœlestis Hierarch. *Secundò, hoc fuit conveniens reparationi humanæ, quæ futura erat per Christum*: & hoc probat ex Beda homil. in festo Annunt. dicente: *Aptum humanæ restaurationis principium, ut Angelus à Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam Divino: quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens à Diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam.* Unde sicut causa perditionis Angelus fuit, ita humanæ reparationis Ministrum decuit esse Angelum. *Tertiò, quia hoc congruebat Virginitati Matris Dei*: & hoc ostendit ex Hieronymo sermone de Assumt. (si tamen Hieronymi est) dicente: *Benè Angelus ad Virginem mittitur: quia semper est Angelis cognata Virginitas. Profectò in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis*: & *ut* (ait Bernardus serm. 2. de Pentecoste) *eâdem viâ intraret antidotum, quâ venenum intraverat.*

V. In contrarium tamen videtur convenientius fuisse, ut de tanto Mysterio B. Virgo immediatè à Deo, quàm per Angelum instrueretur. Si enim Ordo Divinus est, ut inferiores non instruant, sed instruantur à superioribus, cum Mater Dei in excellentia dignitatis esset superior Angelis, non decuit, ut ab Angelo instrueretur, sicut nec Christus, quia eis superior, lumen aliquod ab Angelis recepit: sed immediatè à Deo.

Respondet tamen S. Thomas ad primum: *Quòd Mater Dei superior erat Angelis quantùm ad dignitatem, ad quam divinitùs eligebatur: sed quantùm ad statum præsentis vitæ inferior erat Angelis: quia & ipse Christus ratione passibilis vitæ*, modico ab

Au-

Angelis minoratus est „*ut dicitur Hebr. 2. Sed tamen quia Christus simul fuit viator & comprehensor, quantùm ad cognitionem Divinorum non indigebat ab Angelis instrui: sed Mater Dei nondum erat in statu comprehensorum; & ideò de Divino conceptu per Angelos instruenda erat.* Accedit specialis ratio, cur non deceret hoc Mysterium ab ipso Deo immediatè Mariæ nuntiari. Quia ut supra dictum est ex S. Thoma art. 1. per Incarnationis Mysterium Deum inter & hominem spirituale quoddam Matrimonium parabatur; nuptiarum autem Nuntium alium à nubentibus esse oportet; solus autem inter Deum & hominem Angelus medius erat, qui eo ministerio congruè posset fungi.

VI. Sed dices contra primam responsionem: Si decuit, ut Maria instrueretur ab Angelo, quia ratione statûs inferior illo; cur non decuit eadem ratione, ut à Joseph Viro per Angelum priùs edocto ipsa instrueretur? Sanè sicut communis ordo est, ut Divina ad homines deferantur per Angelos, ita ut Divina deferantur ad mulieres per viros, dicente Apostolo 1. ad Cor. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant; si quid autem voluut discere, domi viros interrogent.* Priùs ergo debuit mitti Angelus ad Joseph, ut per ipsum Maria disceret Mysterium, sicut missus fuerat ad Zachariam, non ad Elisabeth; ut ei Joannis nuntiaret conceptum Lucæ 1.

VII. Respondeo, non decuisse, ut Maria de Mysterio per Virum suum Joseph instrueretur, quia in participatione Divinorum ei subjecta & inferior non erat. Unde S. Thomas citatus ad 2. *Sicut*, inquit, *Augustinus dicit in sermone de Assumt.* (qui est octavus de diversis) „Beata Virgo Maria verâ æstimatione à quibusdam generalibus excipitur: quia nec conceptus multiplicavit, nec sub Viri, ideſt Mariti, potestate fuit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum susscepit „*Et ideò non debuit mediante Viro instrui de Mysterio Incarnationis, sed mediante Angelo: propter quod etiam ipsa est priùs instructa, quàm Joseph; nam ipsa instructa est ante conceptum, Joseph autem post ejus conceptum* (& quidem post elapsum tertium mensem). Neque est simile de Zacharia; nam is in conceptu Joannis habiturus erat partem, & ideò Angelus ad eum mittitur: in conceptu autem Christi nullam partem habiturus erat Joseph, nam solius Spiritus Sancti operâ in utero Mariæ, salvâ ejus Virginitate, erat formandus.

Addo, quòd ut notat Sylvius in hunc art. „ Revelationes „ Divinæ non semper fiunt Viris priusquam mulieribus, sed „ nunc viris, nunc mulieribus. Neque est tam generale, ut ad mu-

„ mulieres deveniant per viros, quàm ut ad viros & mulieres „ deveniant per Angelòs, ut patet de Rebecca Gen. 25 & 27., „ de Debora Judic. 4. Monitio autem Apostoli 1. Cor. 14. ut „ mulieres à viris discant, intelligitur de iis, quæ communiter „ in Ecclesia docentur, & pertinent ad communem Fidelium „ cognitionem, non autem de revelationibus Divinis & extra„ ordinariis.

VIII. Supereſt, ut quis fuerit Angelus, cui honorem Legationis ad Mariam commisit Deus, investigemus. Hunc fuisse nomine *Gabrielem*, non dubitamus; hoc enim expresè dicit Lucas cap. 1. v. 26. *Missus est Angelus Gabriel* &c. Ex quo tamen Ordine fuerit, inter Theologos disceptatur. Cum enim cœlestes illi Spiritus in tres Hierarchias, supremam mediam & infimam distinguantur, quarum unaquæque tres complectitur Ordines: suprema quidem Seraphim Cherubim & Thronos: Media Dominationes Virtutes & Potestates: infima Principatus Archangelos & Angelos; censent aliqui, Gabrielem Incarnationis Dominicæ Nuntium ex primo supremæ Hierarchiæ Ordine, nempè Seraphim esse: ita enim excellentia Mysterii postulabat, juxta celebre Gregorii Magni dictum homil. 34. in Evangelia, *Summum Angelum venire dignum fuerat, qui Summum omnium nuntiabat.* Ita refert S. Thomas hìc ad quartum.

IX. *Sed ex hoc*, inquit, *non habetur, quòd fuerit summus inter omnes Ordines, sed respectu Angelorum; fuit enim de Ordine Archangelorum: unde & Ecclesia eum Archangelum nominat, & Gregorius ipse dicit in homilia de centum ovibus* (34. citata) *Quòd* Archangeli dicuntur, qui summa annuntiant: *Satis ergo est credibile, quòd sit Summus in Ordine Archangelorum: & sicut Gregorius dicit* (ibidem) *hoc nomen officio suo congruit*: Gabriel *enim* Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio ad debellandas potestates aereas veniebat. Hæc S. Thomas, qui propterea 1. p. q. 112. art. 2. docuerat, non omnes Angelos ad exterius ministerium mitti, sed eos solos, qui sunt de Hierarchia inferiori, ita ut ad summa nuntianda mittantur Archangeli, ad alia verò Angeli, & ait: *Nihil est ita magnum in ministeriis Divinis, quod per inferiores Ordines exerceri non possit. Unde Gregorius dicit, quòd qui summa annuntiant, Archangeli vocantur. Hinc est, quòd ad Virginem Mariam Gabriel Archangelus mittitur: quod tamen fuit Summum inter omnia Divina Ministeria, ut ibidem subditur. Et ideò simpliciter dicendum est cum Dionysio c. 8. cœlest. Hier., quòd superiores Angeli nunquam ad exterius Ministerium mittantur.*

X. Ga-

X. Gabrielem ergo ad Mariam Virginem Legatum, fuisse Archangelum, non Seraphin, aut alium superioris Hierarchiæ, constans est etiam Patrum sententia, qui eum Archangelum simpliciter dicunt, nunquam verò Seraphim; ut Irenæus lib.5. adversùs Hæreses cap.21., Ambrosius lib.1. de Spiritu Sancto c.7., Augustinus serm.14. de Natali Domini, Bernardus passim in homiliis super Missus est, & ipsemet Gregorius dicta homil.34. in Evangelia.

XI. Dicunt tamen, qui contrarium sentiunt, Gabrielem esse unum ex illis septem Angelis, qui Apocalypsis 18. dicuntur adstare in conspectu Dei: unde Lucæ 1. v.19. de se ipso dixit Zachariæ: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, & missus sum ad te*: sed Angeli, qui adstant ante Deum, sunt Deo proximiores, adeòque à Deo immediatè illuminantur, non mediantibus superioribus, sicut Angeli inferiores: ergo Gabriel est unus de superioribus, imo de supremis; eò quia de tanto Mysterio non decebat, ut per alium, sed à solo Deo immediatè instrueretur, aliàs priùs Deus illi alteri Angelo manifestasset Mysterium, quàm Virgini & Gabrieli Nuntio, quod non videtur dicendum.

Quod autem dicitur, Angelos superiorum Ordinum non mitti ad exterius ministerium, videtur falsum. Nam dicit Paulus ad Hebr.1. v.14. quod *Omnes sunt administratoris Spiritus in ministerium missi*: & de facto Isaiæ 6. unus de Seraphim, qui est de Ordine supremo, legitur missus ad purgandum labia Prophetæ. Deinde, etsi viâ ordinariâ supremæ Hierarchiæ Angeli ad exterius ministerium non mittantur, viâ tamen extraordinariâ, & ad aliquod maximum, possunt mitti; & hoc modo Gabriel estò de suprema Hierarchia Seraphinorum missus fuit. Cum enim ageretur de negotio, ad quod complendum una ex Divinis Personis mittenda erat, cur ad illud nuntiandum unus de supremis Angelis mitti non debuit?

XII. Hæc tamen communi sententiæ non obsunt. Non primum, quia omnes Angeli adstant ante conspectum Dei, & Beati facie ejus fruuntur, nec in hoc inter eos est ordo, sed omnes sunt æquales. Ut enim ait S. Thomas 1.p. q.108. art.1. ad 2. *Quantùm ad cognitionem ipsius Dei, quem omnes uno modo, scilicet per essentiam, vident, non distinguuntur in Angelis Hierarchiæ; sed quantùm ad rationes rerum creatarum*. Ex quo ergo Gabriel dicat, se esse unum ex eis, qui adstant ante Deum, non colligitur, eum esse sivè primæ sivè mediæ sivè infimæ Hierarchiæ: sicut ex hoc, quòd omnes Ministri Regis adstent ante Thronum Re-

Regis, non colligitur, in quo ordine sint, sed ex quo immediatiùs à Rege accipiant mandata; ita ut supremi sint illi, quibus Rex per se ipsum secreta sua communicat; medii, qui secreta Regis per supremos accepta aliis exequenda proponunt; infimi, qui ea exequuntur. Sic Angelorum Hierarchiæ ordinantur & distinguuntur à S. Thoma 1.p. dictâ q.108. art.6., ubi in infima Hierarchia ponit Archangelos & Angelos, *qui nuntiant vel magna, quæ sunt supra rationem, vel parva, ad quæ ratio se extendere potest*. Ex quibus conficitur, Gabrielem, qui Nuntii munus ad Mariam de maximo Mysterio implevit, de Ordine Archangelorum (non autem Seraphim) fuisse. Neque officit, quòd hoc mandatum non acceperit Gabriel immediatè à Deo, sed mediante Angelo superioris Hierarchiæ, & proinde quòd hoc Mysterium huic priùs fuerit communicatum, quàm Mariæ. Nam sicut non obstat, quòd priùs communicatum fuit Gabrieli, ut illud nuntiare posset; sic de illo ab Angelo superiori instrui debuit, ut illud posset nuntiare; ordine, qui inter Angelos esse debet, ita postulante.

XIII. Quod additur ex Paulo, omnes Angelos esse administratorios Spiritus, exponitur à S. Thoma 1.p. q.112. art.2. ad.1. *Quòd in missionibus Angelorum aliqua dicitur exterior, quæ scilicet est ad aliquod ministerium circa corporalia exhibendum; & secundùm hanc missionem non omnes mittuntur: alia est interior secundùm intellectuales effectus, prout scilicet unus Angelus illuminat alium; & sic omnes Angeli mittuntur*. Missio autem Gabrielis ad Virginem exterior fuit, nempè ad ei exteriùs nuntiandum conceptum in utero: & ideò ad eum non debuit quilibet Angelus delegari. Addit quoque S. Thomas: *Vel aliter dicendum, quòd Apostolus inducit illud ad probandum, quòd Christus sit major Angelis, per quos data est Lex; ut sic ostendat excellentiam Novæ Legis ad Veterem: unde non oportet, quòd intelligatur, nisi de Angelis ministerii, per quos data est Lex*.

Angelus autem ille, qui missus est ad purgandum labia Prophetæ (inquit S. Thom. ibi ad 2.) secundùm Dionysium *fuit de inferioribus Angelis, sed dictus est Seraphim, idest incendens, æquivocè, propter hoc quod venerat ad incendendum labia Prophetæ. Vel dicendum, quòd superiores Angeli communicant propria dona, à quibus denominantur, mediantibus inferioribus Angelis. Sic igitur unus de Seraphim dictus est purgasse incendio labia Prophetæ; non quia hoc ipse immediatè fecerit, sed quia inferior Angelus virtute ejus hoc fecit: sicut Papa dicitur absolvere aliquem, etsi per alium officium absolutionis impendat*.

XIV. Dicere autem, quòd viâ saltem extraordinariâ superiores Angeli mitti possint, non probatur à S. Thoma art. 2. citato in corp., ubi relatâ opinione dicentium, quòd sicut ex dispensatione Divina prætermittitur aliquando ordo naturæ; ita prætermitti potest ordo Angelorum, mittendo superiores, respondet: *Sed hoc non videtur rationabile; quia ordo Angelicus attenditur secundùm dona gratiarum: ordo autem gratiæ non habet alium superiorem ordinem, propter quem prætermitti debeat, sicut prætermittitur ordo naturæ propter ordinem gratiæ* ..... Et etiam quia *nihil est ita magnum in Ministeriis Divinis, quod per inferiores ordines exerceri non possit*. Ex quo concludit, etiam Mysterium Incarnationis potuisse nuntiari per Angelum inferioris Ordinis. Divina autem Persona, quam mittendam nuntiabat, non erat mittenda in ministerium, sed Missione æquivocè tali, scilicet secundùm novum modum existendi in homine: *Sicut Filius dicitur missus esse à Patre in Mundum, secundùm quod incœpit in Mundo esse per carnem assumtam: & tamen ante in Mundo erat, ut dicitur Joan. 1.* Ita S. Thom. 1. p. q. 43. art. 1.

XV. Demum, si ex quo Gabriel excellentissima Legatione ad Virginem functus est, nuntians ei Mysterium omnium maximum, arguimus, eum fuisse supremæ Hierarchiæ Angelum, quotiescumque legimus Gabrielem missum à Deo, deberemus inferre, ad aliquod maximum eum delegari. At observo, eundem Gabrielem olim fuisse missum ad Danielem, Danielis 8., & ad Zachariam Joannis Baptistæ parentem. Ad primum quidem, solùm ut mysticam ei visionem interpretaretur, quæ non aliud, quàm Medorum & Persarum devastationem portendebat; ad alterum verò, ut proximum illi Præcursoris ortum denuntiaret: quæ certè Legationes tanti non sunt, ut ad eas obeundas Angelum supremæ Hierarchiæ destinari mereantur. Accedit, quòd ad Danielem missus fuit Gabriel, non à Deo immediatè, sed mediô, atque mandante altero Angelô humana specie indutô. Sic enim legitur Daniel. 8. v. 15. *Factum est autem, cum viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species Viri: & audivi vocem Viri inter Ulai: & clamavit, & ait: Gabriel, fac intelligere istum visionem.* Supremi autem Ordinis Angeli, etsi à Deo mitti possent, semper ad maximum, & ab ipso Deo immediatè, non mediô aut mandante alio Angelô, mitterentur, cùm superiorem ipsi non habeant, à quo mitti possint. Imo si verum est, ut ibi observat Hieronymus, Angelum sub specie viri, à quo Gabriel jussus est interpretari visionem, fuisse Michaelem, qui ex Ordine Principatuum

fla-

statuitur, certò relinquitur, Gabrielem ad Archangelorum dumtaxat Ordinem pertinere, qui in infima Hierarchia Principatibus subsunt. Quòd si velint, Michaelem esse suprema Hierarchia & in Ordine Seraphim, quomodo potuisset imperare Gabrieli, qui cum ab eis ponatur in eadem Hierarchia & Ordine Seraphim, erat ei æqualis, & nullum præter Deum superiorem habebat? Cum ergo dici non possit, Gabrielem modò in suprema modò in infima Hierarchia, modò in uno modò in alio Ordine esse; dicendum est, eum in infima Hierarchia & de Ordine Archangelorum semper esse.

XVI. Quoad tertium, conveniens fuisse, quòd Angelus nuntians sub forma corporaliter visibili Mariæ Virgini appareret, docet S. Thom. 3. p. q. 30. art. 3. propter tria: *Primò quidem quantùm ad id, quod annuntiabatur; venerat enim Angelus annuntiare Incarnationem invisibilis Dei, per quam visibilis fieret: unde etiam conveniens fuit, ut ad hujus rei declarationem invisibilis creatura formam assumeret, in qua visibiliter appareret: cùm etiam omnes apparitiones Veteris Testamenti ad hanc apparitionem præordinentur, quâ Filius Dei in carne apparuit. Secundò fuit congruum dignitati Matris Dei, quæ non solùm in mente, sed in corporeo ventre erat Filium Dei receptura; & ideò non solùm mens ejus, sed etiam sensus corporei erant visione Angelica refovendi. Tertiò congruit certitudini ejus, quod annuntiabatur; ea enim, quæ sunt oculis subjecta, certiùs apprehendimus, quàm ea, quæ imaginamur: unde Chrysostomus dicit* (homil. 4. super Matth.) *quòd*, Angelus non in somnis, imo visibiliter Virgini astitit: nam quia magnam valdè revelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei eventum visione solemni.

XVII. Licèt autem, ut ait S. Doctor ad 1., intellectualis visio sit potior, quàm corporalis, si sit sola; teste tamen August. lib. 12. super Gen. ad Litt. cap. 9., excellentior est illa, quæ intellectualem simul & corporalem complectitur, quàm illa, quæ habet alteram tantùm. Utramque autem ex dictis habuit B. Virgo: *Fuisset tamen nobilior*, subdit S. Thomas, *si ipsum Angelum intellectuali visione in sua substantia vidisset. Sed hoc non patiebatur status hominis viatoris, quòd Angelum per essentiam videret.* Ex quibus apparet, S. Thomam non fuisse in sententia quorumdam, dicentium B. Virginem vidisse intellectuali visione Angelum in sua substantia.

XVIII. Quantùm ad turbationem Virginis dupliciter Sanctus Thomas ad 3. loquitur. Primò, hanc naturaliter sequi: *Quando* (ut ait Ambrosius in cap. 1. Lucæ) *perstringimur ali-*

cujus superioris potestatis occursu: & hoc tam in visione corporali, quàm in imaginaria contingere demonstrat illud Gen. 15. v. 12., ubi Deô Abrahæ in somniis loquente dicitur, quòd *horror magnus & tenebrosus invasit eum*: non tamen ob hanc perturbationem debuit Angelica apparitio prætermitti; tum quia licèt ex ea pars hominis inferior debilitetur, pars tamen superior elevatur; tum quia hanc perturbationem statim Angelus sustulit, dicens: *Ne timeas*. Unde Origenes homil. 4. super Lucam ait: *Angelus apparens, sciens hanc esse humanam naturam, primùm perturbationi medetur: unde tam Zachariæ, quàm Mariæ post turbationem dixit* „ *Ne timeas* „. Ex quo, ut habetur in Vita S. Antonii, facilis fit discretio apparitionis bonorum spirituum, & malorum. Si enim post timorem successerit gaudium, eam à Domino venisse, tenendum est: *Quia securitas animæ præsentis Majestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur*. Potuit etiam illa turbatio ex verecundia procedere, dicente Ambrosio in cap. 1. Lucæ: *Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri*. Secundò, in opinione aliquorum respondens S. Thomas ait: *Quidam tamen dicunt, quòd cum B. Virgo assueta esset visionibus Angelorum, non turbata fuit in visione Angeli, sed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur: quia de se tam magnifica non cogitabat. Unde & Evangelista non dicit, quòd turbata fuerit* in visione *Angeli, sed* in sermone ejus. Hæc autem sententia, ut ait Sylvius hìc, videtur planior, & litteræ Evangelii conformior, eamque inter alios tenet Chrysologus serm. 14.

§. II.

Ubi, quando, quibus verbis peracta Salutatio sit.

XIX. CIvitatem, ad quam Gabriel Mariam salutaturus, eique conceptum Verbi nuntiaturus, missus fuit, Nazareth fuisse, testis est S. Lucas cap. 1. v. 26. *Missus est*, dicens, *Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem* &c. Sed hìc statim emergit difficultas: quomodo Maria & Joseph, qui ambo Judæ Tribules erant, domum & incolatum habere poterant in Civitate Nazareth Galilææ Provinciæ, quæ non Judæ, sed Tribubus Zabulon & Nephtali in partitione Terræ Sanctæ contigerat?

Huic tamen benè satisfacit noster Pater Serry exercit. 16., *supponens*, Judæos nullâ Lege fuisse obstrictos in suarum Tribuum

buum sortibus habitare, sed hoc in illorum arbitrio fuisse relictum: nec enim habitationum, sed possessionum partitio á Josue cap. 13. facta fuerat. Poterant ergo Maria & Joseph, etsi Judæ Tribules, fixam Nazareth in Galilæa habitationem habere, locatam fortè domum, aut commodatam, suasque possessiones (si quas habebant) in Judæa, & maximè Bethlehem adhuc servare. Quamvis non improbabiliter dici posset, post Babylonicam Captivitatem limites à Josue præscriptos, non adeò exactè fuisse servatos. Tot enim progressu temporis oppressa malis, tot bellis ac persecutionibus, hùc illùcque dispersa misera gens; non ubi voluisset aut debuisset, sed ubi poterat, habitare vel invita cogebatur. Quamvis tamen locum sortis suæ de facto non retinerent, ejus tamen memoriam religiosè custodiebant. Quare Maria & Joseph, qui incolatum Nazareth habebant, ut ex Edicto Cæsaris urgente suam Tribum ac familiam profiterentur, Bethlehem Civitatem Juda & David profecti sunt.

XX. Quo autem particulari in loco Angelus Mariam invenerit, cum eam salutatum adivit: quosdam impudentes Hæreticos fuisse, refert Suarez, qui assererent; Angelum non invenisse Virginem domi, sed per plateas vagantem, ibique eam salutasse. Pseudo-Evangelium autem Jacobi dicit, Angelum eam primò deprehendisse, dum ad hauriendam hydriâ aquam exiisset, ut Rebecca Gen. 24. v. 15.. Ita enim describit: *Et acceptâ hydriâ exiit haurire aquam: & ecce vox dicens illi Ave gratiâ plena, Dominus tecum &c. Circumspiciebat autem Maria in dextra & sinistra, ut sciret, undenam ista vox facta esset; & tremefacta intravit in domum suam, & depositâ hydriâ, & acceptâ purpurâ sedit super sedem suam, ut operaretur. Et ecce Angelus Domini adstitit in conspectu ejus dicens Nè timeas Maria* &c. Apud Phocam quoque penes Allatium in Symmistis p. 11. legitur, Mariam ab Angelo salutatam, cum pro more aquatum iviset: quod ex hoc Pseudo-Evangelio petitum apparet. Communis Patrum sententia est, Mariam ab Angelo fuisse inventam in cubiculo domûs suæ solam in penetralibus, solam sine teste, orantem ac meditantem, & fortè Messiæ adventum suspirantem, ibique ab Angelo salutatam: & hanc domum illam eandem esse, quam in Picenum asportatam Ædem Lauretanam dicimus & colimus, pia fert Traditio, Ecclesiæ approbatione roborata. An autem fuerit Domus parentum B. Virginis, an domus Joseph Sponsi, nos qui supra existimavimus, Mariam cum ab Angelo fuit salutata, fuisse jam à Joseph domi habitam & ipsi nuptam, probabiliùs censemus, eam fuisse domum Joseph.

XXI. Du-

XXI. Dubitant quidam de loco, in quo Angelus, qui sub specie humana Mariæ sese præsentavit, sibi corpus efformavit; an scilicet antequam Mariæ cubiculum ingrederetur, an postquam ad eam ingressus est. Et dubium est: nam, si corpus sibi efformavit antequam ingrederetur; cum testibus Patrum multis Ambrosio in cap. 1. Lucæ, Bernardo homil. 3. super *Missus est*, cubiculi clausô ostiô ingressus sit, corpus illud introeundo dissipatum fuit: si verò post ingressum ad eam illud formavit, hoc à Virgine deprehensum fuit. Sed utrumlibet dicatur, facilè evanescit dubitatio: nam si dicamus, corpus sibi aptasse ante ingressum, potuit etiam clausô ostiô Divinâ virtute ingredi per penetrationem, ut Christus januis clausis intravit ad Discipulos: si verò dicamus, illud sibi formasse post ingressum; id fieri potuit, quin à Maria deprehenderetur; nam corpora ab Angelis efformata atque assumta pro eorum arbitrio adstantium oculos aut subeunt, aut effugiunt, ut uni quandoque pateant, alteri non item: sic B. Cæciliæ Angelus patebat, sponso suo nondum baptizato non apparebat.

XXII. Restat inquirere mensem diem & horam, quibus Angelus Mariam salutarum adivit: annum enim investigare pro nunc omittam. Et quidem mensem fuisse Martium, colligitur ex Lucæ c. 1. v. 26., ubi dicitur Gabriel missus ad Mariam sexto mense, postquam Elisabeth conceperat Joannem; & v. 56. quòd Maria post Salutationem mansit apud Elisabeth quasi mensibus tribus; & quòd post Mariæ discessum Elisabeth peperit Joannem. Cum ergo Joannes, qui post tres menses à Salutatione Gabrielis natus est, mense Junii natus sit, sequitur, quòd Salutatio Angeli, & Conceptus Verbi mense Martio contigerit. Ac eodem discursu fit, quòd hoc contigerit die vigesima quinta Martii, sicut Nativitas Joannis diei vigesimæ quartæ Junii consignatur. Accedit, quòd à die 25. Martii ad diem 25. Decembris, qua secundùm Ecclesiæ Veterem Traditionem natus est Jesus, fluunt integri novem menses, quibus fœtæ de more gestant in utero: cumque B. Virgo consueto impleto tempore Jesum pepererit, dicitur enim Lucæ 2. v. 6. *Impleti sunt dies, ut pareret, & peperit Filium suum*: dicendum est, 25. Martii eum concepisse: unde S. August. lib. 83. quæst. q. 56. vult, Ecclesiæ Traditione definitam esse diem vigesimam quintam Martii pro Conceptu Filii Dei; sicut vigesima quinta Decembris pro ejus Nativitate: & lib. 4. de Trinit. cap. 5. *Sicut*, inquit, *à Majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas*, 8. *Kalendas Aprilis conceptus creditur Christus, quo & passus*. In hoc cum Latinis conveniunt Ec-

Ecclesiæ Græcorum, ut ex earum Menologiis apparet. Quòd si aliquæ particulares Ecclesiæ alia die celebrarunt, & adhuc celebrant, ut Ambrosiana, Annuntiationis Festum; hoc non evenit, quia putent, eam alia die à 25. Martii fuisse peractam; sed quia cum hæc dies 25. Martii sæpè incidat in tempus Quadragesimale, seu in Festa Paschalia, ut solemniori Ritu nec ab alia solemnitate impedito illud celebrare possent, Festum Annuntiationis ad aliam diem liberam transferre æquius existimarunt.

XXIII. De hora tamen, qua Angelus ingressus est ad Virginem, non est adeò certum: quo factum est, ut Ecclesia felix illud momentum, quo Incarnatio peracta fuit, à Fidelibus quotidie coli optans, nec certa, qua horâ contigerit, ter in die illud recitari velit, nempè summo mane, meridie, ac summo vespere. Si tamen conjecturis locus datur, suspicari licet, Salutationem Angelicam peractam, Deumque in utero Virginis factum hominem fuisse, statim post mediam noctem, seu nocte ad auroram vergente. Tum quia hac ipsa hora Christus die 25. Decembris natus est: unde Pastores ab Angelo moniti de ejus ortu, dicitur Lucæ 2. v. 8., quòd *erant custodientes vigilias noctis super gregem suum*: & hoc præsignificatum videtur Sapientiæ 18. v. 14. *Cum enim quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit*: unde si ponatur eadem hora etiam conceptus, integer novem mensium numerus & horarum completus habebitur. Tum quia circa eandem horam creditur surrexisse: nam Joan. 20. v. 1. Maria Magdalene veniens ad monumentum, *cum adhuc tenebræ essent, vidit revolutum lapidem*: signum ergo erat, quòd antea resurrexerat. Tandem quia eadem illa hora, ut habetur Exodi 12., missus fuit Angelus ad interficiendos primogenitos Ægyptiorum, & Judaicum Populum ab Ægyptiaca Captivitate liberandum.

XXIV. Nunc de verbis Angeli salutantis cum S. Thoma hac q. 30. art. 4., ubi ordinatissimè Angelum processisse sic ostendit: *Tria enim Angelus intendebat circa Virginem. Primò quidem, reddere mentem ejus attentam ad tantæ rei considerationem: quod quidem fecit eam salutando quadam nova & insolita salutatione; unde Origenes dicit super Lucam* (homil. 6.) *quòd*,, si sciviſset, ad alium quempiam similem esse factum sermonem, utpotè quæ habebat Legis scientiam, nunquam eam quasi peregrina talis Salutatio terruisset ,, *In qua quidem Salutatione præmisit idoneitatem ejus ad conceptum in hoc quod dixit*,, Gratia plena,,: *expressit conceptum*

ptum in hoc quod dixit,, Dominus tecum,, *Et prænuntiavit honorem consequentem, cum dixit*,, Benedicta tu in Mulieribus ,, . *Secundò autem intendebat eam instruere de Mysterio Incarnationis, quod in ea erat implendum, quod quidem fecit prænuntiando conceptum & partum, dicens*,, Ecce concipies in utero &c. *Et ostendendo dignitatem prolis conceptæ cum dixit*,, : Hic erit Magnus &c. *Et etiam ostendendo modum Conceptionis, cum dixit* ,, Spiritus Sanctus supervenìet in Te ,, . *Tertiò intendebat animum ejus inducere ad consensum: quod quidem fecit exemplo Elisabeth, & ratione ex Divina Omnipotentia sumta*. Ita S. Thomas: qui tamen ad tertium addit, quòd *Conceptus Elisabeth sterilis inducitur, non quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam figurale exemplum; & ideò ad confirmationem hujus exempli subditur argumentum efficax ex Omnipotentia Divina*.

XXV. Ad hæc Angeli verba turbatam & ancipitem Virginem subjungit Lucas: *Quæ cum audisset turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista Salutatio*. Quamquam autem Angelus conaretur auferre ab illa turbationem ac timorem, dicendo, *Ne timeas Maria*: cum tamen ab eo audivit se concepturam in utero, & parituram Filium, *Ecce concipies in utero, & paries Filium*, magis exterrita, *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quibus visa fuit incredula, aut saltem dubia de veritate eorum, quæ ipsi Angelus annuntiabat.

XXVI. Sed à Beata Virgine omnem incredulitatis aut dubietatis suspicionem superiùs depulimus cap. 3. §. 6., agentes de Voto Virginitatis ab ipsa emisso, ubi à num. 35. ex Patribus ostendimus, verba illa *Quomodo fiet istud?* non fuisse discredentis, vel dubitantis: non enim dixit *non fiet*, nec *an fiet*, sed *quomodo fiet istud?* quæ verba sunt interrogantis de modo & ordine, quo conceptus & partus ei annuntiatus deberet fieri. Ne autem ibi dicta repetamus, illuc Lectorem mitto. Ea solùm addam, quæ S. Thomas hoc art. 4. ad 2. huic difficultati respondet: *Dicendum*, inquit, *quòd Ambrosius expresè dicit super Lucam* cap. 1., *Quòd B. Virgo de verbis Angeli non dubitavit. Dicit enim* ,, Temperantior est Mariæ responsio, quàm verba Sacerdotis (Zachariæ) Hæc ait: quomodo fiet istud? ille respondit: Unde hoc sciam? negat ille se credere, qui negat se scire: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quæ quomodo fieri possit inquirit ,, . *Augustinus tamen videtur dicere, quòd dubitaverit. Dicit enim in lib. quæst. Veteris & Novi Testamenti* (seu veriùs alius sub ejus nomine) q. 51.,, Ambigenti Mariæ de conceptu possibilitatem Angelus prædicat ,, . *Sed talis dubitatio magis est admira-*

rationis, quàm incredulitatis. Et ideò probationem Angelus induxit, non ad auferendam infidelitatem, sed magis ad removendam ejus admirationem. Quare audita Angeli probatione & explicatione modi, quo res facienda erat, absque cunctatione respondit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

§. III.

De Christi conceptu in Virginis utero peracto.

XXVII. Post pronunciata à B. Virgine prælaudata suæ humilitatis ac obedientiæ verba: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*, statim peractam fuisse Spiritu Sancto operante Christi in ejus utero Conceptionem, Patrum sententia est: Augustini serm. 18. de Sanctis (modò 194. in Append.), Gregorii Magni lib. 18. Moral. cap. 27., Basilii Seleuciensis Orat. de Annunt., Damasceni lib. 3. de Fide cap. 2., Sedulii lib. 2. Paschal., Ruperti lib. 1. de Spiritus Sancti Operibus cap. 9., Bernardi serm. 4. super Missus est.

Scio, aliquos asserri Patres, qui videntur asserere, Mariam vel ante Salutationem, vel initio Salutationis concepisse Christum, motos ex illis verbis *Gratia plena*, *Dominus tecum*: & inter istos recenseri Hieronymum Epist. 140. (modò inter Epist. criticas tom. 2. pag. 681.) ad Principiam, Ambrosium lib. 2. in cap. 1. Lucæ, Petrum Alexandrinum in Actis Conc. Ephesini, & Chalcedonensis, & alios. Sed contrarium apertè demonstrat Lucas, qui in toto illo continuato colloquio inter Angelum & Mariam, ipsam Conceptionem in utero, ut rem nondum peractam, sed peragendam proponit. Post enim illa verba *Gratia plena*, *Dominus tecum*, dicit Angelus: *Ecce concipies in utero, & paries Filium*: cui Virgo, *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* Cui ille: *Spiritus Sanctus superveniet in Te, & Virtus Altissimi obumbrabit Tibi*; & demum Virgo: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quis igitur ex hoc colloquio non colligat, eos loqui de Conceptione peragenda, sed nondum peracta? Accedit, quòd Angelus missus fuerat à Deo, ut assensum ejus, quo Dei Mater fieret, obtineret; quem cum ipsa non dederit, nisi cum clausit colloquium dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: clarum est, eam non ante Matrem Dei effectam fuisse. Unde Lucas ipse cap. 2. v. 21. observans, Angelum in colloquii prosecutione dixisse *Vocabis Nomen ejus Jesum*, dicit, *quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* Pa-

tres ergo, qui contrarium sensisse visi sunt, emolliri & ad communem sensum trahi debent, dicendo, eos intendisse, Mariam ante Salutationem concepisse Deum per fidem, mente & corde, non verò adhuc carne & utero, quamvis ad hoc jam præelecta esset ac prædestinata: & hoc indicant verba *Gratia plena*, *Dominus tecum*. Dominus ergo erat cum illa per gratiam, nondum autem in illa seu in illius utero secundùm carnem, quia nondum in illam supervenerat Spiritus Sanctus: uno verbô; Mater Dei erat electa, sed nondum effecta.

XXVIII. Occurrit hìc rejicienda quædam antiquis inaudita temporibus, & solo sextodecimo seculo tanquam à quadam muliere per revelationem accepta, publico exposita sententia, nimirùm B. Virginem non in Utero, sed in corde, aut certè in parte proxima cordi ex tribus guttis sanguinis è corde expressis concepisse Christum. Quæ sententia tanquam error damnata fuit Romæ à Julio II. Card: Cajetano præsente, ut ipse refert in 3.p. q. 31. art. 5. Et meritò quidem, nam expresè est contraria Scripturæ, quæ Mariam in utero Christum concepisse, & in utero gestasse dicit: Lucæ enim 1. v. 31. *Ecce concipies in utero*, *& paries* &c. v. 31. *Benedictus fructus ventris tui* cap. 2. v. 27. *Beatus venter*, *qui te portavit*, Matth 1. v. 18. *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, v. 23. *Ecce Virgo in utero habebit*. Quapropter Virginis uterum miris laudibus celebrant Patres, quòd Christum novem mensibus ad partum usque foverit ac gestaverit: inter quos Tertullianus lib de Carne Christi cap. 4., Origenes Homil. 14. in Lucam, Augustinus Orat. contra Judæos & Paganos cap. 9., Ambrosius lib. de Instit. Virginis cap. 14., Hieronymus in Psal. 18., Fulgentius in serm. de Laudibus Deiparæ, & alii tum Latini tum Græci.

XXIX. Ne autem effugere conentur defensores hujus novitatis dicendo, Scripturam & Patres sumsisse nomen Uteri latè, ut nimirùm illum sumserint pro thorace, aut ipso etiam corde, vel parte cordi proxima: præterquam quòd si cuique licet voces communes in alienum & latum sensum detorquere, nihil jam certi ex Scriptura & Patribus hauriri poterit; arguo sic primò: certè uteri vocem in stricto sensu intellexit B. Virgo, cum audiens Angelum sibi dicentem: *Ecce concipies in utero*, statim reposuit: *Quomodo fiet istud*, *quoniam virum non cognosco*: si enim in corde, vel juxta cor se concepturam intellexisset, quòd sanè viri opera non pertingit, frustra, ut miraculi patrandi modum addisceret, se virum non cognoscere reposuisset.

Secundò: nulla in corde aut juxta cor cavitas extat, ubi con-

concipi, formari, foverique possit usque ad partum fœtus humanus; & si esset, in ea non esset Christus conceptus & formatus, quia non est locus naturâ ad hoc destinatus, nam teste Ambrosio, Christus *secundùm conditionem naturæ in utero femineo fuit*. Addo, si ibi corpus conceptum ac formatum fuisset, continuò per novem menses miraculo fuisset opus, ne Maria à fœtu illic appositio suffocaretur: miracula autem propriò fingere arbitriò, non licet.

Tertiò: Deipara Virgo post menses circiter tres à Salutatione Angelica cœpit manifesta suæ graviditatis exhibere indicia, propter quæ Joseph cogitabat illam occultè dimittere: hoc autem utique erat ob uterum intumescentem; tum quia hoc dicitur Matth. 1. v. 18. *Inventa est in utero habens*; tum quia si pectus juxta cor illi intumuisset, Joseph non venisset in suspicionem adulterii, sed morbi; & ideò non cogitasset illam dimittere ut lapsam, sed curare ut ægram. Addo, quòd partui proxima *prægnans* in Evangelio dicitur Lucæ 2. v. 5. *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*: Prægnans autem ea solùm dicitur, quæ infantem egresui proximum gestat in utero: quæ enim illum gestaret in pectore, prægnans ineptissimè diceretur.

Quartò: B. Virgo verè & propriè est Mater Christi, ac Deipara: non esset autem nisi acceptâ Spiritus Sancti Virtute in loco à natura destinato, & organis ac instrumentis naturalibus ipsum concepisset, & corpus ejus formasset, sicut ceteræ matres solent: quare nec pater Evæ nec mater dicitur aut est Adam, quamquam ex aliqua ejus parte à Deo formata sit, quia illa pars ad hoc non erat naturaliter instituta. Locus autem ad conceptionem à natura destinatus, uterus est; naturæ organa & instrumenta illic extant. Unde ponere Christum, extra Uterum in corde aut juxta cor conceptum, est detrahere veritati conceptûs, ac veritati Matris ejus.

Christus ergo, qui, ut hominem redimeret, quamvis esset Deus, homo verè fieri dedignatus non est, & ex muliere concipi & nasci, dicente Paulo ad Galat. 4. v. 4. *Misit enim Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret*: qui flagellis cædi, spinis coronari, cruci affigi, cum iniquis reputari non horruit; multò minùs ex muliere concipi, atque in ejus Virginali utero foveri ac gestari horruisse, canit Ecclesia: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum*.

XXX. Nec movere debet, quòd à Patribus aliquando dica-

tur, B. Virginem corde Christum concepisse: sicut enim estò ab aliquibus interdum etiam dicatur, vel Virginem *aure concepisse*, vel per aurem ad Virginem illapsum esse; non dicunt, Virginem aure vel in aure Christum concepisse, quia figuratæ, non propriæ locutiones sunt; ita cum ab aliquibus dicitur B. Virgo Christum corde concepisse, figuratè dictum intelligi debet, nimirùm de Conceptione spirituali, non de Conceptione secundùm carnem: non enim uno modò ipsa concepit Christum; primò eum concepit aure, audiens ab Angelo Mysterium; deinde concepit mente, credens per fidem; postea corde, hoc est per caritatem: hîs præparata & dispositа, Spiritus Sancti operâ, concepit ipsum in utero secundùm carnem. Unde Augustinus lib. de Sancta Virginitate cap. 3. *Beatior*, inquit, *fuit Maria percipiendo Fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi... Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset.*

XXXI. Ea ergo ratione Verbum Divinum non est dedignatum concipi in utero, qua non est dedignatum concipi ex femina. Potuisset utique, ut ait S. Thomas 3.p. q. 31. art. 4. Filius Dei carnem humanam assumere ex quacumque materia voluisset, sed voluit illam ex femina sumere: primò, ut per hoc totam naturam humanam, quæ per feminam lapsa erat, erigeret & nobilitaret, ut ait Augustinus lib. 83. quæst. q. 11.: secundò, ut veritatem Incarnationis adstrueret, teste Ambrosio lib. de Incarnat. cap. 6., & August. Epist. 3., modò 137. ad Volusianum. Tertiò, quia per hunc modum omnis diversitas generationis completa fuit: nàm primus homo productus est ex limo terræ sine viro & femina; Eva verò producta est ex viro sine femina; alii verò homines concipiuntur ex viro & femina: unde hic quartus quasi Christo proprius relinquebatur, ut conciperetur ex femina sine viro. Non autem omnem modum conceptionis implesset, si conceptus fuisset, sed non in utero, ubi solent aliæ feminæ concipere: sed hoc solùm præservavit, ut non esset ibi aliqua immundities ex libidine proveniens. Sic enim etiam veritatem suæ Conceptionis magis demonstravit.

XXXII. Nunc ad materiam, de qua formatum fuit Christi Corpus, sermonem convertimus. Hoc supponimus de Maria Virgine sumtum, non de cœlo allatum, & per eam solùm transiens, sicut aqua transit per canalem, ut somniavit Valentinus, contra quem locutus sum tom. 1. in 3.p.

XXXIII. Illud ergo formatum dicimus ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis. Ita S. Thom. 3.p. q. 31. art. 5., & probat

bat primo ex Damasceno lib. 3. de Fide cap. 2. dicente: *Filius Dei construxit sibi ipsi ex castissimis & purissimis Sanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali*. Deinde hoc discursu: in Conceptione Christi fuit aliquid secundùm conditionem naturæ, quòd scilicet conciperetur ex femina, & aliquid supra conditionem naturæ, nempè quòd conciperetur ex Virgine absque opera viri virtute supernaturali Divinâ. Ea ergo parte, qua fuit secundùm conditionem naturæ, oportuit, ut materia, de qua Corpus ejus conceptum est, fuerit conformis materiæ, quam aliæ feminæ subministrant ad conceptionem prolis: hæc autem materia est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quandam ampliorem digestionem per virtutem generativam matris, ut sit materia apta ad conceptum. Et ideò ex tali materiâ fuit Corpus Christi conceptum.

XXXIV. Confirmatur: cum Christus sit verus & naturalis B. Virginis Filius, & ipsa verè & propriè Mater ipsius; matris autem sit in generatione prolis materiam ministrare; oportet, ut in conceptione idem præstiterit, quod aliæ feminæ in conceptione filiorum præstare solent. Materia autem hæc est sanguis per digestionem purgatus, ut conceptioni prolis sit idoneus: qui in B. Virgine majori puritate vigebat, tum ex meliori temperamento, tum ex peculiari Dei Providentia, & Spiritus Sancti Virtute. Unde Patres Ephesinæ Synodi Act. 11. ajunt: *Ex inviolabili namque & Virginali Sanguine Sanctæ & Immaculatæ Virginis Mariæ Verbum verè factum est incarnatum*.

Cur autem non immediatè ex carne, sed ex sanguine factum sit incarnatum, dicit S. Thom. dicto art. 5. ad primum, fuisse, quia carnes & ossa in B. Virgine, sicut in aliis feminis, sunt de integritate corporis, nec subtrahi possunt sine illius corruptione vel diminutione, quam Christus integritati Matris suæ inferre noluit: *Et ideò non debuit Corpus Christi formari de carne vel ossibus Virginis, sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentiâ totum ... Et ideò dicitur, carnem de Virgine sumsisse, non quòd materia corporis ejus fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentiâ caro*.

Neque idem fuit de Adamo, ex cujus ossibus formata fuit mulier. Nam, ut ait S. Doctor ibi ad secundum, *Adam, quia instituus erat ut principium quoddam humanæ naturæ, habebat in suo corpore aliquid carnis & ossis, quod non pertinebat ad integritatem personalem ipsius, sed solùm in quantum erat naturæ humanæ principium; & de tali carne formata est mulier absque viri detrimento. Sed nihil tale fuit in corpore Virginis, ex quo Corpus Christi*

sti posset formari sine corruptione materni corporis. Adde; quòd si Corpus Christi formatum esset ex Carne Virginis, non posset verè dici Mater ejus, sicut nec Adam mater Evæ dici potest.

XXXV. An autem B. Virgo præter sanguinem ministraverit etiam semen, negativè respondet S. Thom. art. 5. citato ad 3. 5 tum quia semen mulieris est aliquid imperfectum, nec est materia, quæ de necessitate requiratur ad conceptum; tum quia non sine quadam concupiscentia resolvitur, sicut & semen maris. In illo autem conceptu Virginali concupiscentia locum habere non potuit. Sicut nec, eadem ratione, sanguis menstruus, qui est superfluitas, & purgamentum illius puri Sanguinis, qui digestione præparatur ad conceptum. Et ideò ex solis castissimis ac purissimis sanguinibus Corpus Christi formatum fuit.

XXXVI. Principium verò activum Conceptionis Corporis Christi fuit tota Trinitas, attribuitur tamen Spiritui Sancto. Ita S. Thomas 3.p. q. 32. art. 1., & hoc triplici ratione. Primâ, quia ex maximo amore Dei provenit, ut Verbum Dei carnem sibi assumeret in utero Virginali; unde dicitur Joann. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: Amor autem specialiter Spiritui Sancto tribuitur, sicut Potentia Patri, & Sapientia Filio. Secundâ, quia assumtio naturæ humanæ opus est ex sola Gratia profectum; Gratia autem Spiritui Sancto attribuitur, secundùm illud 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*: unde Augustinus in Enchirid. cap. 40. *Iste modus*, inquit, *quo natus est Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso primo exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui Filius hominis, & Filius hominis, qui Filius Dei.* Tertiâ, quia ad hoc terminata est Incarnatio, ut homo ille, qui concipiebatur, esset Sanctus & Filius Dei: utrumque autem tribuitur Spiritui Sancto; nam per ipsum efficimur Filii Dei Galat. 4. *Quoniam estis Filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater*: ipse etiam est Spiritus sanctificationis, ut dicitur Rom. 1. Sicut ergo alii per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint filii adoptivi: ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis: unde Angelus Lucæ 1. ex hoc quod præmiserat, *Spiritus Sanctus superveniet in Te*, concludit, *ideòque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Dicit tamen S. Thomas, quòd conceptionem Corporis Christi tota Trinitas operata est, quia cum sit opus ad extra, debuit toti Trinitati esse commune. Hoc tamen

men intelligi debet spectatâ Incarnatione ut actio est: si tamen accipiatur ut humanæ naturæ terminatio seu suppositatio est, non totius Trinitatis est, sed solius Filii, qui solus dicitur factus Homo.

XXXVII. Hoc ergo Spiritûs Sancti operâ in conceptione Christi factum est; nimirùm, Ipse purissimum Virginis Sanguinem, ad Dominici corporis formationem necessarium, deduxit in uterum tanquam ad naturalem ejusmodi opificii officinam; illic sacrum Corpus effinxit, instruxit organis, animavit, creatam corpori sic instructo uniendo animam; Virgine materiam omnem atque substantiam operamque, à vulgaribus matribus in suorum fœtuum formatione præstari solitam, conferente. Unde Spiritus Sanctus, quidquid activæ virtutis efficaciæ suo semine vir producit, hoc excellentiori ac purissimô modô ipse præstitit: quidquid corporalis substantiæ est in fœtum transformandum de Virgine sumsit; sed nihil de sua substantia contulit, imo nec conferre potuit. In humanitate verò jam formata & animata divinitati suppositaliter unienda, non sic res se habuit: unius enim Dei id opus fuit, nihil ad id Virgine Matre conferente. Cum tamen in eodem instanti, quo humanitas Christi concepta fuit, fuerit etiam à Divina Persona ad subsistendum assumta, & terminus completus conceptionis sit Persona, ideò B. Virgo, sicut est propriè Mater Christi ita est propriè Mater Dei: de quo S. Thomas 3.p. q.35. art.4., & nos alibi contra Nestorium egimus.

XXXVIII. Ex his infert S.Thom. 3.p. q.32. art.2., in aliquo sensu Christum dici posse conceptum *De* Spiritu Sancto, aliter tamen ac de Matre. Cum enim præpositio *De* duplicem designare possit habitudinem, nimirùm efficientiæ, & consubstantialitatis, sicut cum dicimus, hominem aliquem esse de suo patre; ad Christum duplicem hanc habitudinem habet Spiritus Sanctus: nam ad ipsum, quatenus est Filius Dei, habet habitudinem consubstantialitatis; ad corpus autem ejus, seu ad ipsum ut homo est, habet solam habitudinem causæ efficientis: unde concludit S. Thomas: *Et ideò convenienter dicere possumus, Christum esse conceptum de Spiritu Sancto hoc modò, quòd efficientia Spiritûs Sancti referatur ad corpus assumtum, consubstantialitas verò ad Personam assumentem.* De B. Virgine autem conceptus dicitur, ly *De* dicente quidem habitudinem consubstantialitatis, quia de ejus substantia corpus accepit, non tamen efficientiæ. Unde S. Thom. ibidem ad tertium ex August. in Enchirid. cap.40. dicit: *Non eodem modo dicitur Christus conceptus aut natus de Spiri-*

tu

tu Sancto, & de Maria Virgine. Nam de Maria Virgine materialiter, de Spiritu Sancto verò effectivè.

XXXIX. Nec tamen hinc deducas, Spiritum Sanctum esse aut dici posse Patrem Christi, quia Spiritus Sanctus licèt in ejus formatione tantas partes habuerit, nihil tamen de sua substantia ad ejus formationem contulit, nec fœtum ejusdem secum naturæ produxit. E contra autem B. Virgo verè & propriè Mater ejus est, quia, & concursum omnem, quem solent ceteræ matres, ad illius corporis formationem habuit, & suam substantiam conferens ejusdem secum naturæ fœtum edidit. Unde S. Thomas 3.p. q.32. art.3. ad 1. *Christus*, inquit, *conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei, & ideò dicitur filius ejus. Christus autem secundùm quòd homo, conceptus est de Spiritu Sancto sicut de activo principio: non tamen secundùm similitudinem, sicut homo nascitur de patre suo; & ideò Christus non dicitur Filius Spiritus Sancti.*

XL. Quærit postremò S. Thom. dicta q.32. art.4. An B. Virgo aliquid activè egerit in conceptione Corporis Christi? Cui respondet negativè: sicut nec aliæ feminæ; quamvis contrarium sentiat Galenus. Ratio autem S. Thomæ est: non enim *natura distingueret ad opus generationis sexum maris & feminæ, nisi esset distincta operatio maris ab operatione feminæ. In generatione autem distinguitur operatio agentis & patientis: unde relinquitur, quòd tota virtus activa sit ex parte maris, passio autem ex parte feminæ. Propter quod in plantis, in quibus utraque vis commiscetur, non est distinctio maris & feminæ.* Unde concludit, quòd cum B. Virgo non acceperit virtutem, ut esset Pater, sed Mater Christi, eo modò ex parte sui, quo aliæ matres, *Dicendum est, quòd in ipsa conceptione Christi B. Virgo nihil activè operata est, sed solùm materiam ministravit: operata tamen est ante conceptionem aliquid activè, præparando materiam, ut esset apta conceptui*: quatenus per vim uteri à Spiritu Sancto adjutam sanguinem congregaverit, & ad locum naturalem attraxerit; ubi sine mora temporis, Divinâ operante virtute, secuta conceptio fuit.

* * * * *
* * * *

§. IV.

An Conceptio Christi fuerit supernaturali & miraculoso modo peracta.

XLI. HOc quæsitum excitat S. Thomas 3. p. q. 33. art. 4., ubi ita resolvit: *Sicut Ambrosius dicit in libro de Incarnatione c. 6.*,, Multa in hoc Mysterio, & secundùm naturam invenies, & ultra naturam ,, *Si enim consideremus id, quod est ex parte materiæ conceptûs, quam Mater ministravit, totum est naturale; si verò consideremus id, quod est ex parte virtutis activæ, totum est miraculosum: sed quia unumquodque magis judicatur secundùm formam, quàm secundùm materiam; & similiter secundùm agens, quàm secundùm patiens; inde est quod Conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa & supernaturalis; sed secundùm aliquid naturalis.* Quemadmodum ibidem ad primum dicit: *Quod Christus dicitur naturalis filius hominis, in quantum habet naturam humanam veram, per quam est filius hominis, licèt eam miraculosè habuerit: sicut cæcus illuminatus videt naturaliter per potentiam visivam, quam miraculosè accepit.* Hac ergo positâ doctrinâ.

XLII. Dicendum est, Conceptionem Christi fuisse pluribus titulis supernaturali & miraculoso modo peractam. Primò, quia in Conceptione Christi Maria Mater fuit & simul Virgo permansit, quia sine opera viri concepit. Hoc privilegium mirabile soli huic conceptui SS. Patres, & Ecclesia concedunt. Unde cum quidam nomine Imperialis, quibusdam apocryphis, maximè libro de Ortu Virginis motus, doceret, S. Annam citra suæ Virginitatis jacturam Mariam concepisse, à Sede Apostolica anno 1677. damnatus fuit. Qua eadem ratione improbandos censeo, qui imprudenti pietate moti spargunt, Annæ puerperium absque dolore contigisse, & Mariam absque actu conjugii à Joachimo & Anna, aut saltem in mentis raptu, & osculo, in momento, adeóque exclusô astrorum concursu, & sine præscriptis à natura tegumentis in lucem editam fuisse. Quod enim Isaias cap. 7. de illa sola, quæ conceptura erat Dei Filium prænuntiavit mysterium, quodque Gabriel in Maria impletum dixit, indignum est, ut ad alios extendatur.

XLIII. Secundò, miraculosam fuisse Christi Conceptionem, probat repentina corporis ejus in utero Virginis formatio. Statim enim ac B. Virgo humili obsequio suum conceptioni præbuit assensum dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm*

Verbum tuum, eodem momento, nullaque interpositâ morâ abscedente Angelô, Spiritu Sanctô operante, compactum est in Virginis utero Corpus Christi integrum, omnibusque suis membris organicis absolutum. Unde S. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 35. *Angelô nuntiante*, inquit, *& Spiritu Sanctô adumbrante, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum Caro*. Et ratio est, inquit S. Thomas q. 33. citata art. 1. *Tantò enim aliquod agens citiùs potest materiam disponere, quantò majoris virtutis est. Unde agens infinitæ virtutis* (qualis est Spiritus Sanctus) *potest in instanti materiam disponere ad debitam formam*. Et hoc, inquit, necessarium fuit, ut tota illa Conceptio posset attribui Filio Dei; quod non esset, nisi corpus statim esset perfectè formatum: *Et ideò in primo instanti, quo materia pervenit ad locum generationis, fuit perfectè formatum Corpus Christi, & assumtum. Et per hoc dicitur ipse Filius Dei conceptus: quod aliter dici non posset*.

XLIV. Ex hoc sequitur tertium miraculum, quòd ubi in generatione ordinaria corpus paulatim & successivè elaboratur, & in membra ac organa distinguitur, ita ut menti & animæ rationali suscipiendæ nonnisi quadragesimo post conceptum die sit idoneum; Corpus Christi in momento conceptionis & integrè fuit cum omnibus suis membris & organis formatum, & simul anima rationali animatum. Unde Damascenus lib. 3. Fidei Orthod. cap. 2. ait: *Simul Caro simul Dei Verbi Caro, simul Caro animata anima rationali & intellectuali*: & S. Thom. q. 33. laudata art. 2. *Ad hoc*, inquit, *quòd conceptio ipsi Filio Dei attribuatur, ut in Symbolo confitemur dicentes*,, Qui conceptus est de Spiritu Sancto,, *necesse est dicere, quòd ipsum Corpus Christi, dum conciperetur, esset à Verbo Dei assumtum: ostensum est autem supra, quòd Verbum Dei assumsit Corpus mediante anima, & animam mediante Spiritu, idest intellectu. Unde oportuit, quòd in primo instanti Conceptionis Corpus Christi esset animatum anima rationali*.

Hoc Fidei dogma defendimus & nos tom. 1. in 3. p. q. 5. de Nat. assum. dub. 5. tum contra Arianos, volentes Verbum susceptisse corpus sine anima, & animæ vices Verbum Divinum suppleviss: tum contra Apollinarium, qui ostò tandem admiserit, Verbum assumsisse Corpus quidem cum anima, dicebat tamen assumsisse animam sine mente, ac ipsum Verbum mentis locô fuisse. Illuc ergo, ne ibi dicta inutiliter repetam, Lectorem meum remitto. Solùm addo, hæreses has fuisse à Patribus confutatas: Athanasio, utroque Gregorio, Nazianzeno & Nysseno, Basilio, Ambrosio &c.; & in pluribus Conciliis damnatas, ut in Alexandrino anno Christi 362., ab Athanasio ceterisque Catho-

tholicis Episcopis coacto; Romano anno 373. Præside Damaso; & tandem in Œcumenico II. Constantinopoli habito sub eodem Damaso Romano Pontifice anno 381.

XLV. Quartum, quod in Conceptione Christi miraculum fuit, est, quòd in instanti conceptionis corpus ejus animâ & mente præditum unitum fuit Verbo Divino. Hoc probat Sanctus Thomas dicta q. 33. art. 3. ex S. Augustino (seu verius Fulgentio) lib. de Fide ad Petrum cap. 18. *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, carnem Christi non fuisse conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo*: deinde subjicit rationem sic: *Sicut supra dictum est, propriè dicimus, Deum factum esse hominem, non autem propriè dicimus, quòd homo factus sit Deus: quia scilicet Deus assumsit sibi id, quod est hominis, non autem præexistit id, quod est hominis, quasi per se subsistens, antequam susciperetur à Verbo. Si autem Caro Christi fuisset concepta antequam susciperetur à Verbo, habuisset aliquando veram hypostasim præter hypostasim Verbi Dei, quod est contra rationem Incarnationis, secundùm quam ponimus, Verbum Dei esse unitum humanæ naturæ, & omnibus partibus ejus in unitate hypostasis. Nec fuit conveniens, quòd hypostasim præexistentem humanæ naturæ, vel alicujus partis ejus, Verbum Dei sua assumtione destrueret. Et ideò contra Fidem est dicere, quòd Caro Christi priùs fuerit concepta, & postmodum assumta à Verbo Dei.* Ita S. Thomas: quæ veritas in antedictis fundatur, nimirùm quòd Caro Christi fuit in instanti perfectè formata. Nam, ut subdit S. Thomas ibi ad primum: *Si caro Christi non fuisset in instanti formata seu concepta, oporteret alterum duorum sequi; vel quòd assumtum nondum esset caro, vel quòd priùs esset conceptio carnis, quam ejus assumtio. Sed quia ponimus, conceptionem in instanti esse perfectam, consequens est, quòd in illa carne simul fuit concipi & conceptum esse; & sicut Augustinus* (Fulgentius) *dicit in libro de Fide ad Petrum c. 18.*,, dicimus, ipsum Dei Verbum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Dei Incarnatione conceptam,, & lib. *de Incarnat. & Gratia cap. 4.* hoc idem Fulgentius confirmat dicens: *Non est intervallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ Divinitatis adventum; una quippe fuit in utero Mariæ Virginis conceptio Divinitatis & carnis, & unus est Dei Filius in utraque natura conceptus.*

His configitur error Nestorii, dum docemus, humanam naturam à Christo assumtam, aliam non habuisse hypostasim, præter hypostasim Verbi Divini; & error Eutychetis, dum dicimus, naturam humanam per assumtionem non fuisse à natura

Divina absorptam, sed utramque naturam salvîs suîs proprietatibûs in unitatem Personæ adunatam fuisse: contra quos errores egi tom. 1. in 3. p. q. 7. dub. 2. & 6.

XLVI. Contra tamen ea, quæ diximus, Conceptionem Christi peractam fuisse in instanti, obstare videtur primò, quòd ad formationem Corporis Christi requiratur motus localis, quo sanguis ad locum generationi congruum perveniret. Nullum autem corpus potest moveri localiter in instanti. Secundò, in eodem instanti non potuit esse Sanguis & Caro, aliàs materia simul fuisset sub duabus formis; ergo aliud fuit instans, in quo ultimò fuit sanguis, & aliud, in quo primò fuit caro formata: sed inter quælibet duo instantia est tempus medium; ergo Corpus Christi non fuit in instanti formatum, sed per aliquod tempus.

XLVII. Hæc tamen leviora sunt. Nam primum solvit Sanctus Thomas 3. p. q. 33 art. 1. ad secundum dicens: *Quòd motus ille localis non comprehenditur infra ipsam conceptionem, sed est conceptioni præambulus*. Secundum etiam solvit idem S. Doctor ibidem ad tertium: *Quòd non est assignare ultimum instans, in quo materia illa fuit sanguis, sed est assignare ultimum tempus, quod continuatur nullo interveniente medio ad primum instans, quo fuit Caro Christi formata: & hoc instans fuit terminus motus localis materiæ ad locum generationis*.

XLVIII. Observa insuper, quòd quando dicimus, Corpus Christi in instanti conceptionis fuisse perfectum, seu perfectè formatum, non intendimus fuisse in ea quantitate, quam postea habuit, & per augmentum successivè habiturum erat; sed solùm quòd in instanti suæ conceptionis, estò in parva quantitate formatum, habuit tamen omnia membra & organa disposita ad suscipiendam animam rationalem, & ut pro eo instanti assumeretur à Verbo. Quòd cum alii homines non obtineant, nisi post quadraginta & ultra dies, in hoc dicimus, Conceptionem Christi fuisse miraculosam. Hoc docuit S. Thom. 3. p. q. 33. a. 1. ad quartum his verbis: *Augmentum fit per potentiam augmentativam ipsius, quod augetur: sed formatio corporis fit per potentiam generativam, non ejus qui generatur, sed ipsius generantis ex semine, in quo operatur vis formativa ab anima patris derivata. Corpus autem Christi non fuit formatum ex semine viri, sed ex operatione Spiritûs Sancti. Et ideò talis debuit esse formatio, ut Spiritum Sanctum deceret. Sed augmentum Corporis Christi fuit factum secundùm potentiam augmentativam animæ Christi, quæ cum sit specie conformis animæ nostræ, eodem modò debuit Corpus illud augmen-*

augmentari, ſicut & alia hominum corpora augmentantur, ut ex hoc oſtenderetur veritas humanæ naturæ. His patet ratio, cur in momento Conceptûs debuerit Corpus Chriſti habere quidem decentem quantitatem illi ſtatui, non verò totam illam, ad quam debebat per augmentationem pervenire.

Quænam autem fuerit illa decens quantitas, quam in eo inſtanti habere debuit, audiatur ex eodem S. Doctore ibi art. 2. ad 2. ubi hæc habet: *Anima requirit debitam quantitatem in materia, cui infunditur: ſed iſta quantitas quandam latitudinem habet; quia & in majori, & in minori quantitate ſalvatur. Quantitas autem corporis, quam habet, cum primò ſibi infunditur anima, proportionatur quantitati perfectæ, ad quam per augmentum perveniet: ita ſcilicet, quòd majorum hominum majorem quantitatem corpora habent in prima animatione. Chriſtus autem in perfecta ætate habuit decentem & mediocrem quantitatem, cui proportionabatur quantitas, quam corpus ejus habuit tempore, quo aliorum hominum corpora animantur: minorem tamen habuit in principio ſuæ conceptionis; ſed tamen illa parva quantitas non erat tam parva, ut in ea non poſſet ratio animati corporis conſervari; cum in tali quantitate quorumdam parvorum hominum corpora animentur.*

XLIX. Dices: ſi Chriſti Corpus fuit operâ Sancti Spiritus elaboratum, debuit eſſe venuſtum & pulchri aſpectus, ſicut plures ſentiunt de corpore Adami, quod fuit à Deo productum: quod tamen fuiſſe falſum, colligitur ex Iſaiæ cap. 43. de Chriſto dicentis: *Non eſt ei ſpecies neque decor.* Imo Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Origenes lib. 6. contra Celſum, Tertullianus lib. de Carne Chriſti, & alii dicunt, Corpus Chriſti fuiſſe indecoræ, & illiberalis formæ.

Reſpondeo, me de hoc locutum fuiſſe tom. 1. in 3. p. q. 5. de Nat. aſſum. dub. 7. §. 2., & probabile reputaſſe, Chriſti Corpus fuiſſe formæ nec nimis indecoræ nec nimis venuſtæ, ſed mediocris ſeveræ & gravis, at ſimul etiam mitis, aptæ ad finem, propter quem venerat. Non debuit habere venuſtam, quia non decebat, ut facie formoſus eſſet, qui formam ſervi aſſumſerat, & corporis ſpeciem contemtui eſſe habendam prædicabat: nec adeò indecoram, ut vel ipſe aſpectus ejus contemtibilem redderet. Iſaias autem de Chriſto locutus fuit, non qualis in ſe erat, ſed qualem eum effecturi erant Judæi plagis ac verberibus in paſſione; & ad hunc ſenſum trahi poſſunt præfati Patres. Cetetùm S. Thom. in Pſalm. 44. *Pulchritudinem*, inquit, *Chriſtus habuit, ſecundùm quod competebat ad ſtatum, & reverentiam ſuæ conditionis. Non eſt ergo intelligendum, quòd Chriſtus habuerit*

ca-

capillos flavos, vel fuerit rubeus, quia hos non decuit eum.

L. Miraculosa & supernaturalis fuit Conceptio Christi non solùm quoad corporis formationem, sed etiam quoad dona, quibus ejus anima in primo instanti ornata fuit, de quibus agit S. Thom. 3.p. q.34. Etenim primò sanctificata fuit per Gratiam; nam, ut ait ibi art. 1., abundantia gratiæ sanctificantis animam Christi derivatur ex ipsa Verbi unione, secundùm illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Cum autem ex dictis in primo instanti suæ Conceptionis Corpus Christi animatum fuerit, & à Verbo assumtum, fit, ut primo instanti suæ conceptionis plenitudinem gratiæ sanctificantis habuerit. Sanctificatus tamen fuit in primo instanti Christus, non quidem ex contrario, ideſt ex peccato, sicut nos; sed ex negativo, nempe ex non Sancto secundùm hominem factus est Sanctus, inquit S. Thom. ibidem ad secundùm: *Quia scilicet, quando non fuit homo non habuit sanctitatem humanam, & ideò simul factus fuit homo & sanctus homo, propter quod Angelus dicit Lucæ* 1.„ Quod nascetur ex te Sanctum„: *quod exponens Gregorius lib.*18. *Moral. c.*27. *dicit*„ Ad distinctionem nostræ sanctitatis Jesus Sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe si Sancti efficimur, non tamen nascimur; quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur; ille autem solus veraciter Sanctus natus est, qui ex conjunctione carnalis copulæ conceptus non est„.

LI. Secundò, in primo instanti suæ conceptionis habuit usum liberi arbitrii. Ita S. Thomas ibid. art.2. Christus enim in primo instanti suæ conceptionis, utpotè perfectus, debuit habere illam operationem animæ, quæ potest in instanti haberi: talis autem est operatio intellectus & voluntatis, in qua consistit usus liberi arbitrii, quæ subitò & in instanti, quia sine motu perficitur. Nec dicas: esse est priùs, quàm agere. Nam respondet S. Thomas ad primum: *Quòd esse est priùs naturâ, quam agere, non tamen est priùs* tempore, *sed simul cum agens habet esse perfectum, incipit agere, nisi sit aliquid impediens: sicut ignis simul dum generatur incipit calefacere & illuminare, sed calefactio non terminatur in instanti, sed per temporis successionem; illuminatio autem perficitur in instanti. Et talis operatio est usus liberi arbitrii.* Similiter estò actus usus liberi arbitrii importet electionem, & hæc supponat deliberationem consilii: hæc tamen (inquit Sanctus Thomas ad secundum) *deliberatio consilii non præexigitur ad electionem, nisi propter inquisitionem incerti. Christus autem in primo instanti suæ conceptionis, sicut habuit plenitudinem Gratiæ sanctificantis, ita habuit plenitudinem Veritatis cognitæ, secundùm illud*

lud Joan. 1. Plenum gratiæ & veritatis: *Unde quasi habens omnium certitudinem, potuit statim in instanti eligere.*

LII. Tertiò, in primo instanti suæ conceptionis potuit mereri. Ita S. Thomas art. 3. Christus enim in primo instati suæ conceptionis fuit sanctificatus sanctificatione perfecta, ideſt eo modo, quo sanctificantur adulti, nempè per proprium actum, seu per motum liberi arbitrii in Deum; sic enim sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator: ille autem motus liberi arbitrii in Deum fuit meritorius. Huc pertinet, quòd Paulus ad Hebr. 10. de Christo ait: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi* (ideſt immolationi aptando mihi corpus aptum fecisti) *Tunc dixi ecce venio*: ad immolationem scilicet, ut exponit S. Thomas in Comm. illius loci. Tunc ergo, quando corpus sibi fuit aptatum, paratum se obtulit ad faciendum Patris voluntatem; unde sequitur, quòd in illo primo instanti voluerit mori, quæ voluntas sanè meritoria fuit: unde subdit Apostolus v. 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi semel.* Cœpit ergo à primo suæ conceptionis instanti mereri, & semper usque ad instans mortis, quo desiit esse viator, continuavit mereri.

LIII. Quartò, à primo instanti suæ conceptionis fuit perfectè Comprehensor & Beatus. Ita S. Thomas art. 4. Non enim habuit gratiam ad mensuram, ac deficientem à perfecto statu gratiæ, sicut puri Viatores, sed gratiam in perfecto statu, non solùm tantam quantam habent Comprehensores, sed gratiam omnibus Comprehensoribus majorem: & consequenter cum gratia illa non fuerit sine actu, fecit eum actu Comprehensorem & videntem Deum per essentiam clariùs, quàm ceteri. Hæc strictim cum S. Thoma hìc indicavimus. Cum enim de his sicut & de aliis donis scientiæ, ac virtutum, quibus anima Christi ornata fuit, in 3. p. tom. 1. satis fuerit dictum, ideò in his diutiùs immorari supervacaneum existimarem.

CAPUT VI.

De Mariæ Virginis in montana Peregrinatione ad Visitandam cognatam Elisabeth.

§. I.

Quis finis Visitationis, quis locus habitationis Elisabeth.

I. CUM Angelus, ut Mariæ ostenderet, non esse impossibilem conceptum, quem ipsi nuntiabat, adduxisset exemplum Elisabeth cognatæ ejus, quæ conceperat filium in senectute sua, post Angeli discessum refert Lucas cap. 1. v. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in Montana cum festinatione in Civitatem Juda; & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth*: super quæ verba dubitari solet, an illud *cum festinatione*, referendum sit ad susceptionem itineris, sic ut Beata Virgo post discessum Angeli, statim ac nulla ferè interpositâ morâ iter sit aggressa: an verò potiùs ad ipsam prosecutionem itineris; sic ut susceptum iter cum festinatione ageret. Huic secundo, utpotè magis consono verbis Lucæ libentiùs adhæreo; quia Lucas dicit: *Abiit in Montana cum festinatione*: quibus indicat festinationem fuisse in itinere peragendo, quasi Verbo Dei in ejus utero jam concepto eam ad festinandum incitante, ut suo adventu citius sanctificaret Joannem, ut sentit Origenes homil. 7. in Lucam dicens: *Jesus, qui in utero Virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat*; tum etiam, quia Lucas non dicit, quòd postquam discessit Angelus ab ea, exurgens Maria abiit *in illa die*, quasi digressô Angelô nulla interpositâ morâ abierit; sed *in diebus illis*, eo circiter tempore, seu post exactos dies aliquos à discessu Angeli, itineri se accinxit. Neque enim est credibile, Virginem ad Civitatem quatriduo distantem insperatò, ex suis saltem insalutatis convolasse, fugæ enim potiùs suspicionem reliquisset.

II. Circa susceptum itineris finem non est excipienda Theophylacti, Euthymii, ac Bonaventuræ opinatio, qui putarunt, B. Virginem illud iter suscepisse explorandæ veritatis causa, quasi probaturam, an Angelus ei vera nuntiasset, quando dixerat: *Ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*: vel saltem, ut

ut proprio experimento majorem quæreret certitudinem eorum, quæ ab Angelo audierat.

Non est inquam excipienda. Injuriosa enim videtur B. Virgini, quasi Divino nuntio indubiam fidem non præstiterit. Imo contraria Evangelio, ex quo habemus, Mariam humili fide se se Angeli dicto subjeciſſe, dum ait: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum*. Quam ejus fidem Elisabeth commendans v.45. *Beata*, inquit, *quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*. Quæ autem Angeli dicenti crediderat, se Virginem, nec Virum cognoscentem, concepturam in utero & parituram, quomodo poterat hæsitare de conceptu Elisabeth, viri operâ formato, quamvis sterilis & vetulæ, & ad hujus veritatem experimento comprobandum iter assumere? Optimè ergo Ambrosius lib.2. in Lucam: *Ubi*, inquit, *hoc audivit Maria, non quasi incredula de Oraculo, nec quasi incerta de Nuntio, nec quasi dubitans de exemplo* (sibi ab Angelo dato sterilis Elisabeth, sextum jam graviditatis mensem agentis) *sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in Montana perrexit*.

III. Ex his habemus, hujus Visitationis finem non fuisse merè officiosum & civilem, sed religiosum & sacrum; tum ex parte Dei, qui Mariæ hanc peregrinationis indidit voluntatem, ut in ea & per eam faceret, quod prodigialiter factum in ejus adventu recensèt Lucas, ut infra dicetur; nimirùm Elisabeth, ejusque in utero inclusum Joannem Spiritu Sancto replere, Dei jam facti hominis notitiam utrique tradere, ut illum suo uterque modo prophetaret. Quamquam enim, ut observat Cardinalis Toletus Annot. 115. in cap. 1. Lucæ: *Non habemus certitudinem ullam, neque ex Scriptura ipsa, neque ex Traditione, nec ex Patrum Doctrina, Beatam Virginem hæc omnia, quæ subinde per illam prodigialiter facta sunt, noviſſe tunc, cum profecta est*: tamen Deo eam secretò movente, iter assumsisse credenda est, secundùm id, quod ex Origene dicebamus, quòd *Jesus, qui in ventre Virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat*. Unde ingens illi Fidei, & Obedientiæ ob hoc meritum accessit.

IV. Patet, religiosum fuisse etiam finem ex parte Virginis, quæ, ut dicebam, iter assumsit, ut impleret voluntatem Dei: & insuper quia illud assumsit, ut ait Ambrosius, *quasi læta pro voto*, ut Mysterium Verbi in se concepti Cognatæ cum gaudio annuntiaret; *Religiosa pro officio*, ut Elisabethæ cognatæ suæ de concepto miraculosè Joanne gratularetur, eique gravidæ & ætate

provectæ caritatis officia inserviendo præstaret; ideòque cum ea, quasi per tres menses permansit, saltem quousque tempus partûs appropinquaret: quo rarum caritatis, & humilitatis reliquit exemplum: quod vel ipsa Elisabeth admirata exclamavit Lucæ 1. v. 43. *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?*

V. Circa Civitatem, in qua morabatur Elisabeth, & ad quam Maria perrexit, cum Lucas nil aliud dicat, quàm quod *Abiit in Montana cum festinatione in Civitatem Juda*, laborant Interpretes in designando nomine hujus Civitatis. Propterea S. Lucam (referente Baronio in Apparatu n. 77.) reprehendere ausi fuere Julianus Apostata & Porphyrius, Christiani nominis hostes infensissimi; quòd nomen Civitatis, ad quam perrexit Maria, omiserit, solùm dicens, eam abiisse in Civitatem Judæ Montanam. At Sacro Scriptori satis erat distinctè enarrare Mysteria, quæ in loco peracta fuerunt Maria adveniente; quod præstitit, quamvis de circumstantia, quæ nihil aut parùm intererat, non fuerit sollicitus. Attamen, ut benè notat Baronius loco citato, dicendo fuisse Civitatem Judæ positam in Montanis, in qua habitabat Zacharias de stirpe Aaron, indicavit, eam fuisse Civitatem Sacerdotalem præcipuam, positam in Tribu Juda; & proinde antonomasticè eam designavit.

VI. Hanc autem fuisse *Hebron* seu *Chebron*, aliter *Cariatharbe* dictam, sentiunt cum Baronio plerique. Hæc enim prima de Civitatibus Juda fuit, quæ Sacerdotum habitationi cessit in sortem. Nam Josuæ 21. ubi describuntur Civitates, quas filii Israel Levitis ad habitandum concesserunt v. 9., sic lego: *De tribubus filiorum Juda, & Simeon dedit Josuæ Civitates, quarum ista sunt nomina. Filiis Israel per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est) Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron in monte Juda, & suburbana ejus per circuitum.* Habemus ergo, Hebron fuisse Civitatem Juda positam in Montanis, & primam, quæ Levitis sorte contigit in Tribu Juda. Cur ergo conjicere non possumus, hanc antonomasticè indicare voluisse Lucam, cum ait, Mariam abiisse in Montana in Civitatem Juda Sacerdotalem, quia ibi habitabat Zacharias Sacerdos de Tribu Levi? Estò autem, ut notat P. Serry Exercit. 28., aliæ Civitates in Tribu Juda fuerint Levitis destinatæ, nimirùm, *Lobna, Jether, Esthemo, Holon, Dabir, Ain, Jetha & Bethsames*; cum tamen nulla earum, præter *Hebron*, dicatur posita in *Monte Juda*, etsi non certum, verisimile tamen sit, S. Lucam, dicendo Mariam abiisse in Civitatem Montanam Sacerdotalem positam in tribu Juda, voluisse præ ceteris Hebron indica-

re

rè; cum nulla alia in Montanis Judæ esset Civitas Sacerdotalis. Quòd autem Hebron fuerit totius Tribus Judæ Urbs maxima, ac etiam Tetrapolis olim per septem annos Davidis Regia, & sub Chananæis Imperii Sedes antiquissima, non obest; quin potiùs nostram conjecturam firmat, quòd scilicet tanquam celeberrimam omnium, non proprio nomine, sed tantùm Civitatis Judæ in Montanis sitæ, eam Lucas appellaret, existimans, omnes intellecturos, hanc esse Hebron.

VII. Non latet, aliquos velle nomine illius Civitatis Judæ Montanæ Lucam intellexisse *Hierusalem*, alios *Bethlehem*, alios *Emmaus*, alios *Macherontem*; Sed S. Lucam non intellexisse Civitatem Hierusalem arguitur primò, quia Hierusalem non erat Civitas pertinens ad Tribum Juda, sed ad Tribum Beniamin. Secundò, quia non fuit à Josue annumerata inter Civitates destinatas Sacerdotibus ad habitandum; nec Civitas Sacerdotalis erat sed Regia; ad illam quidem accedere tenebantur Sacerdotes, sed tempore tantùm vicis suæ; è Civitatibus, in quibus permanentem domum habebant, Hierusalem conveniebant. Tertiò, Urbs Hierusalem nunquam vago nomine, sed semper proprio, consuevit in Scripturis appellari. Non intellexisse Bethlehem conjicitur, quia Civitas quidem erat de Tribu Juda, sed non Sacerdotalis, in qua domum habere posset Zacharias. Idem dico de Emmaus & Macheronte, quæ Civitates Sacerdotales non erant: addo, Macherontem in Tribu Ruben, non in Tribu Juda fuisse sitam.

VIII. Verosimilius ergo est, Lucam tacito nomine Hebron, seu Cariatharbe indicare voluisse; hæc enim in Montanis sita erat, Civitas Judæ pariter ac Sacerdotalis erat; urbs exceptâ Hierosolymâ ceteris Palestinæ civitatibus præstantior. In ea enim habitavit Abraham, in ea David est unctus Rex, ibi sepulchra Patriarcharum visebantur. Eam proinde celebrant Josephus tum lib.8. Antiquit. cap.1., tum lib.5. de Bello Judaico cap.6., & Hieronymus de locis Hebraicis: *Est quercus*, inquit, *Mambre juxta Chebron, in qua usque ad ætatem infantiæ meæ, & Constantii Regis Imperium, terebinthus monstratur pervetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitavit Abraham; miro enim cultu ab Ethnicis habita est, & velut quodam insigni nomine consecrata*: & Epist.27. modò 86. *Ascendit Chebron, hæc est Cariatharbe, id est Oppidum Virorum quatuor, Abraham, Isaac, Jacob, & Adam Magni, quem ibi conditum juxta Librum Jesu Nave Hebræi autumant, licèt plerique Caleb quartum putent, cujus ex latere memoria monstratur*. Hæc de Antiquitate & excellentia Civi-

tatis Hebron, quam hic indigitasse S. Lucam, hactenus cogitavimus. Quid autem revera intellexerit, solus ipse qui scripsit certò novit.

IX. Burchardus in descriptione Terræ Sanctæ (referente Baronio supra laudato) domum Zachariæ sic ponit in Montanis Judææ, ut dicat, novem leucis distare á Civitate Hebron, ac eam non in Civitate sed in Campestribus sitam. Sed cum Lucas expressè dicat, quòd Maria *abiit in Montana in Civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth*, manifestè apparet, Zachariæ domum, non duodecim leucis à Civitate Hebron distasse, nec in Campestribus, sed intra Civitatem positam fuisse, ubi erant vicini & cognati, qui audito ejus partu congratulabantur Elisabeth, ut refert Lucas c. 1. v. 58.

§. II.

Quis Mariæ in itinere comes: & quid in ejus adventu factum sit.

X. QUoad primum Lucas, quemadmodum silentio suo nomen Civitatis ad quam se contulit B. Virgo, nobis obscurum reliquit; ita quis fuerit ejus in itinere comes, eodem silentio suo, divinandum potiùs, quàm asserendum proposuit. Cum enim solùm dixerit cap. 1. v. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in Montana cum festinatione in Civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth*: nec exprimat, an sola, vel cum comite, & cum quo abierit; Sacris Interpretibus hoc aut illud existimandi materiam dedit. Et quidem Mariam quatuor, vel saltem trium dierum itineri se exposuisse solam, vix credibile redditur; hoc enim verecundia Virginis non patiebatur, nec Joseph, cui jam nupta erat, ut diximus supra, qui custos ejus pudoris esse debebat, permisisset, ut sponsa sua adolescentula sola sine comite labores & pericula itineris assumeret, per mediam Hierusalem transiret, Templumque Deum adoratura intraret. In hoc ergo videntur convenire omnes: dissidium est in opinando, quis fuerit eam in itinere comitatus. Non fuisse Joseph multi putant, sed potiùs prudentem aliquam Matronam, inter quos Serry & Graveson. Alii, S. Joseph ejus Virum fuisse comitem verisimile censent; & in hanc sententiam supra propendi, & lubens adhuc venio. Non enim mihi credibile videtur, Josephum Sponsum suam recèns sibi nuptam, adolescentulam à Deo sibi traditam in custodiam, adeó

ne-

neglexisse, ut ei se in itinere comitem negaret, sed alterius custodiæ committeret. At, inquiunt, Lucas hoc non dicit. Estò; sed nec etiam dicit aliquem habuisse comitem: & tamen ipsi putant, ex honestate aliquam prudentem matronam comitem habuisse. Cur ergo non licebit ex conjugali fide potiùs existimare, hunc comitem fuisse Josephum conjugem, quem in aliis B. Virginis itineribus sivè Bethlehem, sivè in Ægyptum ei comitem & adjutorium fuisse, expressè tradit Evangelista?

XI. Sed dicunt: Si Joseph fuisset in illo itinere comes Mariæ, audisset utique illam salutari ab Elisabeth Matrem Dei, & conscius jam de Mysterio, videns eam post reditum utero jam tumescente gravidam, non voluisset illam dimittere, quod tamen Matthæo teste cap. 1. v. 19. facere voluit.

XII. Huic argumento, cui opinio contraria maximè fidit, respondent nostræ sententiæ defensores: ex hoc non sequi, Joseph, etsi comitem Mariæ in itinere, audivisse verba Salutationis Elisabeth, quia vel tunc cum Zacharia, vel aliis officii gratiâ detentum.

Si mihi tamen hac in re opinari liceret, dicerem, Joseph quidem comitatum fuisse Mariam in itinere, totis tamen tribus ferè mensibus, quibus ipsa apud Elisabeth mansit, cum ea non permansisse, sed expletis urbanitatis officiis, benè conscium sponsam suam apud cognatam tutam manere, domum suam revertisse, rei familiaris & artis suæ fabrilis gerendæ gratiâ, ibique mansisse, donec post tres menses Mariam cum aliqua fida comite sibi ab Elisabeth data revertentem, videns eam uterò jam intumescente gravidam, nesciens, unde hoc factum esset, cogitavit illam dimittere. Hoc existimo, quia si Joseph totis illis tribus mensibus cum Maria permansisset, etiam ante reditum ejus uterum dum in domo Elisabeth maneret deprehendisset, & non tanquam rem sibi novam, solùm post reditum. Quòd verò Joseph, etsi Mariæ comes ad domum Elisabeth, non fuerit præsens nec verba reciprocæ Salutationis Mariæ, & Elisabeth audierit, non est incredibile, si supponamus colloquium hoc accidisse inter solam Mariam & Elisabeth, nullo nec ex domesticis præsente, uti inter secreta mulierum colloquia contingere solet, Deo qui hæc omnia disposuerat sic volente, ne Incarnati Verbi Mysterium tunc aliis innotesceret, nisi Elisabeth & Joanni, quem gestabat in utero. Unde nemini de facto totis illis tribus mensibus, nec Zachariæ legimus innotuisse, sed nec ipsi Josepho, cui solùm post reditum reservaverat Deus manifestandum. Hæc prudentis judicio Lectoris subjicio.

XIII. Quan-

XIII. Quantùm ad secundum, nempè quid in adventu Mariæ ad Elisabeth factum sit, refert Lucas cap. 1. v. 41. his verbis: *Et factum est, ut audivit Salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* Ubi in hoc occursu duo vides prodigia: unum Joannis adhuc in utero clausi adventum Verbi in Maria sentientis, & exultantis; alterum Elisabeth matris Spiritu Sancto afflatæ prophetantis; quibus addit tertium v. 46., Mariæ scilicet Spiritu pronuntiantis *Magnificat anima mea Dominum* &c., quæ considerans S. Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. 1. *Contuendum est*, inquit, *quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur; Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem. Denique etiam postea, ut sanctificaret Baptismum Joannis, Dominus venit ad Baptismum. Citò quoque adventus Mariæ & præsentiæ Dominicæ beneficia declarantur... Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audivit, iste exultavit ratione Mysterii. Illa Mariæ, iste Domini sensit adventum. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque Mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant Matres Spiritu parvulorum* &c.

XIV. Ex his, & ex statim dicendis apparet, exultationem Joannis in utero fuisse miraculosam. Scio, ex Heterodoxis non paucos nil, nisi secundùm naturam, in ista Joannis in utero exultatione deprehendere; nempè quòd ille pueri saltus ex ipsa Matris ejus ad Mariæ occursum exultatione processerit. Quare quod subindè v. 44. dixit Elisabeth: *Exultavit in Gaudio infans in utero meo*: sic intelligunt, ut in gaudio Matris, non in sui ipsius gaudio, exultaverit Joannes. Interdum enim ex gestientis Matris lætitia ac commotione naturaliter editur commotio aliqua pueri in ventre ejus occlusi; imo ipso etiam naturæ ductu experiuntur matres, pueros, quos gestant in utero, moveri & exsilire: unde Genes. 25. v. 22. dicuntur Jacob & Esau in utero Rebeccæ matris rixati.

XV. Imperitè, ne dicam impiè, discurrunt. Quamvis enim contingere naturaliter possit, ut puer in utero matris moveatur, & aliquem quasi saltum edat; tanquam ex motu & exultatione matris excitatum; si tamen ad Scripturam (cui soli standum volunt) attendissent, vidissent, motum illum Joannis, non à natura, sed à speciali Spiritus Sancti impulsu processisse, nec corporis tantùm, sed animi motum fuisse, cum hoc ex ipsa Angeli testificatione ad Zachariam habeatur Lucæ 1. v. 15. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ*: & rursùs vidissent, exultationem Joannis non ex Matris gaudio fuisse obortam, sed po-

potiùs ex ipso exilientis pueri motu, unde Deum advenisse persensit, Elisabeth Matris gaudium enatum fuisse: quod diserte exprimit Lucas cap. 1. v. 41. *Ut audivit Salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* Priùs ergo Joannes in utero exultavit, deinde Matris gaudium ex Spiritu Sancto secutum est. Ita Ambrosius tum verbis supra allatis, tum sequentibus: *Exultavit infans, & repleta est Mater. Non priùs repleta mater, quàm filius: sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit & Matrem*: & Augustinus Epist. 57. modò 187. ad Dardanum: *Repleta est*, inquit, *Spiritu Sancto Elisabeth, quo procul dubio revelante cognovit, quid illa exultatio significaret infantis: idest illius venisse Matrem, cujus præcursor ipse, & monstrator futurus esset.*

XVI. Hoc confirmatur, nam exultatio illa ex eo processit, quòd Joannes fuerat repletus Spiritu Sancto, & proinde fuit effectus seu signum, quòd jam justificatus fuerat, juxta illud Lucæ 1. v. 15. Angeli prænuntiatum: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*: non ergo fuit naturalis, sed plenè miraculosa. Antecedens fatentur summo consensu Patres: Origenes homil. 10. in Lucam: *Sancta erat*, inquit, *anima Beati Joannis, & adhuc in matris utero clausa venturaque in Mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat, quæ Israel ignorabat*: Cyprianus Epist. 73., quæ est ad Jubajanum: *Gratiâ Divinâ in utero Matris Joannes impletur*: Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. *Cum gestaretur in utero, à Spiritu Sancto sanctificatus est*: Athanasius serm. 4. contra Arianos: *Permulti fuerunt Sancti puri omnis criminis; si quidem Jeremias in utero sanctificatus fuit, & Joannes dum adhuc à gravida Matre gestaretur, exultavit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis*: Ambrosius lib. 2. in Lucam: *In Joanne priùs fuit Spiritus gratiæ, quàm vitæ*: August. Epist. 57. modò 187. supra citata: *Joannes nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio: quod utique nisi operatione Spiritus Sancti fieri potuisse, quis credat?* Idem (ne nimius sim) sentiunt Gregorius Magnus lib. 3. Moral. cap. 5., Petrus Damiani serm. 1. de Joanne Baptista, & alii.

XVII. Advertit tamen S. Thomas 3. p. q. 27. art. 6., exceptis Joanne, Hieremia, & B. Virgine, quæ utpotè electa in Matrem Dei ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quàm Joannes Baptista & Hieremias: *Non est credendum, aliquos alios sanctificatos esse in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit: quia hujusmodi privilegia gratiæ, quæ donantur aliquibus præter Legem communem, ordinantur ad utilitatem aliorum, secundùm il-*

lud

lud 1. *ad Cor.* 12.., Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem ,, *quæ nulla provenirent ex sanctificatione aliquorum , nisi Ecclesiæ innotesceret. Et quamvis judiciorum Dei non possit ratio assignari , quare scilicet huic & non alii hoc munus gratiæ conferat ; conveniens tamen videtur fuisse , utrumque dictorum sanctificari in utero ad præfigurandam sanctificationem per Christum faciendam. Primò quidem per ejus passionem, secundùm illud Hebr. ult.* ,, Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum , extra portam passus est ,, *Quam quidem passionem Hieremias & verbis & mysteriis apertissimè prænuntiavit , & suis passionibus expressissimè præfiguravit. Secundò per Baptismum , secundùm illud* 1. *ad Cor.* 6. ,, sed abluti estis,sed sanctificati estis,, *Ad quem quidem Baptismum Joannes suo Baptismo homines præparavit.* His tamen S. Thomas non negat , quòd si ex Actis Canonizationis constaret , aliquem fuisse sanctificatum in utero, & ut talem Fidelibus proponi , hoc pro certo esset tenendum , sed potiùs asserit , quia in tali casu *Ecclesiæ innotesceret* , & esset *in utilitatem aliorum* .

XVIII. Scrupulus oriri potest , an sanctificatio in utero sit & dici possit regeneratio & emundatio ab originali . Hic scrupulus nascitur ex S. Augustin. Epist. citata 57. seu 184. ad Dardanum dicente : *Sanctificatio , qua efficimur Templum Dei , nonnisi renatorum est* : Nemo autem renascitur , nisi priùs nascatur .

Sed omnem scrupulum tollit S.Thom. 3.p. q.27. ar.1. ad 2. dicens : *Quòd Augustinus loquitur secundùm Legem communem , secundùm quam per Sacramenta non regenerantur aliqui , nisi priùs nati . Sed Deus huic Legi Sacramentorum potentiam suam non alligavit , quin aliquibus ex speciali privilegio gratiam suam conferre possit , antequam nascantur ex utero .* Qui autem antequam nascatur gratiam habet , jam est à peccato originali mundatus , nec ampliùs iræ sed filius Dei , quia peccatum & gratia non stant simul. Nec propterea cum alia sit Nativitas *in utero* alia *ex utero*, nasci per Baptismum erit non secundó sed tertiò nasci ; Nam , ut docet S. Thomas in 3. dist. 3. q.2. art.1. , *Duæ istæ nativitates* (in utero & ex utero) *in uno conveniunt , secundùm quòd contra tertiam dividuntur ; utraque enim illarum carnalis est , hæc verò spiritualis* .

XIX. Duo tamen examinanda supersunt : Unum , an Joannes , cum exultavit in utero , usum rationis habuerit : alterum , an rationis usus in eo usque ad ortum continuaverit . Dubitasse visus est S.Augustinus in Epist.57. ad Dardanum,modò 187., ubi ait: *In Evangelio non dicitur: credidit infans in utero, sed exultavit: videmus autem exultationem non solùm parvulorum , sed etiam pe-*

pecorum esse, cui S. Thomas 3.p. q.27. art.6. adhærere videtur. Sed si quis Augustinum attentè observet, inveniet, eum ibi voluisse solùm ostendere; exultationem in utero, quia etiam in pecoribus esse potest, naturali illatione & Lege communi non arguere rationis usum in exultante; non autem negare, quòd, si exultatio, *sicut solent miracula fieri, facta est divinitùs in infante, non humanitùs ab infante*, usum rationis demonstret in eo, qui exultat: imo illum in Joanne admittens, prosequitur: *Quamquam etsi usque adeò est in illo puero acceleratus usus rationis & voluntatis, ut intra viscera materna jam posset agnoscere credere, consentire (ad quod in aliis parvulis ætas expectatur ut possint) & hoc in miraculis habendum puto Divinæ potentiæ.* Quod verò hìc solùm hypothetìcè videtur asserere, absolutè asserit lib.2. de consensu Evangelistarum cap.15., ubi probans, Joannem Christum antea novisse, quàm columbam capiti ejus insidentem, dum baptizatus est, videret, ait: *Quia etiam in utero matris exultavit, cum ad Elisabeth Maria veniisset*: quæ certè futilis esset probatio, nisi exultationem ex rationis usu procedentem Augustinus agnovisset.

Ad S. Thomam dico, eum non negare, Joannem in utero usu rationis donatum fuisse, sed solùm velle, hoc naturaliter non sequi ex Gratia sanctificationis, & diversum & separabile donum Dei esse sanctificari in utero, & habere usum rationis in utero. Unde infert, quòd *quia expresè in Evangelio dicitur, quòd* „ Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ „ *& de Hieremia expresè dicitur*„ Antequam exires de vulva sanctificavit te„; *asserendum videtur, eos sanctificatos in utero, quamvis usum rationis non habuerint; de quo Augustinus* (Epist.cit. ad Dardanum) *quæstionem movet: sicut etiam pueri, qui sanctificantur per Baptismum, non statim habent usum liberi arbitrii.* Quibus statuit, Joannem & Hieremiam fuisse sanctificatos in utero (qui erat scopus illius articuli: sed ab eo, num etiam ibi habuerint usum liberi arbitrii, præscindit; solùm dicit, quòd etsi non habuerint, adhuc fuerunt sanctificati, quia unum potest sine alio esse, ut in pueris baptizatis.

XX. Ceterùm Joannem sanctificatum fuisse, & simul usu rationis donatum adhuc in utero positum, probabilis imo quasi certa sententia est. Angelus enim Lucæ 1. v.15. dixit Zachariæ *Spiritu Sancto replebitur adhuc ab utero Matris suæ*. Qualis autem fuisset Spiritus Sancti plenitudo, quæ sine animi & rationis motu fuisset? Rursùs v.44. dicitur *Exultavit in gaudio infans.* Absque autem rationis usu gaudium esse non potest. Eam pro-

pterea amplectuntur Patres ferè omnes, Origenes hom. 10. in Lucam, S. Irenæus lib. 3. adversùs Hæres. cap. 18., Chrysostomus hom. 2. de S. Joanne, S. Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 4. & serm. 63., S. Hieronymus Dialogo adversùs Luciferianos, S. Leo serm. 4 de Epiphania, S. Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 3., S. Gregorius Magnus lib. 7. Moral. c. 5., & alii; quorum aliqui datum Joanni jam tunc Spiritum Propheticum asserunt, inter quos Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. 1. *Prophetat*, inquit, *Matres spiritu parvulorum*: donum autem Prophetiæ, nisi jam ratione utenti concedi non potest.

XXI. Discordes tamen invenio Patres, & præcipuè Interpretes, in statuendo, an usus rationis concessus Joanni fuerit in eo continuatus usque ad ortum & ultra; an verò momentaneus & transitorius, scilicet an tantùm duraverit in occursu Mariæ Virginis, & eo solùm tempore, quo præ gaudio in utero exultavit. Prior tamen sententia mihi magis probatur, nimirùm usum rationis in Joanne continuasse usque ad ortum & deinceps: sic ut à momento, quo in utero positus fuit à Spiritu Sancto usu rationis donatus, in eo continuaverit; ita tamen ut non habuerit statim omnium intelligentiam, sed tantùm Mysteriorum gratiæ, quorum notitia ad Præcursoris officium pertineret, quamvis eorum intelligentiam externis actibus tunc non prodiderit. Non enim mihi ulla apparet ratio, cur Verbum Dei incarnatum, quod in primo sui occursu usum rationis cum ceteris donis Joanni in utero clauso impartivit, illum in sua trium mensium permanentia coram illo extinxerit, & non potiùs ad majorem profectum suâ præsentiâ perduxerit.

Propterea Origenes Homil. 9. in Lucam ait: *Si ex eo, quòd tantùm venit Maria ad Elisabeth, & salutavit eam, exultavit infans in gaudio, & Spiritu Sancto plena Elisabeth prophetavit, & in una hora tantos profectus habuit; nostræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Joannes profecerit, assistente Maria Elisabethæ. Valdè quippe indignum est, in puncto horæ atque momento exultasse infantem & quodammodo lasciviisse, repletamque esse Spiritu Sancto Elisabeth: per tres verò menses nec Joannem nec Elisabeth ex vicina Matris Domini & ipsius Salvatoris præsentia profeciisse.* S. Ambrosius etiam lib. 2. in Lucam: *Non sola*, inquit, *familiaritatis est causa, quòd apud Elisabetham Maria diu manserit, sed etiam tanti Vatis profectus. Nam si primò ingressâ tantus profectus extitit, ut ad Salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto Mater infantis; quantùm putamus, ex tanti temporis, Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam?*

XXII. Pro-

XXII. Profectum autem istum Joannis fuisse in cognitione & rationis usus continuatione, ostendunt præfati Patres ex eo, quòd Zachariæ parentis ipsius Canticum ab ipso recèns nato probè intellectum opinantur. Sic enim ait Origenes homil. 10. in Lucam: *Si dubitas, statim de utero Matris effusum probè verba patris audire, & scire quid sit hoc*,, Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis,, *considera, multò fuisse mirabilius, quòd præcessit*,, Ecce ut facta est vox Salutationis tuæ in aures meas, exultavit infans in gaudio in utero meo,,: *Si enim in ventre matris conclusus audivit Jesum, & audiens exilivit, atque lætatus est; quare non credas, eum jam genitum Prophetiam patris audire & intelligere potuisse dicentem ad se*,, Et tu puer Propheta excelsi vocaberis; antecedes enim coram Domino parare vias ejus,,?

S. item Ambrosius l. 2. in Luc., Zachariæ exponens Canticum, *Sed fortasse*, inquit, *aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putant, quòd Zacharias octo dierum alloquatur infantem. Verùm si advertamus, intelligemus profectò, quòd potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ Salutationem antequam nasceretur audivit. Sciebat profectò, alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei non corporis ætate referantur. Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Subscribit Theophylactus eundem Evangelii locum exponens his verbis: *Rarum videtur, quòd Zacharias ad puerum loquitur adhuc insensatum. Quomodo potuit loqui? Dicendum igitur, quòd sicut raram & admirabilem habuit nativitatem puer, qui exultavit & prophetavit in utero ad adventum Mariæ; sic non est mirum, si etiam ea, quæ à patre dicebantur, intellexit.* His postremis verbis confirmat Theophylactus secundam partem nostri asserti, nempè quòd Joannes habuit & nondum natus & natus intelligentiam, si non omnium, eorum saltem quæ ad ipsum suumque officium Præcursoris pertinebant.

XXIII. Nec in Joannem tantùm Dominicæ præsentiæ prodigiosi derivarunt fructus, sed & in Matrem Elisabeth, ac suo modo in Zachariam patrem. In matrem quidem, nam referente Luca cap. 1. v. 41. &c., *repleta est Spiritu Sancto Mater: & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?... & Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Quibus Mysterium, quod Maria gestabat in utero, necnon quod olim vaticinati fuerant Prophetæ, in ejus conceptu impletum, Spiritu Sancto sibi tunc revelante, se dididicisse manifestavit. Hæc cum audisset Maria, quæ hactenùs virginali modestia texerat animi sui gaudia, Spiri-

tu Sancto & ipsa correpta, quo jam dudum plena erat, gratulabundum ac cœlestis Sapientiæ plenum, quo & Divinæ bonitatis supra ipsam effusio, & ipsius humilitas referatur, Canticum pronuntiavit *Magnificat anima mea Dominum* &c. In hoc mutuo Matrum prophetico colloquio hoc singulare observant Patres, utramque spiritu Parvuli fuisse loquutam: & sicut ex plenitudine Christi Maria Mater accepit, non Christus ex Matre; sic ex plenitudine Joannis Elisabetham Matrem spiritum traxisse, non Joannem ex Matre. Ita egregiè Ambrosius lib. 2. in Lucam: *Vocem prior Elisabeth audivit; sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audivit; iste exultavit ratione Mysterii: illa Mariæ, iste Domini sensit adventum. Istæ gratiam loquuntur, illi intùs operantur, pietatisque Mysterium maternis adoriuntur profectibus; dupliciqne miraculo prophetant Matres spiritu parvulorum. Exultavit infans, & repleta mater est. Non priùs mater repleta, quàm filius, sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit & matrem.* Aliter tamen Christus, aliter Joannes replevit Matrem, Christus à nullo alio repletus, sed à se plenus; Joannes autem à Christo repletus de plenitudine sua effudit in Matrem.

XXIV. Zachariam autem Joannis patrem non omni Prophetico Spiritu vacuum fuisse, censerem. Et quidem natô & circumcisô Joanne filiô, Zachariam Prophetico Spiritu imbutum fuisse, refert Lucas cap. 1. v. 67. his verbis: *Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto, & prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemtionem plebis suæ* &c. Sed etiam ante, quamvis nullo externo signo hoc expresserit. Nam estò in pœnam suæ incredulitatis Angelo ei nuntianti, Joannis se fore patrem, & uxorem Elisabeth etsi sterilem vetulam concepturam, factus mutus & simul surdus sit, Lucæ 1. v. 20. *Eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fient, pro eo quod non credidisti verbis meis*: & v. 22. *Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus*; surdus etiam, quia Joanne jam nato non nisi per nutus poterat percipere; unde v. 62. *Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum*: nihilominùs in tanta plenitudine gratiarum, quæ in adventu Mariæ super Filium, & Matrem, ut dictum est, fuit effusa, solus Zacharias pater jejunus non videtur mansisse; quin potiùs trimestri Mariæ commoratione apud uxorem suam, quam etsi nec alloqui nec audire, videre tamen poterat; videndo etiam, verba Angeli fuisse impleta; credibile est, eum incredulitatis prioris pœnitentem, fidem concepisse, seque idoneum reddidisse, ut My-

Mysteriorum, quæ domi suæ gerebantur, & ipse Divino Sancti Spiritus lumine particeps fieret. Sed de Zacharia aliqua dicamus.

§. III.

De Zacharia Joannis patre quis fuerit & quæ ejus mors.

XXV. QUis fuerit Zacharias Joannis Baptistæ pater, ostendit nobis S. Lucas cap. 1. v. 5. *Fuit in diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.* Ex quibus habemus, Zachariam fuisse unum de Sacerdotibus Templi, & de vice Abia: ut enim refertur 1. Paralip. cap. 24. ex familiis sacerdotalibus Eleazar, & Ithamar, vices seu classes viginti quatuor fuerunt sorte à David designatæ, inter quas octava fuit Classis Abia, de qua erat Zacharias: & secundùm has vices seu Classes tenebantur Sacerdotes juxta ordinem vicis suæ Templo interesse, & in eo ministrare: unde ibidem v. 19. enumeratis præfatis 24. sortibus, subjungitur: *Hæ vices eorum secundùm ministeria sua, ut ingrediantur Domum Domini, & juxta Ritum suum sub manu Aaron patris eorum, sicut præceperat Dominus Deus Israel.* Tunc ergo cum Angelus ei nuntiavit conceptum Joannis ab uxore sua Elisabeth, Zacharias secundùm ordinem vicis suæ Sacerdotio fungebatur; ait enim Lucas cap. 1. v. 8. *Factum est autem, cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem Sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini: & omnis multitudo Populi erat orans foris horâ incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris Altaris incensi.* Hæc Lucas: qui subinde narrat, ei Angelum dixisse *Uxor tua pariet tibi filium*; quod cum Zacharias non crederet, dicens *Unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis*, Angelum in pœnam ei dixisse, *eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fient.* Quòd ita evenisse testatur Lucas v. 21. dicens: *Et erat plebs expectans Zachariam; & mirabantur, quòd tardaret ipse in Templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos..... & ipse erat innuens illis, & permansit mutus. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.* Ita Evangelista.

XXVI. Ex his patet, Zachariam fuisse quidem unum è Sacerdotibus, sed non Summum Sacerdotem, aut Principem Sacer-

cerdotum; licèt hoc aliqui ex Veteribus, inter quos citantur Ambrosius in Lucam, & Chrysostomus, opinati sint; & Pseudo-Evangelium Jacobi apertè asserat. Nam ex Luca apparet, Zachariam fuisse ex numero Sacerdotum, qui secundùm ordinem vicis suæ Templo ministrabant; hi autem erant plures, cum Summus Sacerdos esset unus, & propterea in eo locum non habebant vices. Imo in Catalogo Summorum Pontificum Hebræorum nullus legitur Zacharias. Nec dicant, Zachariam patrem Joannis, ut ex Luca diximus *posuisse incensum*; incensum autem ponere non licuisse nisi Summo Sacerdoti, ut observat Augustinus in Joann. Nam debuissent advertere, quòd duplex erat incensum, seu *thimiama*: unum in Sancto Sanctorum a solo Summo Sacerdote semel in anno offerendum, de quo Paulus Hebr. 9. v. 7. alterum quotidie bis adolendum à Sacerdotibus Exod. 30. v. 8. in Altari thimiamatis extra Sanctum Sanctorum constituto; ut etiam liquet ex Josepho lib. 6. de Bello Judaico cap. 6. Et in hoc ponebat incensum Zacharias: unde Lucas non dicit, quòd incensum poneret, ingressus in *Sanctum Sanctorum*, sed in *Templum Domini*, nimirùm in ea parte, quam non intrabat Populus, sed solus Sacerdos, unde Lucas dicit, quòd Populus *foris stabat ipsum expectans*. Admissò tamen, quòd tunc temporis plures essent Summi Sacerdotes, qui per vices administrarent, dari potest, Zachariam unum ex illis fuisse, ut sentit S. Augustin. tract. 49. in Joan. de quo infra cap. 16. §. 1. Rejiciendum propterea est, quòd in dicto Pseudo-Evangelio supponitur, nempe quòd iste Zacharias fuerit Princeps Sacerdotum, qui Mariam Josephi desponsavit, cum super hoc Deum consuluisset, de quo supra dixi cap. 4. §. 1.

XXVII. Qualis fuerit Zachariæ mors, causa & genus mortis, incertum est. Variè propterea de hoc etiam Veteres locuti sunt. Quidam existimantes ad hunc Zachariam respexisse Christum Matth. 23. v. 35., ubi comminatus super Jerusalem venturum sanguinem Prophetarum, quos occiderunt, ait: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & Altare*: volunt, Zachariam Joannis patrem fuisse occisum inter Templum & Altare: & moventur; tum quia Zacharias, quem Christus dicit fuisse occisum inter Templum & Altare, dicitur filius Barachiæ; Zacharias autem pater Joannis Barachiæ filius dicitur à S. Hippolyto martyre: tum quia Christus omnem sanguinem justorum, qui ab initio mundi usque ad sua tempora effusus fuerat, super Jerusalem im-

imprecatur: ergo sicut à sanguine Abel primi justi occisi incipit, ita in sanguine Zachariæ ultimi, ac recèns occisi justi desinit: hic autem alius esse non poterat, quàm Zacharias Joannis pater.

XXVIII. Hanc opinionem confirmant primò, quia Tertullianus in Scorpiaco c. 8. ait: *Zacharias intra Altare & Ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adfignans*. Eum autem non loqui de Zacharia filio Jojadæ, argumento est; tum quia iste non fuit trucidatus, sed lapidibus obrutus, ut habetur 2. Paralip. cap. 24. v. 21.; tum quia sanguis hujus non poterat perenniter silicibus adhærere, maximè cum postea desolatio Templi secuta sit. Secundò, quia Valentinianus Imperator, referente Theodoreto lib. 4. Hist. cap. 3., scripsit Epistolam ad Episcopos Asiæ, in qua apertè asserit, Zachariam occisum inter Templum & Altare fuisse Joannis parentem: & sanguinem, qui videbatur, ejus sanguinem esse; hoc enim ejus verba indicare videntur, nempè: *Ne in ea, quæ Testamenti Christi sunt, damna incurratis, id quod in Zachariæ sanguine eveniebat, nam funesti illi, perindè ac pestifer Dæmon qui cædis illius socius erat, mortis supplicio traditi, adveniente cœlitus Rege nostro Jesu Christo, disrupti perierunt*. Ubi loquitur de iis, qui tempore Christi ob Zachariæ effusum sanguinem perierunt; & proindè non de sanguine Zachariæ à Joas Rege interfecti, qui multo tempore longè præcessit, sed Zachariæ patris Joannis, qui Christi tempore occisus fuerit.

Tertiò Gnostici, qui, estò Hæretici, temporibus tamen Apostolorum fuere proximiores, constanter asserebant (idem quoque Ebionitæ) Zachariæ patrem Joannis occisum fuisse inter Templum & Altare, quod & refert (ut infra dicam) Jacobi Proto-Evangelium. Unde saltem hanc fuisse antiquam Traditionem comprobatur. Cui consentit etiam Josephus lib. 5. de Bello Judaico cap. 1. memorans, Zachariam in medio Templo à factione Zelotum interfectum esse. Imo Baronius ipse ad ann. Christi 1. n. 55. testatur, se in Bibliotheca Vaticana vidisse Antiquum Codicem, cui titulus *De peregrinatione ad Loca Sancta*, in quo affirmabantur sanguinis maculæ, quibus asperfi erant lapides Templi, sanguinem fuisse Zachariæ patris Joannis, quem Herodes occidi fecerat inter Templum & Altare.

XXIX. A quo autem, & qua de causa Zacharias fuerit occisus, non conveniunt hujus opinionis patroni. Voluerunt quidam, fuisse occisum, quia Messiæ adventum in Christo Jesu prædicaret. Ita refert Hieronymus in cap. 23. Matthæi: *Alii*, in-

inquit, *Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quòd propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicaverit adventum*: subdit tamen: *Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur*.

XXX. Alii occisum fuisse volunt hac causa: Cùm Maria purgationis officium impletura ad Templum accessisset, nec vellet unâ cum mulieribus virum passis in Templo precari, sed altero in loco virginibus ad orationem destinato; factum est, ut Judæi de hoc scandalum passi eam loco pellere tentarint. Verùm cum Zacharias Joannis parens, qui tunc pro vice sua Sacerdotis officio fungebatur, Mysterii conscius, illius partes suscepisset, atque Mariam ibi manere, & ibi precari jussisset; propterea à Judæis livore ac invidiâ accensis inter Templum & Altare fuerit occisus. Hoc referunt Origenes tract. 26. in Matth., S. Gregorius Nyssenus Orat. de Christi Nativit., S. Basilius de humana Christi generatione, & alii. Qui tamen eam narrationem suffragio non probant, sed tanquam in ore Vulgi positam referunt, cui nec ipsi fidem adjungunt, nec ab aliis adjungi volunt. Unde Origenes, qui primus popularis Traditionis nomine eam narrat, *Venit ad nos*, inquit, *quædam Traditio* &c. eâque recitatâ subjungit: *Sunt tamen qui ejusmodi Traditioni non credunt*: nec eos improbat.

Et meritò. Primò, nam cùm Lucas, qui cap. 2. fusè describit mirabilia, quæ occasione adventus Mariæ in Templum titulo purgationis acciderunt (nimirùm susceptionem pueri Jesu à Simeone inter brachia, & super eum prophetante; & insuper Annam prophetissam de eo magna prænuntiantem) nec de tumultu in Populo excitato, & minùs de Zachariæ occisione ibi secuta verbum ullum faciat, neque indicium præbeat, dicendum est cum Hieronymo: *Hoc quia de Scripturis nullam habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur*. Secundò, quis absque gravi modestiæ & humilitatis Mariæ injuria potest vel cogitare, quòd ambierit in Templo locum, quem sciebat sibi secundùm Legem non competere? Quæ, inquam, etsi sciret, se Matrem quidem sed Virginem, quia sine corruptione peperit, & ideò purgatione non indigere, maluit tamen se se Legi purgationis subjicere; quomodo fingi potest elata ambiisse Virginis locum? An non hoc fuisset sibimet contradicere, si eodem tempore, quo purgationis titulo volebat celare Mysterium, quod noverat nondum esse propalandum, se Virginem adhuc esse ostentando illud publicum facere tentasset? Idem de Zacharia di-

dicendum est. Noverat ille Divino afflatu Virginalis partus Mysterium, ut concedo; sed noverat etiam, tunc non esse manifestandum, & ne innotesceret, Purgationis officium tunc impleri.

XXXI. Alii tandem voluerunt, Herodis imperio, eò quòd Joannem filium, quem impius ille Rex quærebat ad necem, prodere noluerit, Zachariam fuisse occisum. Qui hanc opinionem tuentur, ducem se habere profitentur S. Petrum Alexandrinum Patriarcham, qui in Regulis Ecclesiasticis, quas Sexta Synodus Generalis probavit, hæc scribit: *Cum quibus* (ideſt cum occisis infantibus) *Herodes & alium priùs natum infantem cum interfecturus quæsisset, & non invenisset, patrem ejus Zachariam interfecit inter Templum & Altare, cum effugisset filius cum matre Elisabeth.* Petrum Alexandrinum secutus Nicephorus lib. 1. Hist. Eccles. c. 8. idem sentit, addens, *Joannem Zachariæ filium unâ cum matre Elisabetha in spelunca quadam ad regionem montanam fuisse servatum, & ibi Herodis sanguinariam manum effugisse.*

XXXII. Verùm ne fidem, saltem certam, Petro & Nicephoro præstem; ac ne credam, hæc à Synodo VI. Generali fuisse positivè approbata; detinet me, quód uterque ex cœnosa lacuna ista expiscatus sit, nempè, ex Pseudo-Evangelio Jacobi, cujus narrationem pro mei Lectoris curiositate hìc transcribere placet. Dicit ergo „ Elisabeth autem audiens, quòd filius suus Joannes „ requireretur, conscendit in montana, & circumspectabat, „ ubi eum absconderet, & non erat locus absconsionis. & ge„ mens Elisabeth voce magna dixit: O mons Dei recipe ma„ trem cum filio; nec enim poterat ascendere Elisabeth; Et re„ pentè divisus est mons, & illam recepit. Illuxit autem illis „ lux; Angelus enim Domini erat cum illis, custodiens illos. Ecce primum miraculum, seu veriùs fabellam (quòd scilicèt divisus sit mons, ut in sinu suo Elisabeth & Joannem ab Herode custodiret) similem alteri, quam de Isaia Propheta, teste Postello, confinxerunt Rabbini, nimirùm quòd cum Rex impius Manasses eum ad supplicium quæreret, quasi blasphemasset dicendo, se vidisse Deum facie ad faciem, rogavit Isaias Dominum, ut illi proxima aperiretur Cedrus, in qua delitesceret. Cumque hoc evenisset, nec ampliùs Propheta appareret, jussisse Regem medium Cedri truncum secari, atque sic unâ latentem Isaiam simul fuisse serrâ dissectum.

Pergit Pseudo Evangelium sic „ Herodes autem quærebat „ Joannem; & misit ministros ad Zachariam patrem ejus assi-

„ ſtentem Altari, dicens; ubi abſcondiſti filium tuum? Ipſe au-
„ tem reſpondit, dicens: Ego ſum Sacerdos miniſtrans Deo, &
„ aſſiſto Templo Domini; non novi, ubi eſt filius meus; & abie-
„ re Miniſtri, & renuntiarunt omnia Herodi. Et iratus dixit:
„ filius ejus eſt regnaturus ſuper Iſrael. Et miſit rursùs ad Za-
„ chariam dicens: dic verum nobis: ubi eſt filius tuus? An ne-
„ ſcis, quòd ſanguis tuus ſub manu mea eſt? Et ivere Miniſtri,
„ & denuntiarunt talia Zachariæ; dixit autem: Teſtis eſt Deus,
„ quòd neſcio, ubi eſt filius meus. Tu, ſi vis, funde ſangui-
„ nem meum; ſpiritum enim Deus recipiet, quia ſanguinem
„ innocentem fundis. In Templi Dei & Altaris veſtibulis, cir-
„ ca interſeptum Zacharias eſt occiſus. Nec ſciebant filii Iſrael,
„ quando occiſus eſſet.

„ Et abierunt Sacerdotes ad horam Salutationis: & ſecun-
„ dùm conſuetudinem non obviavit illis Zachariæ benedictio
„ ..... Tardante autem illo timebant intrare. Unus autem eo-
„ rum audens intravit in Sanctum, ubi erat Altare, & vidit
„ Sanguinem concretum. Et ecce vox edicens: Zacharias oc-
„ ciſus eſt, neque ſanguis ejus abolebitur, donec venerit ultor.
„ Quo audito timuit, & egreſſus renuntiavit Sacerdotibus, quia
„ Zacharias eſt occiſus. Et audientes audenteſque ingreſſi ſunt,
„ & viderunt factum, & laquearia ululantia... Corpus autem
„ ejus non eſt inventum, ſed ſanguis ejus in Templi veſtibulis
„ factus erat inſtar lapidis. Et tremefacti exierunt & annuntia-
„ verunt Populo, quòd Zacharias eſſet occiſus; & audierunt
„ omnes Tribus Populi, & luxerunt eum, & planxerunt tres
„ dies & tres noctes.

Hæc de nece Zachariæ narrat Pſeudo-Evangeliſta, tria referens prodigia, nempè vocem auditam; laquearia Templi ululantia; corpus ejus non inventum, ſed ejus ſanguinem concretum quaſi lapidem. Ex hoc fonte biberunt quotquot ſcripſerunt Zachariam ab Herode occiſum, & ſanguinem illius concretum lapidibus Templi adhuc adhærentem, ut Petrus Alexandrinus, Nicephorus, aliique; ut meritò inter ſomnia ac deliramenta nedum à Hieronymo, ſed à quopiam veritatis ſtudioſo recenſenda ſint. Et quidem mirum, & ſanè mirum, quòd Matthæus, qui cap. 2. narrat furorem Herodis in pueros innocentes Bethlehemiticos propter Jeſum, quem volebat occidere, aut quiſpiam alius Evangeliſta, vel Scriptor Sacer, de Joanne quæſito ad necem, & de Zacharia patre occiſo, nec verbum protulerint.

Imo ex Matthæo oppoſitum colligitur. Nam cum dicto cap. 2. v. 16. dicat, quòd *Herodes videns, quoniam illuſus eſſet*

à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à furore Herodis excludit Joannem, & consequenter Zachariam patrem, qui nec in Bethlehem, aut finibus ejus permanentem domum habebant, sed in Montana Civitate Hebron, ut diximus: nec Joannem quæsierant Magi, sed unicè Jesum in Bethlehem natum, quem ex Stella didicerant futurum Regem, ex quo in Herode ira accensa fuit. Nec dicas, in Herode suspicionem contra Joannem excitari potuisse ex admirandis, quæ in ejus nativitate contigerunt, & quæ ad ejus notitiam facilè pervenerunt; respondebo enim, hìc non discuti, an potuerit excitari in Herode suspicio de Joanne, sed an revera fuerit excitata, quòd pernego, cum nullum adsit fundamentum hoc dicendi, nisi ex apocryphis, ut dictum est.

XXXIII. Zachariam ergo, quem dicit Christus fuisse occisum inter Templum & Altare, dicendum est cum S. Hieronymo in cap. 23. Matthæi, fuisse illum, de quo 2. Paralipom. narratur cap. 24. v. 21., quòd jussu Joas Regis Juda fuerit interfectus, & ad hunc Christum respexisse. Nam iste fuit obrutus lapidibus, & occisus in atrio Templi, quòd idem est ac inter Templum & Altare: & dici etiam poterat, quòd sanguis ejus sicut sanguis Abel contra occisores clamaret; nam ibi de ipso v. 22. dicitur: *Qui cum moreretur, ait, videat Dominus, & requirat.* Neque opus erat, ut de sanguine recèns effuso loqueretur Christus, sed potiùs de sanguine illorum, quem ex libris suis noverant Judæi, & maximè Scribæ & Pharisæi, esse super eos venturum, & ab eis esse requirendum. Supereſt solùm scrupulus, quòd Zacharias, de quo loquitur Christus dicitur *Filius Barachiæ*, ille autem, de quo in 2. Paralip. dicitur *Filius Jojadæ* v. 22. *Et non est recordatus Joas Rex misericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius secum, sed interfecit filium ejus.* Sed, præterquam quòd S. Lucas c. 11. v. 51. istum, de quo loquitur, simpliciter vocat *Zachariam*, ait enim: *A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter Altare & Ædem*, scrupulum tollit S. Hieronymus in cap. 23. Matth. dicens, in Evangelio Matthæi, quo usi sunt Nazaræi, pro filio Barachiæ *Filium Jojadæ* se reperisse scriptum: addens, quòd *Barachias lingua nostra Benedictus Dominus dicitur, & Sacerdotis Jojadæ Justitia Hebræo nomine demonstratur.* Cum quo stat, quòd Zacharias, de quo loquitur Christus, sit verè filius Jojadæ, etsi propter justitiam, qua claruit, eum quasi per metaphoram appellet *Barachiam*. Et in hoc sensu Jojada vocatur à S. Hippolyto Martyre, si tamen verus Hippolytus est,

qui hoc dicit, cum varia sub S. Hippolyti nomine scripta circumferantur, quæ supposititia sunt. Aliam expositionem supra indicavi tom. 3. loquens de Prophetis Minoribus cap. 20. §. 2. in Zacharia n. 19.

XXXIV. Ad testimonia, quæ adducuntur primò ex Tertulliano, dico, eum non designare, de quo Zacharia loquatur. Nec enim ex quo dicat, sanguinem ejus adhuc adhærere lapidibus, colligitur, esse sanguinem justi recèns effusum, cum potuerit, Deo sic disponente in vindictam Judæorum, adhuc per secula ibi adhærens conservari. Quòd si quis velit, eum loqui de sanguine Zachariæ patris Joannis, non verebor dicere, eum locutum fuisse ex sententia apocryphorum, quæ tunc temporis circumferebatur; idque non asserendo, sed recitando solùm dixisse. Idem ad secundum dicam de Valentiniano: quamvis etiam salvari possit, eum de Zacharia filio Jojadæ, cujus sanguis licèt multò ante effusus, sicut & aliorum Prophetarum, adhuc tempore Christi in occisores Judæos operabatur vindictam.

Quod tertiò de Gnosticis affertur, nullius auctoritatis pondus habet: multis enim fabulis sectam suam replebant, & apocryphis Traditionibus, inter quas recensenda est ista quoque de Zachariæ patris Joannis occisione. Imo sicut testibus Baronio & Epiphanio hæres. 26. errarunt in assignanda causa necis Zachariæ, ita in asserenda ejusdem nece fuisse deceptos probabilius censendum est.

Quod verò affertur ex Josepho, ad rem non est. Nam Zacharias, de quo ipse meminit, alius fuit ab eis, de quibus hìc locuti sumus. Is enim fuit temporibus Vespasiani interemtus, homo quidem illustris, probus ac dives, qui Josepho teste filius fuit Baruch, de quo Baronius ad ann. Christi 1. n. 56. De Manuscripto tandem Codice, quem Baronius dicit, se in Bibliotheca Vaticana vidisse, nihil aliud dicam, nisi quòd dicit Hieronymus in cap. 23. Matth. *Simpliciores fratres inter ruinas Templi, & Altare, sive in Portarum exitibus, quæ silvam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Judæorum, & Fidei pietate descendit.* Imo Joannes Fabritius in Notis ad Proto Evangelium Jacobi cap. 24. sequentia subjungit: *Sed & Judæos ipsos, notat Postellus in Talmude tractatu Rittim, affirmare, Zachariæ sanguinem (priscum autem illum filium Jojadæ intelligunt) qui in ipsa occisione ad instar lapidis, sublato divinitùs corpore obduruerit, vehementer incitari, fervere & bullire cœpisse, cum Titus caperet Hierosolymam: auditamque vocem Manium Zachariæ clamantium: Litate, milites, litate Za-*

Zachariæ Manibus, perfidiâ Populi Principumque innocenter interemti, litate, inquam, & sanguinem meum sanguine illorum compascite: litate, donec ipse vobis dicam: sufficit, & meum sanguinem quiescentem videritis. Hinc factum esse, ut quidquid Sacerdotalis, Principalis Judiciariique generis & Optimatum Hierosolymis esset, jugulatum fuerit super illum sanguinem, nec priùs desierit bullire, quàm dixerit Imperator, neminem superesse Optimatum, sed solum Populum, ac tunc demum sanguinem cessasse. Hæc Fabritius, qui addit, *quòd Vetus Scriptor Itinerarii, à Burdegalia Hierosolymam usque, fabulatur, sua adhuc ætate in Templo præter vestigia cruoris per totam aream, extitisse vestigia clavorum, quibus instructi erant calcei Militum, qui Zachariam occiderunt.* Similis, si fortè non idem, est Codex itinerarius, quem Baronius dicit se vidisse, quamvis in hoc etiam erret, sumens Zachariam Joannis patrem pro Zacharia Jojadæ filio.

Hinc, ne in incertis, fabulisve ampliùs fluctuemus, cum nec ex Scriptura nec ex Ecclesiæ certa Traditione appareat, quo mortis genere Zacharias pater Joannis obierit, concludam, vel eum placida morte quievisse, vel de ejus mortis genere nil certi statui posse.

§. IV.

De reditu B. Mariæ à domo Elisabeth ad domum propriam, & de Nativitate Joannis.

XXXV. MOram Beatæ Mariæ apud Elisabeth, ejusque reditum ad propriam domum hoc laconismo narrat Lucas cap. 1. v. 56. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reversa est in domum suam*: nimirùm ad suos Nazarenos lares; vel Josephò vel alia fideli Matronâ eam comitante, ut supra indicavi. Modò exurgit quæstio: an iste Mariæ discessus ab Elisabeth contigerit ante partum ejusdem, an post, itaut Elisabeth parienti adfuerit, deinde discesserit. Quæstio sanè implexa, de qua nec ex Scriptura neque ex Patrum Traditione quidquam certi statui potest. Habemus quidem ex Luca cap. 1. v. 26. & 36. sexto mense à Joannis conceptu Mariam iter ad Elisabeth assumsisse; sed an sextus mensis fuerit tunc completus, an solùm inchoatus, non habemus. Rursùs idem Lucas v. 56. dicit, quòd Maria mansit cum Elisabeth *quasi* mensibus tribus. Sed cum usu Scripturarum particula *quasi* non semper diminuat, sed aliquando augeat, vel saltem sit expressiva; certò nescimus,

an

an tribus integris menſibus, vel duobus tantùm & aliquot diebus apud illam manſerit: itaut ex illis ſex & iſtis tribus integros novem menſes conficere poſſimus: & inde ſtatuere, an partui Eliſabeth Maria adfuerit, nec ne. Quamquam, cum partus feminarum non ita ſit ad novem menſes à natura definitus, quin aliquæ citiùs, aliquæ ſeriùs pariant, neque ex hoc computo aliquid determinare poſſemus.

Patres quoque antiqui nil certi de hoc nobis reliquerunt. Etſi enim aliqui laudent Origenem, tanquam qui Mariam Eliſabethæ partui interfuiſſe ſcripſerit; nil tamen afferunt, ex quo in eam ſententiam trahi poſſit. Licèt etiam adducant Ambroſium, qui lib. 2. in Lucam obiter ait, *Tamdiù manſiſſe Mariam, quamdiù Eliſabeth pariendi tempus impleret*; non ſatis tamen eo loquendi modo explicat, an pariendi tempus intra Mariæ moram includat, an veriùs excludat. Ceteri autem mediæ & inferioris ætatis Scriptores diviſi ſunt; aliis Mariæ præſentiam partui Eliſabeth propugnantibus, Petrô Damiani ſerm. 1. & 2. de Joanne Baptiſta, Venerabili Bedâ in cap. 1. Lucæ, S. Bonaventurâ in Meditat. cap. 5. Aliis ex adverſo negantibus, Theophylactô, Euthymiô, Nicephorô lib. 1. Hiſt. c. 8.

XXXVI. His poſterioribus, ſi liceat, conſentio; tum quia videntur conformiùs loqui modo, quo rem narrat Lucas, qui poſtquam dixit v. 56., quòd Maria *reverſa eſt in domum ſuam*, ſubjungit v. 57. *Eliſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium*; quibus indicare videtur, quòd poſtquam Maria reverſa eſt in domum ſuam, impletum fuerit tempus pariendi Eliſabeth, & pepererit. Et licèt me non lateat, particulam *Et* vel *Autem* non ſemper importare, quòd res conſummata plenè fuerit, antequam id quod ſubjungitur initium habeat; regulariter tamen temporis ſucceſſionem importat: & ita intellexiſſe Lucam, nimirùm quòd poſtquam Maria reverſa eſt in domum ſuam, Eliſabeth peperit, conjicio non ſolùm ex naturali modo loquendi, ſed quia inferiùs, dum agitur de Joannis Nativitate & circumſtantiis ejus, nulla ampliùs Mariæ præſentiæ mentio fit, quod ſignum eſt, nec leve, Mariam illi partui non interfuiſſe: tum quia non conveniebat Virgini obſtetricandi officium, à pudore & verecundia prorsùs alienum; tum denique, quia Maria mox affluxuram turbam, quæ cognationis vel amicitiæ titulô ad Eliſabeth à partu decumbentem ventura erat, prudenter fugere ac declinare voluit; maximè ne uteri ejus intumeſcentia, aliis ignaris de Myſterio apparens, Virginem hominum dicteriis exponeret.

XXXVII.

XXXVII. Reversâ igitur in domum suam Mariâ, scribit S. Matthæus cap. 1. v. 18., quòd *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Non ab alio inventa est, inquit S. Hieronymus in dictum Caput, *quàm à Joseph, qui penè licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat*. At Joseph, Mysterii in Maria perfecti adhuc ignarus, scribit Matthæus, animo fluctuans, quid de ea faceret, *voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante; ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est..... Exurgens autem Joseph à somno, fecit, sicut præceperat ei Angelus Domini, & accepit Conjugem suam*. Hæc Matthæus verus Evangelista.

XXXVIII. Pseudo-Evangelista verò Jacobus multa de more addit deliria, imo & blasphemias. Dicit enim primò, quòd „ dum moraretur in domo Elisabeth, de die in diem venter ejus „ intumescebat, & timore perculsa Maria abiit in domum „ suam, & occultavit se à filiis Israel. Erat autem annorum „ sexdecim, quando hæc fiebant Mysteria.

Dicit secundò, quòd facto illi sexto mense, ecce venit „ Joseph à suis oicodomiis (ideft officiis fabrilibus) & intrans „ in domum suam vidit eam gravidam, & demissâ facie suâ „ projecit se ipsum in terram, & planxit vehementer dicens: „ Quanam facie intuebor Dominum meum? quid orabo pro hac „ puella, quam Virginem accepi ex Templo Domini Dei, & „ non custodivi? quis mihi imposuit? quis hoc mali fecit in „ domo mea, captivamque duxit à me, & vitiavit Virginem? &c. Et acceptâ Mariâ dixit illi: O quæ tantæ curæ Deo „ eras, cur hoc feci ti, & oblita es Domini Dei tui? Tu, quæ „ es educata in Sancto Sanctorum, quid dejecisti animam „ tuam? Quæ cibum de manu Angelorum capiebas, cur hoc „ fecisti? Ipsa autem flebat amarissimè dicens: Munda sum, & „ Virum non cognovi. Dixit autem illi Joseph: Et undenam „ est ergo, quòd in utero habes? & respondet Maria: Vivit Dominus Deus meus, quòd non scio, unde hoc mihi est „. Hæc de suo ementitus Jacobus, quæ examini subjicere placet.

Mitto quòd dicit, solùm *sexto mense* Mariam à Joseph deprehensam fuisse gravidam. Cum enim tertiò à conceptu mense domum suam à domo Elisabeth Maria repetierit, cur non statim, sed solùm post tres alios elapsos menses Joseph, qui tanquam vir cum ea domesticè vivebat, & confidentiâ maritali uxoris omnia nosse poterat, non statim, sed solùm post tres menses uterum ejus intumescere cognovit? At dices: Joseph eo tempore

absens

absens fuit, suis fabrilibus officiis distractus. Ego autem sic reponam: Sponsus verè amans, qui sciens, sponsam suam, post trimestrem à domo absentiam, rediisse, eam non invisit! Vigil Custos, qui juvenculam sibi traditam custodiendam solam domi per tres menses reliquit! Mitto etiam, quod dicit, Joseph Mariam increpasse, cum potiùs cum Hieronymo in cap. 1. Matth. dicere debuisset, *quòd Joseph sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat*, celarit *silentio*, *cujus Mysterium nesciebat*. Sed ferre non possum, quòd dicat, Mariam, à Joseph interrogatam, unde hoc in ea factum esset, respondisse flentem cum juramento: *Vivit Dominus Deus meus, quòd non scio, unde hoc mihi est*. An enim jurare cum veritate poterat, se nescire, unde hoc sibi esset, quæ ab Angelo edocta probè noverat, id quod in utero gerebat, operâ Spiritus Sancti conceptum, cui illa assensum præbuerat, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum*: quæ Mysterium ex ore Elisabeth audierat: quæ in suo Cantico *Magnificat* &c. proprio ore confessa fuerat? Vel ergo Maria dicens Josepho: *Non scio, unde hoc mihi est*, mentita cum perjurio fuit; vel, quód verum est, Pseudo-Jacobus mentitur.

XXXIX. At pejus est, quia blasphemum, quòd subjungit. Postquam enim retulit, quòd Joseph ab Angelo de eo, quòd in Maria factum fuerat, monitus acquievit, ac Deum glorificavit, de suo addit „ Venit autem Annas Scriba ad Joseph, & ait illi: „ Quare non adfuisti Synodo? & ait illi Joseph. Fessus eram de „ via, & quievi prima die: & conversus Scriba vidit Mariam „ gravidam, abiitque currens ad Sacerdotem, & ait illi: Joseph, cui testimonium præbes, vehementer peccavit. Aitque „ Sacerdos: quid hoc? & ait illi: Virginem, quam acceperat „ ex Templo Domini, fœdavit, & furatus est ejus nuptias, & „ non indicavit filiis Israel; & respondens Princeps Sacerdotum ait: Joseph hoc fecit? Et ait Annas Scriba: Mitte ministros, & invenient ipsam gravidam. Et abierunt Ministri, & „ invenerunt sicut dixit illis; & adduxerunt illam & Joseph in „ judicium. Et dixit Sacerdos: Maria, quid hoc feciſti? Et cur „ abjeciſti animam tuam, & oblita es Domini Dei tui, quæ es „ educata in Sancto Sanctorum, quæ ex Angeli manu cibum „ sumsisti, & audivisti Mysteria ipsius, & exultasti in conspectu „ ejus; quid hoc feciſti? Ipsa autem flebat amarè dicens: Vivit „ Dominus Deus meus, quia munda sum in conspectu Domini, „ & virum non cognosco. Et dixit Sacerdos ad Joseph: quid „ hoc feciſti? & dixit Joseph: Vivit Dominus Deus, & vivit „ Christus ejus, quia purus sum ab ipsa. Et dixit Sacerdos: ne di-

„ dicâs falsum testimonium, sed dicito verum: suffuratus es „ nuptias ejus, & non manifestasti filiis Israel, & non inclina„ sti caput tuum sub Omnipotenti manu, ut benediceretur se„ men tuum. Et Josephus tacuit.

XL. Sed hæc quàm fabulosa sint, imo indigna, nemo non videt. In primis deprehensio graviditatis Mariæ ab Anna Scriba, ejus accusatio ad Pontificem, adductio tanquam reæ unâ cum Joseph in judicium; aliaque Mariæ Virginitati indecora, nec non Providentiæ Dei indigna, quasi Matrem suam opprobriis exposuerit, apud quem probatum auctorem, nisi apud istum fabulosum calumniatorem leguntur? Matthæus dicto cap. 1. postquam dixit, quòd Joseph ab Angelo monitus de Mysterio, anxietate omni depositâ, *Accepit Mariam Conjugem suam*, nihil aliud interponens, statim subdit v. 25. *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum Primogenitum, & vocavit Nomen ejus Jesum*. Ceteri Evangelistæ, Veteres Scriptores nil de his dicunt. Fabula ergo est. Deinde dicit, quòd Annas Scriba increpavit Joseph, cur non adfuerit Synodo. Quid Josepho fabro cum Synodo? Quòd si quis velit, Annam increpasse Josephum, quia non se præsentavit Sacerdoti; dicam: unde hoc Josepho debitum? an quia Mariæ graviditatem ad Summum Sacerdotem non detulit? an non Maria ejus Sponsa & Uxor erat? Fortè hoc somniator negabit, & dicet, Mariam traditam fuisse Josepho, non tanquam ejus viro, sed ut mero ejus Custodi? Sed hoc supra tanquam contrarium Evangelio reprobavi. Fortè dicet, Pontificem adeò sollicitum fuisse de Maria, quòd ob summam illius temporis Messiæ expectationem, Lege cautum esset, ut quæcumque femina de Tribu Juda peperisset, aut ferret uterum, ad Principem Sacerdotum deferretur? Id Postellus refert; sed ex putrido fonte, quia ex Hebræorum Libris. Alia etiam hìc supponuntur, quæ commentitia ostendimus, nempe quòd Maria fuerit educata in Sancto Sanctorum, & quòd cibo de manu Angeli nutrita fuerit.

XLI. Pessimum tamen est, quòd Pseudo-Jacobus subjungit, nimirùm quòd non acquiescens Joseph dictis „ Rursùs dixit Sa„ cerdos: restitue Virginem, quam accepisti à Templo Domi„ ni: & perfundebatur lacrymis Joseph. Et dixit Sacerdos: po„ tabo vos aquâ redargutionis Domini, & manifestabitur pec„ catum vestrum in oculis vestris. Et acceptâ aquâ Sacerdos „ potavit Josephum, & misit eum ad Montana, & rediit sanus. „ Potavit & Mariam ipsam, & misit eam etiam ad Montana, „ & rediit incolumis: & miratus est totus Populus, quòd pec-

„ catum non sit manifestatum in illis. Et dixit Sacerdos: Deus
„ non manifestavit peccatum vestrum, nec ego judico vos; &
„ absolvit eos. Acceptâ itaque Mariâ, Joseph abiit in domum
„ suam gaudens & glorificans Deum Israel.

XLII. Quis cachinnis hæc, seu potiùs indignatione non audiat? Eò usque procedit ementitus iste Jacobus, ut non erubescat dicere, purissimam Virginem Dei Matrem, & castissimum ejus Sponsum, aquâ redargutionis potatos fuisse, qua solæ mulieres, suspectæ vel accusatæ de adulterio, probabantur, ut habetur Numer. 5. v. 18. & 26., ubi dicitur, quòd Sacerdos *potum det mulieri* (de adulterio accusatæ) *aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est, & contemto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur..... Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.* Ad hoc discrimen purissimam Dei Matrem adducit impostor iste, ut quasi suspecta de adulterio, aquam maledictionis bibere in suæ innocentiæ experimentum coacta sit: & hoc viro eam non denuntiante, ut Lex præscribebat, sed potiùs eam bibere vir ipsius etiam coactus sit, quæ insania! Addo, quòd hanc aquam bibere utrumque coactum fuisse, fingit, à Summo Sacerdote, quem fabulator dicit fuisse Zachariam Joannis parentem: & propterea in antecedentibus dixerat siluisse, seu factum mutum; & in subsequentibus narrat occisum ab Herode, quòd Joannem filium prodere noluisset, ut supra memoravimus. Cum autem hanc aquæ potationem ipse contigisse narret à sexto mense graviditatis Mariæ, & consequenter Joanne, qui post tertium mensem editus fuit, jam nato & circumciso, quo tempore Zachariæ à Spiritu Sancto ei revelatum fuit Mysterium, ut apparet ex Cantico, quòd Prophetico afflatu pronuntiavit; quis nisi insanus, vel sibi mendax, credere poterit, vel etiam cogitare, hunc eundem Zachariam, quasi Mysterii ignarum, & de Mariæ integritate dubitantem, experimentum aquæ redargutionis seu maledictionis ei ac Joseph præcepisse?

Insuper si hæc contigissent, & quidem publicè, ut ipse ait; quantum murmur, quanta opinionum divisio in Populo? Qui adfuissent experimento aquæ, videntes id; quod Maria gestabat in utero, nec Josephi viri nec alterius operâ fuisse conceptum, quàm sublimiter de Maria sensissent, quæ nullius viri opera, ac proinde adhuc Virgo gestaret in utero? Certè ejus partum Josepho ut patri non adjudicassent. Qui verò non adfuissent, & conscii quidem accusationis Mariæ, sed non (saltem plenè) de illius purgatione, quid cogitassent? Certè, ut vulgi indoles est, ali-

aliqua ad minùs suspicio de Mariæ conceptu & partu per ora Populi volitasset. Neutrum autem contigit. Omnes etiam ex Optimatibus Synagogæ Mariam uti ceteras feminas factam matrem certò credebant, & Joseph Jesu Patrem existimabant, ut Matth. 13. v. 55., Marci 6. v. 3., & Joannis 6. v. 42. *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus Patrem & Matrem?* Et quamquam Scribæ præsertim & Pharisæi omnia scrutarentur, ut Christo detraherent, maculam tamen natalium ei objicere nunquam ausi sunt. Abeat ergo cum suis deliramentis iste Pseudo-Jacobus, & soli Matthæo credatur, qui cap. 1. nil aliud de hoc dicit, quàm quòd Joseph videns Mariæ uterum intumescere, & sciens se cum ea maritaliter non convenisse, nolens eam traducere, voluit occultè dimittere eam; sed postea ab Angelo monitus, ne timere vellet, quia quòd in ea natum erat, de Spiritu Sancto erat; & in ea Isaiæ Oraculum *Ecce Virgo in utero habebit & pariet Filium* fuerat impletum; quo audito subdit, quòd Joseph accepit Conjugem suam: inde nulla alia narratione interjecta, concludit: *Et non cognoscebat eam, donec peperit* &c. Unde ergo Mariæ & Joseph ab Anna Scriba accusatio? unde Summi Sacerdotis increpatio, & utrique indicta aquæ redargutionis potatio? Ignoscas humanissime Lector, si te in hisce næniis dissipandis fortè plus æquo detinui.

XLIII. Circa ortum & circumcisionem Joannis Baptistæ pauca dicam, cum præcipua difficultas solita agitari, an scilicet ejus ortui Maria Virgo præsens adfuerit, superiùs expensa sit. Ortum ergo Joannis paucis perstringit Lucas cap. 1., ubi postquam dixit, quòd Maria post quasi trium mensium moram apud Elisabeth *reversa est in domum suam*, subjungit v. 57. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* Et quidem Partus iste, velut magna Dei misericordia, gratulatione dignus erat; tum propter ea, quæ de illo Zachariæ prænuntiaverat Angelus Gabriel, Lucæ 1. v. 13. dicens: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. Et erit gaudium tibi & exultatio & multi in Nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino ... & Spiritu Sancto replebitur ab utero Matris suæ. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; & ipse præcedet illum in spiritu, & virtute Eliæ* &c. Tum etiam quia à Deo illis concessus præter omnem spem, *eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis*, v. 7. adeò, ut ipse Za-

charias, hoc non credens possibile, respondit vers. 18. *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.* Quapropter in pœnam suæ incredulitatis dixit ei Angelus v. 20. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo hæc fient, pro eo quod non credidisti verbis meis.* Quod ita factum est magnâ demum misericordiâ, quæ movit Mariam jam Matrem Dei ad assumendum iter cum festinatione, ut salutaret Elisabeth, eique gratularetur.

XLIV. Nato igitur Joanne, prosequitur Lucas v. 59. *Factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam: & respondens Mater ejus dixit: nequaquam, sed vocabitur Joannes:* & cum obstarent dicentes: *Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine; innuerunt patri ejus* (per nutus, adhuc enim erat mutus) *quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit dicens: Joannes est Nomen ejus* (ita enim ei prænuntiaverat Angelus) *Et mirati sunt omnes. Apertum est autem illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia Montana Judeæ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo dicentes: quis putas puer iste erit?... Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto, & prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel* &c. Hæc sunt mirabilia, quæ in Nativitate & Circumcisione Joannis Lucas narrat, quibus nihil addendum existimo. Quæri posset de Loco, & à quo ejus Circumcisio facta sit: sed de hoc aliqua dicentur, cùm de Circumcisione Christi sermo erit.

CAPUT VII.

De Nativitatis Christi Modo & Loco.

§. I.

Modus: An clauso utero Matris.

I. A Joannis ortu transit Lucas cap. 2. v. 1. ad Christi Nativitatem describendam his verbis: *Exiit Edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam Civitatem. Ascendit autem & Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo & familia David,*

vid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Hæc Lucas.

II. Huic Evangelicæ veritati suas fabulas intermiscere non destitit Pseudo-Evangelista Jacobus, dicit enim „ Factum est autem Decretum ab Augusto Cæsare, ut describerentur omnes, „ qui erant in Bethlehem. Et dixit Joseph: ego describi curabo „ filios meos; de hac autem puella, quid faciam? quomodo illam inscribam? uxorem ipsam inscribam? Atqui uxor mea „ non est, ipsam enim in conservationem accepi ex Templo Domini. Nonne filiam? sed norunt omnes filii Israel, quòd non „ est mihi filia. quid de hac faciam?.... Et stravit Joseph asnam, Joseph autem & Simon sequebantur à millibus tribus „ Hìc tot fabulæ ferè quot verba. Scribit, Joseph habuisse filios, sed non filias, quorum utrumque falsum est. Nam ipsum non habuisse ex alia uxore filios, sed Virginem fuisse supra ostendi. Deinde, qui ei ex alia uxore filios tribuunt, tribuunt etiam filias, Mariam & Salomen. Deinde inducit Joseph negantem, Mariam sibi esse uxorem, cujus tamen contrarium scribit Lucas, & à nobis supra ostensum est.

III. Prosequitur fabulator „ Et conversus Joseph vidit eam „ Mariam in asina sedentem mœstam, & dixit in se ipso. Forsan, quod in ea est, ipsam contristat: & rursùs conversus Joseph vidit eam ridentem, & dixit illi: Maria, quid hoc rei tibi „ est, quòd faciem tuam video, modò hilarem, quandoque „ mœstam? Et dixit Maria Joseph, quoniam duos Populos video in oculis meis, unum quidem flentem & gemebundum, „ alium autem exultantem & ridentem. „ His verbis fortè respicere voluit ad id, quod dicitur Lucæ 2. v. 34., quòd Jesus ex ea nasciturus esset, ponendus in ruinam pariter & resurrectionem multorum in Israel. Sed cùm hujus Visionis Mariæ nullum testem afferat nisi se ipsum, inter fabulas est amandanda: sicut & id, quòd addit, quòd cùm essent in media via à Nazareth ad Bethlehem, dixerit Maria Joseph „ Depone me ab asina, quia „ quod in me est, me urget, ut progrediatur: & deposuit eam „ ab asina, & dixit illi: ubi te inducam? quia locus desertus „ est. Atque iterum dixit Maria ad Josephum: deducito me, „ valde enim, quòd in me est, me urget. Et statim illam deduxit, & inveniens ibi speluncam introduxit eam. „ Quibus asserit, Mariam non in Bethlehem, sed mediâ viâ Filium peperisse, de quo §. sequenti.

IV. Nunc ad Lucam revertamur, qui narrato itinere Joseph in Bethlehem cum Maria uxore prægnante, cap. 2. v. 6. statim sub-

subdit: *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, & peperit Filium suum Primogenitum, & pannis cum involvit, & reclinavit eum in Præsepio.* Hìc de Modo partus duo sunt examinanda. Primùm, an apertâ Matris vulvâ exierit. Secundùm, an sine Matris dolore.

V. Quoad primum, Christum nascendo vulvam Matris aperuisse, integris tamen omnino inviolatis ac obsignatis pudoris claustris, ita ut humani quidem partus lege fœtum emitteret, sed maneret Virgo, asserere visi sunt Hieronymus lib. contra Helvidium & lib. 2. contra Pelagianos, Hilarius lib. 2. de Trinit., Ambrosius lib. 2. de Instit. Virginis cap. 7. & 8., Augustinus serm. 14. de Nativit. & alii. Hos tamen non existimarim voluisse, in Christi ortu Virginis vulvam de facto fuisse apertam, sed egressui Corporis Christi, ita se exhibuisse perviam, ut etsi aditus ille nullo modo fuerit reseratus aut apertus, cùm tamen non obstiterit, quominùs prodiret in lucem, perinde fuerit ac si fuisset aperta. Unde S. Thomas 3. p. q. 28. art. 2. ad 1. *Illa*, inquit, *adapertio non significat reserationem communem claustri pudoris Virginei, sed solùm exitum prolis de utero Matris.*

VI. Statuto ergo, quòd utero Virginis nullatenùs aperto Christus natus sit, quo pacto inde exierit disputatur. Nec enim audiendi sunt, qui putarunt, momento temporis, quo Christus prodiit, aperta quidem fuisse pudoris claustra, sic tamen ut statim fuerint obserata, & eorum integritas fuerit à Christo omnino resarcita, quasi (ut ait Goffridus Vindovinensis serm. 4. de Nativ. Domini) *ad horam Virgo fuerit, & ad horam perdiderit Virginitatem*: non enim Deus efficere potuisset, ut quæ semel passa est integritatis dispendium, integra semper fuerit. Aliqui ergo putarunt, Christum ex Matris latere prodiisse. His fortè accensendi sunt illi, qui, ut supra, voluere Christum conceptum fuisse in corde Virginis, non in utero; concepto enim in corde facilius est ex latere prodire, quàm ex utero. Sed nec isti audiendi sunt; sic enim verum non esset, quòd Maria Christum peperisset, ideòque eos arguerent Chrysostomus hom. 49. in Genes., Gregorius Nazianz. Epist. ad Cledonium, Epiphanius Hæres. 69. & 77., & Damascenus lib. 4. de Fide c. 15.: unde S. Thomas 3. p. q. 28. art. 2. ad 2. ait: *Ita Christus voluit veritatem sui Corporis demonstrare, quòd etiam ejus Divinitas declararetur. Et ideò permisit mira humilibus: unde ut Corpus ejus verum ostenderetur, nascitur ex femina; sed ut ostenderetur ejus Divinitas, nascitur ex Virgine:* „ Talis *enim* partus decet Deum„, *ut Ambros. dicit in Hymno Nativitatis.* Minùs excipiendi sunt, qui ut salvent, Christum illæsis

Vir-

Virgineis clauſtris prodiiſſe, dixerunt, non circumſcriptivè & modo extenſo, fuiſſe in utero, ſed definitivo & inextenſo modo. Nam hoc poſito, Corpus Chriſti in utero Virginis nec foveri, nec nutriri, nec augeri, imo nulla ſigna graviditatis in Virgine Matre exhibere potuiſſet.

VII. Quare dicendum eſt, Chriſtum ex utero Matris prodiiſſe miraculoſa clauſtri Virginalis penetratione; quam virtute Divina poſſibilem eſſe Corpori adhuc extenſo, docent Philoſophi. Ita S. Thomas art. 2. citato ad 3. *Quidam*, inquit, *dixerunt, Chriſtum in ſua Nativitate dotem ſubtilitatis aſſumſiſſe; ſicut quando ambulavit ſiccis pedibus ſuper mare, dicunt, eum aſſumſiſſe dotem agilitatis. Sed hoc non convenit his, quæ ſupra determinata ſunt* (q. 14.) *Hujuſmodi enim dotes Corporis glorioſi proveniunt ex redundantia gloriæ animæ ad corpus.... Dictum eſt autem ſuprà* (q. 14. a. 1. ad 2.) *quòd Chriſtus ante paſſionem permittebat carni ſuæ agere, & pati quæ propria; nec fiebat talis redundantia gloriæ ab anima ad corpus. Et ideò dicendum, quòd omnia iſta facta ſunt miraculosè per virtutem Divinam. Unde Auguſtinus dicit ſuper Joan. Tract.* 121. „ Moli corporis, ubi Divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt; ille quippè non eis apertis intrare potuit, quo naſcente Virginitas Matris inviolata permanſit.

VIII. Non me latet, Calviniſtas & alios, ut omnem viam excludant doctrinæ Catholicæ de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, contendere, corporum penetrationem non eſſe poſſibilem: unde Henricus Bullingerus conſtanter negat, Chriſtum clauſo Mariæ utero natum eſſe, clauſo monumento reſurrexiſſe, & clauſis januis ad diſcipulos intraſſe; & ideò ad c. 20. Joannis dicit. „ Vel Angelum fores Chriſto aperuiſſe, ſicut in „ Actis Petro contigit, vel Chriſti potentiam inveniſſe modum „ ingrediendi non adverſum naturæ & ſubſtantiæ corporis „ ſui veri; ut non ſit opus comminiſci per miraculum, duo cor„ pora in eodem fuiſſe loco, aut Corpus Domini nullo circum„ ſcribi loco „ Cui ſubſcribit Theodorus Beza in Threophacia: uno verbo; omnes Heterodoxi.

IX. Nihil tamen hanc veritatem lædit, quòd eam non probent Heterodoxi, cùm eam Eccleſia Latina & Græca ſemper tuita ſit, velut efficax medium ad ſalvandam Mariæ in partu integritatem ac Virginitatem. Ambroſius eam deducit ex illis verbis Ezechielis 44. v. 2. *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam* &c. Unde lib. de Inſt. Virginis cap. 7. ait: *Porta igitur Maria, per quam Chriſtus intravit in hunc Mundum, quando Virginali fuſus eſt partu, & genitalia Virginitatis clauſtra non*

non solvit; mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine. Idem Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.. S. Gregorius Magnus homil. 26. in Evangel. probat, Christum januis clausis intrasse ad Apostolos, qui clauso utero exivit: *Sciendum*, inquit, *nobis est, quòd Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemtoris opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim Corpus Domini intravit ad Discipulos januis clausis, quod videlicèt ad humanos oculos per Nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. Quid ergo mirum, si januis clausis post Resurrectionem suam in æternum victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto utero Virginis exivit?* Eodem argumento, nimirùm ex ingressu januis clausis ad Discipulos, vel ex egressu à monumento clauso, probant ejusdem è clauso utero Virginis egressum Chrysostomus Homil. de Joan. Bapt., Hieronymus Epist. ad Pammachium, quæ est 50., Chrysologus serm. 84., Eucherius Homil. 2. de Nat. Dom.

Si fortè dixeris, Corpus Christi potuisse quidem januis clausis ad Discipulos intrare, quia tunc habebat Corpus gloriosum & impassibile; hæc autem ratio non valet, ut exierit ex utero clauso Matris, tunc enim habebat Corpus passibile & mortale. Non valet disparitas: nam mirabilia illa non faciebat Jesus, quia Corpus ejus esset corruptibile vel incorruptibile, sed quia Deus erat; Deus autem erat non minùs ante passionem & resurrectionem, quàm post: de quo S. Hildefonsus serm. de parturitione ac purificatione: *Fortè*, inquit, *dicturi sunt isti, quòd Corpus jam incorruptibile & immortale exilius esset ad penetrandum quò vellet, quàm esset priùs, antequam resurgeret. Nequaquam igitur dicito, quisque sanè sapis. Ex quo conceptus est homo, idem semper, qui antea Deus fuit: unde quando super undas æquoreas ambulavit ante passionem, non minùs homo, quàm Deus fuit. Quòd si ad naturam respicias rerum; aut corpus suo pondere vexit, aut undas suâ potentiâ, quo sustinere possent corporis pondus, solidiùs confirmavit.*

X. Eadem veritas recitata & probata fuit in Concilio Ephesino tum à Theodoro Ancyrano in sermone ibi habito, & est 3.p. Concilii cap. 9., ejusque verba profert S. Thomas 3.p. q. 28. art. 2. in lib.: tum à Proclo Episcopo Cyziceno homil. de Christi Nativ. his verbis: *Quòd si illa* (Maria) *in partu & post partum Vir-*

Virginitatem illæsam retinuit, is citra omnem controversiam arcanò modò ex ea ortus est, quem, cùm per clausas januas ingressus esset, Apostolus Thomas in gemina natura subsistentem agnovit. Et in fine ait: *Naturæ portas reseravit Emmanuel ut homo; sed Virginitatis claustra non violavit, neque prærupit ut Deus: ita enim ex utero est egressus, sicut per aurem ingressus; ita natus sicut conceptus; quæ impatibiliter fuerat illapsus, ineffabiliter est elapsus.* Hinc aliqui Patres sentiunt, hoc modo pariendi duplicatam & ampliatam Mariæ fuisse Virginitatem. Augustinus (vel quisquis alius sit Auctor serm. 10. de tempore) *Audiat*, inquit, *omnis ætas, quod nunquam audivit: Virgo partu suo nupsit, Virginitatem, dum pareret, duplicavit.* Fulgentius Orat. de Laud. Virginis: *Crevit in ejus partu integritas corporis potiùs, quàm decrevit, & Virginitas ampliata est potiùs, quàm fugata*: & Chrysologus serm. 142. *In tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata, solidata Virginitas.* Hoc autem non esset, si integritatem corporis, quam habuit cùm concepit, non servasset illæsam cùm peperit.

XI. A communi Patrum concentu resiliisse visus est Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 24. dicens: *Et Virgo quantùm à viro, non Virgo quantùm à partu*: & ibid. num. 75. *Et quid ultra de hoc retractandum est? eum hac ratione Apostolus non ex Virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiavit, agnovit adapertæ vulvæ nuptialem passionem.*

Sed Tertullianus movere non debet: & quia solus contra omnes Patres; & quia in hac re suspectæ fidei est. Sicut enim errori favit, quòd B. Virgo alios habuerit filios, de quo supra; ita improbabile non est, eum huic alteri adhæsisse, ex Paulo malè intellecto, quòd in ejus partu adaperta sit vulva.

XII. Ratramnus etiam Corbejensis Monachus nono Ecclesiæ seculo Libellum edidit de *Nativitate Christi*, qui extat tomo 1. Spicilegii Dacheriani, in quo contendit, Corpus Christi *per naturæ januam, per solemnem parturitionis viam ex utero Sacratissimæ Virginis Mariæ prodiisse, vulvamque aperuisse, non ut clausam corrumperet, sed ut eam suæ Nativitati ostium aperiret: non quo violaret integritatem, sed quo ventris palatium vacuaret.* Hanc tamen Ratramni singularem sententiam statim impugnavit Paschasius Radbertus ejusdem Cœnobii Corbejensis Monachus, & qui eodem seculo nono florebat, in Libello, quem inscripsit *De Partu Virginis*. In hoc ostendit, Ratramnum sibimet contradicere: nam si, ut ipse dicebat, Christus aperuit uterum; quomodo per clausum exivit? Si nascendo vulvam Matris aperuit; quomodo Matris integritas sarta tecta permansit?

§. II.

An sine dolore Matris & Sordibus &c.

XIII. MIrabilis alter modus, qui in Christi Nativitate contigit, fuit, quòd sine dolore Matris natus sit: *Conceptus enim Christi*, inquit Bernardus serm. 4. in Vigilia Nativ., *fuit sine pudore, partus sine dolore*. Hæc ratio communiter à Patribus assignatur, Augustino serm. 14. de Nativitate, Gregorio Nysseno Orat. 1. de Resurrectione & homil. 13. in Cantica, Damasceno lib. 2. de Fide cap. 15. Deinde, quia ex dictis in partu Virginis nulla fuit apertio membrorum genitalium, nulla uteri reseratio, nulla virginalis sigilli effractio. Vinculi etiam seu nervi umbilicaris, quo fœtus in Matris utero adhærebat, dissectio, à Deo suaviter & absque Matris sensu piè creditur effecta: unde S. Thomas 3. p. q. 35. art. 6. *Dolor*, inquit, *parientis causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Dictum est autem supra, quòd Christus est egressus ex clauso utero Matris: & sic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuit. Et propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio, sed fuit ibi maxima jucunditas ex hoc quòd homo Deus est natus in Mundum, secundùm illud Isaiæ 35.* „Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans„.

XIV. Hoc idem repetit S. Thomas ibi ad primum, ubi ostendens, quare cum dolor in partu sit pœna peccati primorum parentum Gen. 3. *In dolore paries*, sicut etiam mors; Christus mortem subire voluit, non autem cum dolore Matris nasci, ait: *Dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem: unde Gen. 3. postquam dictum est*, in dolore paries, *subditur*, & sub viri potestate eris: *Sed sicut dicit Augustinus* (vel alius sub ejus nomine) *in serm. de Assumtione*„. Ab hac sententia excipitur Virgo Mater Dei, quæ quia sine peccati colluvione, & sine virilis admixtionis detrimento, Christum suscepit; sine dolore genuit; & sine integritatis violatione, pudore Virginitatis integro permansit„ *Christus autem mortem suscepit spontaneâ voluntate, ut pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate illius sententiæ, quia ipse mortis debitor non erat*.

XV. Ex dictis observandum, quòd Virgo Deipara non tantùm sine dolore, sed etiam cum lætitia ac leniter Christum peperit, ut ex cap. 35. Isaiæ prolato à S. Thoma superiùs apparet, & antea docuerat S. Augustinus serm. 18. de Sanctis, & Zeno

Ve-

Veronensis serm. 2. de Nativit. Sicut autem ut servetur proprietas partus, dicit Damascenus lib. 4. de Fide cap. 15., quòd per eam partem Christus egressus est, per quam ceteri partus egredi consueverunt, eâ tamen integrâ & intactâ permanente: unde Epiphanius lib. 3. contra Hæres. *In Virginis*, inquit, *utero revera genitus, ac per genitales Matris in lucem editus sine ulla turpitudine fœditate vel labe;* Ita consentaneum est dicere, B. Virginem, & per actionem, & impulsum quendam, fœtum emisisse, quò pertinet illud Ecclesiæ *Enixa est puerpera;* seclusâ tamen violentiâ & labore, cum nulla fuerit apertio vel relaxatio uteri. Quapropter de Virgine Deipara malè mererentur, qui ut puerperam in lecto decumbentem, & mulieres ei tanquam infirmæ assistentes pingerent, cùm potiùs pingenda sit hilaris, Christum natum suscipiens, pannis eum involvens, & in Præsepi reclinans, ut Lucas narrat.

XVI. Resistere visus est Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 20., ubi illud Psalm. 21. recolens *Tu es, qui extraxisti me de ventre*, violentam fuisse Christo evulsionem, & proinde non sine dolore videtur inferre his verbis: *Quid avellitur, nisi quod inhæret, quod infixum innexum est ei, à quo ut auferatur avellitur? Si non adæsit utero, quomodo avulsus est? Si adhæsit, qui avulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex utero est, per illum nervum umbilicarem, quasi folliculi sui traducem, adnexus origini vulvæ?* Sed in his verbis nihil violentiæ reperio. Corpus Christi, quia de Mariæ sanguinibus in utero formatum, utero adhærere debebat, nec poterat ex utero prodire, quin ab utero avelleretur, sed quòd hæc evulsio cum violentia & dolore fuerit, & non suaviter potiùs, Tertullianus non dicit. Agebat enim ibi contra errorem Valentini, cui demonstrare volebat, Christi Corpus esse ejusdem naturæ de Mariæ substantia conceptum, ejusque utero adhærens; non autem esse Corpus allatum de cœlo, & solùm per Mariæ uterum transiens, sicut aqua transit per canalem nil de canali accipiens.

XVII. Hac positâ veritate, quòd Deipara absque dolore & angustia peperit Christum, statim apparet, nulla ibi obstetrice opus fuisse, quæ parienti solita ministeria præstaret. Quod Lucas cap. 2. v. 7. clarè expressit dum ait: *Et peperit Filium suum Primogenitum, & pannis eum involvit & reclinavit eum in Præsepio.* Ita sentiunt Gregorius Nyssenus Orat. 1. de Resurrectione, Fulgentius de Laudibus Mariæ, Bernardus serm. 4. de Nativ.: & S. Thomas 3. p. q. 35. art. 6. ad 3. cum sibi objecisset, in libro de Ortu Salvatoris narrari, ad Nativitatem Christi occurrisse obste-

trices, respondet: *Lucæ 2. dicitur, quòd B. Virgo ipsum Puerum, quem pepererat, pannis involvit & posuit in Præsepio. Et ex hoc ostenditur narratio illius libri, qui est apocryphus, esse falsa, unde Hieronymus dicit contrà Helvidium* „ nulla ibi obstetrix, nulla mulierculârum sedulitas interceſſit; & mater & obstetrix fuit. Pannis, inquit, involvit infantem, & posuit in Præsepio: quæ sententia apocryphorum deliramenta convincit.

XVIII. Multa tamen sæpè rejectus fabulator Pseudo-Jacobus hìc mentitur: Dicit, quòd Joseph Mariam, quæ partu urgebatur, introduxit in spelunçam, ibique cum ea relicto Simone filio, exiit ad quærendam obstetricem. Interea dum ambularet Joseph vidit cœlum stantem, aerem obstupefactum, & volatilia cœli in medio cursu cessantia; & aspiciens in terram, scapham cibariam positam vidit, & operatores recumbentes, mandentes non mandebant, & qui manus attollebant ad caput, nil capiebant, & qui offerebant ori suo nil afferebant, sed omnium facies erant intentæ sursum. Et ecce oves erant dispersæ, nec progrediebantur, sed stabant. Et elevans pastor manum, ut percuteret eas cum virga, manus ejus stabat sursum; & aspiciens in torrentem fluminis vidit ora hircorum imminentia quidem aquæ, sed non potantia, sed omnia sub momento ab ipso cursu erant impulsa „ Hæc mirabilis omnium creaturarum Universi suspensio, quam in ortu Salvatoris Joseph vidit, cum à nullo referatur, ex mente præfati fabulatoris prodiisse credenda est. Deinde subdit, quòd Joseph invenit obstetricem, eamque invitans ad spelunçam dixit ei, quòd illa, quæ pariebat, conceperat de Spiritu Sancto, quòd admirata obstetrix, stetit in conspectu spelunçæ „ Et ecce nubes „ lucida obumbravit spelunçam... Repentè autem fuit nubes „ in spelunca & lux magna, ita ut oculi nostri non ferrent: paulatim verò lux se se subduxit, quousque visus est infans, & „ accipiebat ubera ab ipsius Matre Maria „ Admirata autem obstetrix exiit è spelunca, & obviavit illi Salome, cui narravit, quæ viderat, nempè quòd Virgo manens Virgo peperisset Filium; quòd ista nolens credere, accessit ad Mariam, & tactu explorare voluit, an ita esset, quòd cum fecisset, statim manus quasi igne ardens cecidit. Cujus temeritatis cùm eam pœnituisset, „ dicit, quòd Angelus Domini astitit & dixit Salome, offer manum tuam puero, & gesta illum; erit enim tibi salus & gaudium. Et accessit Salome, & gestavit eum. Et gestatò puerò repentè sanata est Salome, & exiit obstetrix è spelunca justificata. Et vox ad eam dicens: ne annunties quæ vidisti magna,

„ gna, donec ingrediatur puer in Jerusalem „ Hanc autem Salome aliqui fingunt Mariæ sororem, Cleophæ filiam, uxorem Zebedæi, matrem Jacobi Majoris, & Joannis Evangelistæ. Sophronius tamen Hierosolym. Salome hanc uxorem Zebedæi facit filiam non Cleophæ, sed Josephi, susceptam à priore uxore sua Salome filia Augæi, Zachariæ, qui Joannis Baptistæ pater fuit, fratris. Hæc mirabilia, si verè accidissent, dolendum sanè esset, quòd mulieres istæ, quando puer Jesus ductus est in Hierusalem, non propalaverint, & justè possemus conqueri de Evangelistis, & de Luca maximè, qui de Christi ortu nil dixit aliud, quàm quòd Maria illum peperit, pannis involvit, & reclinavit, & sollicitus solùm de pastoribus, narrat Angelorum multitudinem canentium *Gloria in excelsis Deo* eis annuntiasse Nativitatem Jesu, eosque invitasse, ut pergerent ad eum videndum; qui cum ad speluncam accessissent, dicit cap. 2. v. 16. quòd *invenerunt Mariam & Joseph & Infantem positum in Præsepio*, & nihil aliud. Et rursùs cum ibidem v. 22. narrat, quæ contigerunt, cùm puer Jesus portatus fuit in Hierusalem, describit quidem Simeonem & Annam super illum prophetantes; sed de obstetrice & Salome narrantibus ea, quæ ipsis in ejus ortu acciderant, nec verbum tunc facit, nec postea ullus alius probatæ Fidei Auctor; unde supereſt, ea, quæ de obstetricibus narrantur, nugas esse & fabulas.

XIX. Rejiciendi magis seu veriùs irridendi sunt quidam, nescio, an magis audaces, an imperiti, quos meritò carpit Baronius in Notis ad diem 25. Decembris Martyrologii, qui dictitabant, S. Anastasiam Virginem fuisse illam, quæ officio obstetricis in partu B. Virginis functa fuit, & hac de causa factum putabant, ut ad Missam in Aurora sacri diei Natalitii, S. Anastasiæ memoriam Ecclesia celebret: Hos igitur meritò carpit, aut potiùs ridet Baronius. Quî enim fieri potuit, ut S. Anastasia, quæ tertio cadente Ecclesiæ seculo Martyrium sub Diocletiano passa est, in partu Mariæ obstetricis officium obire potuerit? Ecclesia autem in die 25. Decembris, in quam incidit dies Natalis Domini, recolit in Missa ad Auroram memoriam S. Anastasiæ, quia hæc Virgo eadem die sub Diocletiano Martyrium passa est. Unde in Ecclesia huic Virgini sacra Romæ eâdem die 25. Decembris Statio quotannis peragitur.

XX. Quamquam exclusis à partu Virginis obstetricibus videatur inferri, ejus puerperium mundum fuisse à sordibus fœcibus aliisque impuritatibus, quibus fœdatus partus exire solet, & ad quas emundandas obstetrices vocari solent. Nihilominùs ali-

aliqui, etiam recentiores, non adeò exploratum hoc saltem de pellibus, quas secundinas vocant, aliisque sordibus, quæ vi Nativitatis, tum ex parte prolis, tum ex parte Matris contingunt, existimant. Hoc tamen non obstante magis conveniens Virginei ac purissimi partus decori ac pudori existimo dicere, quòd sicut Corpus Christi uterô Virginali clausô, & sine Matris dolore exivit, ita & mundum ab omnibus sordibus, secundinis pellibus, aliisque, quæ corpora nascentium ex utero secum trahunt. Colligo primò, nam si Corpori Christi ex utero prodeunti adhæsissent secundinæ pelles, ac externæ illæ sordes, quæ ad consuetam nascentis hominis conditionem pertinent (cum ex dictis nulla esset obstetrix vel mulier, quæ id posset peragere) debuisset Maria ipsa ipsum NatiFlii Corpus statim abluere, & ab istis sordibus purgare, antequam ipsum pannis involveret: & tamen Lucas Evangelista cap. 2. v. 7. dicit, quòd Maria *Peperit Filium suum Primogenitum;* deinde de ablutione nec verbulum faciens: *Et pannis eum involvit, & reclinavit eum in Præsepio*. Secundò S. Augustinus in Orat. de 5. Hæresibus, Epiphanius hæres. 69., Leo Magnus serm. 2. de Nativit., Zeno Veronensis serm. 2., Hildefonsus lib. de perpetua Mariæ Virginit., Bernardus serm. 3. de Purific., & alii, nascentis Christi corpusculum ab externis sordibus communi nascentium hominum Lege adhærentibus, liberum faciunt & immune: & non minùs à parente Virgine, quàm à Christo nascente fœces ac sordes longè ablegant. Scio, aliquos Patres visos esse aliter sensisse; sed si attentè considerentur, non loquuntur de secundinis aut aliis sordibus, quas nascentes pueri ex utero matris trahunt, sed de aliis humani corporis infirmitatibus, quas Verbum assumere, & totâ vitâ pati, ut ceteri homines patiuntur, dedignatum non est; quæ sordes vocantur, comparatè ad Verbum Divinum in se, respectu cujus quidquid corporeum in homine est, immunditia dici potest. Unde de utero Virginali Mariæ quamvis puro dicit ad verbum Ecclesia *Non horruisti Virginis uterum*.

XXI. Sed dices: si Verbum Divinum alias corporis immunditias assumere dignatum est, ac eas tum ab intrinsecis humanæ naturæ corruptibilis provenientes ab ortu usque ad mortem, tum ab extrinseca vi illatas, ut verbera, crucem, mortem ferre: cur eas respuit sordes, quas nascentium lege ceteri homines ex utero trahunt? Addo, quòd sicut illæ ad veritatem humanæ naturæ spectabant, ita istæ ad veritatem Nativitatis ex utero Matris.

XXII. Respondeo, Verbum in sua Nativitate ea omnia assum-

sumsisse, quæ ad veritatem humanæ naturæ comprobandam necessaria erant, non verò ea, in quibus periclitari poterat Matris Virginis pudor: ut enim ait Ambrosius lib. 2. in Lucam *Maluit Dominus, aliquos de suo ortu, quàm de Matris pudore dubitare: sciebat enim, teneram esse Virginis verecundiam; nec putavit ortus sui fidem Matris injuriis astruendam.* Hæc autem affluentis sanguinis ac secundinarum, quibus pueri Jesu nascentis corpusculum fuisset involutum, eluvies non parùm læsisset pudorem Virgineum. Quid igitur mirum, si Christus noluerit hoc pacto nasci, quamvis alias humani corporis sordes & dejectiones voluerit toto vitæ decursu suæ pati?

Neque sicut ad veritatem humanæ naturæ expediebat istas pati, ita ad veritatem Nativitatis asserendam conveniebat illis sordibus inquinatum nasci. Nam ut docet S. Thomas 3. p. q. 3. art. 3. ad 2., ex Damasceno lib. 3. Fidei cap. 7. *Nativitas temporalis, qua Christus est natus propter nostram salutem, est quodammodo secundùm nos, quoniam natus est homo ex muliere, & tempore conceptionis debito: super nos autem, quoniam non ex semine, sed ex Spiritu Sancto, & Sancta Virgine supra legem conceptionis.* Sic igitur ad veritatem Nativitatis Dei hominis pertinebat, ut Corpus ejus de substantia Matris in utero conciperetur, formaretur, ibique foveretur, per novem menses gestaretur, & tempore debito ex utero egrederetur: & hoc quod pertinebat ad Matrem naturale fuit: sed quoad id, quod ex parte operationis Spiritus Sancti erat, ut quód Corpus illud sine viri semine conciperetur, quòd clauso utero, & sine dolore Matris egrederetut, & quòd quæ ipsum pariebat, Virgo esset, totum supra Legem communem fuit, nec veritatem Nativitatis ejus læsit: unde concludit Sanctus Thomas citatus: *Sic igitur ex parte Matris Nativitas illa fuit naturalis: sed ex parte operationis Spiritus Sancti fuit miraculosa. Unde Beata Virgo est vera & naturalis Mater Christi.* Stat ergo etiam, quòd vera & naturalis sit Christi Nativitas, & Virgo vera ejus Mater, quamvis Corpus ejus cum sordibus, aliis nascentibus communibus, ex ejus utero non prodierit.

XXIII. Sed opponunt. Miracula temerè, nec sine probatis testibus ac fundamento asseri non debent.

Concedam; & probatum testem assero Lucam, qui, ut supra, de partu Virginis loquens solùm dicit: *peperit*: deinde nullo interjectô: *& pannis eum involvit.* Testatur ergo, nullam in eo partu fuisse à sordibus ablutionem. Fundamentum idem, quod ipsis contrariis est, asserendi, Corpus Christi natum fuisse clausô uterô, & sine Matris dolore, nobis adest, ut dicamus ad ple-

plenè illæsam tuendam Matris Virginis munditiem, illum natum fuisse mundum à sordibus, quas ex matris utero alii nascentes trahunt. Neque hoc dicendo novum miraculum fingimus, sed miraculum consequens primum, & cetera consequentia asserimus. Nam sicut ex prima Spiritus Sancti miraculosa operatione factum fuit, ut sine virili semine Maria manens Virgo Christum in utero conciperet, ac per novem menses gestaret; & ex hac secutum est, quòd illud uterô clausô & sine dolore pareret, ita nos dicimus ad plenam Virginei partus integritatem, secutum fuisse, ut illud pareret, illis fœcibus ac sordibus, quibus cetera nascuntur corpora, non involutum. Et hoc fuisse operationis Spiritus Sancti in hoc Virgineo partu ultimum complementum asserimus, sequentes Augustini monitum lib. 29. contra Faustum cap. 3. & 4., & lib. de quinque Hæresibus cap. 5. *Unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre?*

§. III.

De Loco Nativitatis.

XXIV. LOci nomine, in quo Christus natus est, venit primò Civitas: deinde Domus, in qua Virgo Mater eum peperit: tertiò Præsepe, in quo eundem natum reclinavit; cui additur quæsito, an ad illud Præsepe jumenta quieverint. De his suo ordine agemus.

Civitatem, in qua natus est Jesus, fuisse Bethlehem Evangelistæ narrant, Matthæus cap. 2. v. 1. *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda*, & Lucas cap. 2. v. 4. rem ita describit: *Ascendit autem & Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem... Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, & peperit* (Maria) *Filium suum Primogenitum*. Hac prærogativa donandam esse Civitatem Bethlehem, prædixerat Michæas cap. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*. Quod Oraculum in Jesu ibi nato impletum fuisse, ex ore ipsorum Scribarum, licèt aliquantùm mutatis verbis, refert Matthæus cap. 2. v. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Israel*. Et hoc speciali Dei Providentiâ dispositum fuit, nimirùm ut indiceretur ab Imperatore Augusto totius Orbis descriptio, ut Maria Edicto Imperatoris pa-

parere volens, è Nazareth in Bethlehem, adverso licèt sidere, licèt prægnans veniret, ut ad Bethlehem accedens partus urgeret, & in Bethlehem Virgo Christum enitetur, quem domi, seu Nazareth, parere constituerat.

XXV. Circa secundum, Jesum natum fuisse non intra Civitatem Bethlehem, nec in aliqua domo, sed in spelunca sita in suburbio Bethlehem, quæ erat diversorio conjuncta, & saxo excavata, quæ ad bruta animantia recipienda fuerat destinata, Traditio est, cujus testes sunt Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, Origenes lib. 1. contra Celsum, Hieronymus Epist. 18., Damascenus lib. 4. de Fide cap. 15. Eam autem in agro suburbano fuisse sitam, scribit Irenæus loco supra citato, Eusebius lib. 7. de Demonstrat. Evangelica c. 2. dicens, *Agrum juxta Bethlehemum demonstrari, ubi Virgo enixa infantem deposuit*, Burchardus in descript. Terræ Sanctæ p. 1. *Eam ponit juxta muros Civitatis*. Hoc ipsum suadet ipsa etiam historia Evangelica. Primò, quia Pastores, qui, ut scribitur c. 2., moniti ab Angelo de Christi ortu ad eum invisendum transierunt, *Custodiebant vigilias noctis super gregem suum*, seu, ut habet Textus græcus, *Erant in agro stabulantes*, hoc est sub dio cum grege cubantes; si autem intra Civitatem fuisset spelunca, seu locus, in quo natus erat Christus, hi Pastores, qui festinanter accurrisse dicuntur, vix ac ne vix quidem noctu ad speluncam accedere potuissent: cùm urbs Bethlehem muris tunc cincta portis custodiretur; nec natum Infantem, etiamsi intrassent, de facili invenissent, si intra Urbem natus esset. Erat ergo locus extra, sed propè Bethlehem, à quo parum distabat Regio, in qua Pastores excubabant: unde dicebant Lucæ 2. v. 15. *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est*. Secundò, idipsum suadet mandatum Herodis, qui ne Jesus, quem perdere volebat, evaderet, jussit occidi omnes pueros, non solùm qui nati essent in Bethlehem, sed etiam *in omnibus finibus ejus*, ut dicit Matth. cap. 2. v. 16. Quibus fit, ut nomine Bethlehem veniat non sola Urbs, sed & suburbium, & conjunctus ager, imo omnes fines ejus.

XXVI. Fuisse autem illam speluncam, seu antrum, ac recipiendis animalibus brutis destinatam, nec non diversorio conjunctam, ex Evangelio longè certius est. Nam dicit Lucas c. 2. v. 7., quòd Virgo Mater statim natum Infantem *reclinavit in Præsepio, quia non erat eis locus in diversorio*: nimirùm, cum præ multitudine hospitum, qui illuc convenerant, ut se describendos curarent, Maria & Joseph in diversorio locum non invenissent, receperunt se in stabulum conjunctum, in quo erat Præsepe,

pe, & ea nocte Maria peperit Jesum, & cùm ubi eum reclinaret commodum non haberet, eum in Præsepio reclinavit. Hinc Ecclesiæ Patres Augustinus serm. 2. de Epiphania, Zeno Veronensis serm. 3. de Nativit., aliique Veteres dicunt, Christum *in stabulo natum*. Hoc stabulum fuisse antrum saxo, seu terræ excavatum Hieronymus (quo nemo melior testis) Epist. 17. asserit, vocans illud parvum terræ foramen, sicut & Eusebius lib. 3. de Vita Constantini eum appellat *Antrum*, & Beda lib. de Locis Sanctis cap. 8., *Semiantrum*: idque ex ipsa natura soli; Strabo quippe, aliique Geographi observant, totam illam regionem petrosam esse, multasque in illo tractu fuisse domos saxis incavatas, seu receptacula, in quæ, seu Religionis seu necessitatis causâ, homines se absconderent.

Præsepium, in quo B. Virgo natum Jesum reclinavit, fuisse *excisum in rupe* seu saxo, scribit Burchardus p. 1. descript. Terræ Sanctæ cap. 7. *Lateritium*, seu ex luto coctili confectum, censet Chrysostomus serm. ad cap. 2. Lucæ, quamvis sermo ille dubius S. Chrysostomi fœtus sit. Neque huic obstat, quòd Romæ apud S. Mariam Majorem exponatur venerationi Fidelium Præsepe Domini, quod tamen est ligneum. Nam utrumque bene conciliari posse dicit P. Serry Exercit. 30. distinguendo inter cavitatem, intra quam continebatur Præsepe; & hæc erat, vel saxo excisa vel lateritia: & inter Præsepe ipsum in ea contentum pro majori custodia; & hoc fuisse ligneum, illudque esse; quod Romæ asservatur. Utrumque Præsepis nomine donari non incongruè potest.

XXVII. Habemus ergo, Jesum natum fuisse in spelunca, quæ usui stabuli inserviebat, & proinde in ea erat Præsepe. Nunc exurgit quæstio, an ea nocte, qua natus est Jesus in eo stabulo, & ad illud Præsepe aliqua animantia bruta accubaverint. Communis Traditio est, tunc in ea fuisse Bovem & Asinum, quòd fideles omnes semper crediderunt, ideòque in picturis etiam antiquissimis, ubi exprimitur Natalis Christi, visuntur Bos & Asinus, seu Asina, ad Præsepe accubantes. Sunt tamen qui totum hoc meram fabulam putent, quæ originem habuerit ab Auctore Poematis de *Passione Domini*, Lactantio perperam tributi, quam Pictores pro solita sua licentia imitati ampliarunt, & velut certam traditionem ad posteros traduxere. Unde mirantur, quòd hoc figmentum in Eruditorum Libris, & in Annalibus Cardinalis Baronii locum invenerit.

XXVIII. Mirari tamen mihi magis contingit, quòd Antiquam Ecclesiæ Traditionem communi fidelium sensu receptam,

ipsi

ipsi tanquam fabellam rejiciant, cum particularem suum sensum debeat potiùs quisque (si Catholicus sit) communi Ecclesiæ, omniumque Fidelium sensui (ut ex Vincentio Lirinensi fusè alibi ostendi) accommodare & subjicere. Cum maximè alios suæ sententiæ patronos, sensui communi Ecclesiæ & Fidelium adversantes adducere non possint, nisi Erasmum in Notis ad Hymnum Prudentii de Natali Christi, Casaubonum Exercit. 2. ad primum annùm Christi, Montacutium in lib. de Vita Christi pag. 28. & 29., & Samuelem Basnagium tom. 1. Annal. Politico-Ecclesiasticorum cap. 112. qui omnes, quamvis sub specioso Criticorum nomine, veri Novatores sunt. Cum ergo Ecclesiæ Traditio constans sit, Præsepio, in quo reclinatus fuit Jesus, Bovem & Asinum fuisse alligatos, hoc sine dubitatione à Fidelibus tenendum est.

XXIX. Hoc explicans Cornelius à lapide in c. 2. Lucæ v. 6. „ dicit, quòd Christus collocatus fuit in Præsepio duabus de„ causis. Prior, quòd in tota spelunca non esset commodior, „ nec decentior Christo locus, quàm Præsepium, ut in ejus fœ„ no quasi in lecto recumberet tener Christus. Posterior, ut in „ rigore hyemis (erat enim finis Decembris) Christus halitu „ Bovis & Asini calesceret. Ad Præsepe enim hoc alligatum „ fuisse Bovem & Asinum, Traditio est, ficque est communis Fi„ delium sensus: & de iis Ecclesia intelligit illud Habacuc 3. „ v. 2. juxta Septuaginta: *In medio duorum animalium cognosce„ ris*: ac iisdem appropriat illud Isaiæ 1. v. 3. *Cognovit Bos possef„ sorem suum, & Asinus Præsepe Domini sui*: uti explicant ibi„ dem S. Hieronymus, Nazianzenus, Cyrillus, Paulinus, „ Prudentius, & alii apud Baronium „.

XXX. Dicunt tamen primò: Lucas cap. 2. accuratè describens imo & curiosè Christi Nativitatem, de Bove & Asino ibi existentibus nec verbum facit: Nec Angelus, qui Pastoribus signa dedit, ne in dignoscendo recèns nato Salvatore fallerentur, puerum in medio duorum animalium positum eis descripsit, quo insolito signo cùm faciliùs agnovissent.

Id concedo: at nunquid nisi quod scriptum est, est tenendum, quòd autem, etsi non scriptum, Traditione tamen acceptum reprobandum? Puto, Catholicus hoc non dicet. Nam nec scriptum legimus à Luca, quòd Maria peperit clausò uterò, & sine dolore: & tamen aliqui saltem ex adversariis hoc non negabunt; præter multa, quæ licèt non scripta, quia tamen in Ecclesia tradita, custodiuntur, & ipsi recipiunt. Cur ergo quia de Bove & Asino ad Præsepe Christi alligatis nihil apud Lucam

ſcriptum legunt, quamvis Traditione apud Eccleſiam cuſtoditum norint, ad nugas & fabulas amandare præſumunt? Deinde Lucas non dicit quidem, in antro, ubi natus fuit Chriſtus, fuiſſe animalia bruta, neque hoc ſignum Angelus Paſtoribus dedit, dicit tamen Lucas, ibi Præſepium fuiſſe v.7. *Reclinavit eum in Præſepio*, & v.12. ait Angelus Paſtoribus: *Et hoc vobis ſignum: invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in Præſepio*. Dicere autem in eo loco, ubi eſt Præſepe, fuiſſe etiam animantia bruta, & ſignatè Bovem & Aſinum, nugari erit? Nugari & fabulari quidem eſſet, ſi dicentibus Luca & Angelo, infantem natum reclinatum & poſitum in culcitra vel cunabulo, quis vellet fingere, ibi Bovem & Aſinum adfuiſſe; non tamen dum dicitur ibi fuiſſe Præſepe; nam ubi eſt Præſepe, naturalis conſequentia eſt, ibi adfuiſſe bruta. Et maximè noctis tempore, quo diverſorium hoſpitibus adeò plenum erat, ut Mariæ & Joſeph relictus non fuerit locus, maximè credibile eſt, animalia illa, quæ aliqui ex hoſpitibus ſecum adduxerant, fuiſſe ibi relicta. Sed quid in conjecturis detineor, cum Loca Scripturarum ſupra ex Cornelio à lapide prolata hoc nobis demonſtrent?

XXXI. Sed ad hoc Adverſarii ſecundò dicunt, Loca illa præpoſterè à nobis intellecta occaſionem huic fabellæ de Bove & Aſino dediſſe; ea enim aliter intellexerunt Patres. Primum ex Habacuc Hieronymus in ſuis ad Habacuc Comment., Auguſtinus lib.18. de Civit. Dei cap.32., Cyrillus Hieroſolym. Catech. 12., Chriſtum in medio duorum animalium cognitum intelligunt; vel in medio duorum latronum, dum in Cruce penderet; vel in medio duorum Seraphim, de quibus Iſaiæ c.6.; vel duorum Cherubim, quæ extremam Arcæ partem occupabant Exod.25. Nomine enim animantium Angelos nuncupare Patribus familiare eſt; vel in medio duorum Populorum Gentilis & Judaici; vel in medio duorum Teſtamentorum Veteris ſcilicet ac Novi.

Alterum ex Iſaia inductum à Propheta volunt, ut ſub nomine Bovis inter bruta tardiſſimi, & Aſini inter animantia ſtultiſſimi exprobraret Judæis ſuam in cognoſcendis beneficiis erga Deum tarditatem & ſtoliditatem, non autem Iſaiam reſpexiſſe ad Bovem & Aſinum ad Præſepe Chriſti naſcentis alligatos, & ſuo modo, nempe alitu eum fovendo, eum cognoſcentes. Quòd ſi Prophetarum ſenſus hic fuiſſet, id Patres agnoviſſent, nec ad remotas explicationes confugiſſent. Addunt, Hieremiam etiam ad redarguendam Judaici Populi tarditatem uſum fuiſſe exemplo Milvi, Turturis, Hirundinis, & Ciconiæ; ſic enim c.8. v.7. ait:

ait: *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, Turtur & Hirundo & Ciconia custodierunt tempus adventus sui: Populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Quidni ergo parî licentiâ hæc animalia supra Christi Præsepe volitantia effinguntur?

XXXII. Multa sunt hæc. Sed videndum, an parî soliditate, quâ audaciâ, proferantur. In primis non est hîc quæstio, an duo illa animantia, quæ dicimus in Præsepio Christi nati fuisse, aliquid allegoricè figurarint, sed an ibi revera fuerint. Non enim ex hoc, quòd aliquid in Veteri maximè Testamento afferatur ut figura alterius, statim inferri debet, illud revera non extitisse. Nam etiam de Jacob & Esau in utero Rebeccæ matris collidentibus dicitur Gen. 25. v. 23. *Duæ Gentes sunt in utero tuo, & duo Populi ex ventre duo dividentur*: & tamen nemo dicet, litteraliter duas Gentes, ac duos Populos, & non potiùs duos parvulos has duas Gentes & Populos figurantes in utero Rebeccæ fuisse: sic ex quo duo illa animantia Bos & Asinus, quos dicimus in Præsepio Domini fuisse, in sensu Patrum varias figuras subierint, non statim inferendum est, ea vera animalia non fuisse, sed Judaicum Populum, aut alia quorum gerebant figuras. Similiter volatilia, quæ de Arca exierunt, à quibusdam Patribus allegoricè intelliguntur, quæ tamen litteraliter in Arca fuisse, & de Arca exiisse nemo negarit. Sic aries, qui in Abrahami Sacrificio fuit appositus; sic Agnus, qui in Pascha comedebatur: sic demum omnia, quæ in Veteri Lege accidebant, aliquid figurabant, dicente Paulo 1. Cor. 10. v. 11. *Omnia in figura contingebant illis*, nec tamen quis dicit, fuisse meras figuras, & non veritates. Cum ergo Habacuc dicat, quòd Messias in medio duorum animalium erat cognoscendus: cum Isaias ulteriùs designet, animalia ista futura Bovem & Asinum, & insuper indicet locum ideò *Præsepe* Domini; figuras quidem ea fuisse credenda sunt, sed proinde vera animalia in Domini Præsepio futura, negandum non est: eo modo, quo, cum dicit Zacharias c. 9. v. 9., eum venturum super asinam, in vera asina impletum scimus Matth. 21. v. 5. Milvus autem Turtur &c. ex modo loquendi Jeremiæ adducuntur, ut meræ similitudines, cum quibus fit comparatio, & ideò non sunt ad rem.

XXXIII. Ut ab his me expediam; dicam: ad excludenda à Præsepio Domini vera animantia Bovem & Asinum, non sufficit adducere Patres dicentes, ea hoc vel illud figurasse, sed ulteriùs probandum est, Patres asseruisse, ea fuisse meras figuras, nec verè extitisse: quod cum nemo Patrum dixerit, nec Adversarii afferant, imo plures ex illis hoc asserentes afferat inter ce-

te-

teros Baronius. Cumque demum id confirmet antiqua Ecclesiæ Traditio, & communis Fidelium probet consensus, concludendum est, eos potiùs desipere, qui privato suo judicio ducti hoc negare ausi sunt, quàm Ecclesiam & Fideles omnes, qui constanti communique Traditioni inhærentes, in Præsepio Domini Bovem & Asinum revera fuisse, asserunt, licèt in eis aliquid fuisse figuratum admittant. Dicam ergo cum Chrysippo Hierosolymitano (quem adducit Sylveira lib. 2. cap. 1. in Lucam q. 9.) serm. de S. Maria: *In Præsepi animalium irrationalium proponebatur Verbum & Ratio, ut pro instituto accurrentes homines irrationales sensus rationalis participes efficeret. In mensa bestiarum proponebatur panis cœlestis, ut ex hominum genere, his, qui bestiales erant, communicationem escæ mysticæ exhiberet.*

CAPUT VIII.

De tempore Nativitatis Christi, de Pastoribus, & Prodigiis, quæ in ejus Nativitate facta narrantur.

§. I.

De tempore.

CIrca tempus, quo Christus natus est, quatuor quæri possunt, quo nimirùm anno, quo mense anni, qua die mensis, & qua hora diei.

I. Circa annum, cui Natale Christi sit consignandum, multæ, eæque implexæ difficultates excitari solent; sed quia iis implicari Chronologi potiùs pars esset, quam hìc exercere non intendimus, ideò iis Chronologiæ Professoribus relictis, sententiam in Ecclesia magis communem proponemus. Tria ergo hìc quæremus: primò, quo anno à creatione Mundi natus sit Christus. Secundò, quo anno Imperii Cæsaris Augusti; Lucas enim cap. 2., Christum natum esse, dicit, dum *exiit Edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Tertiò, quo anno Regni Herodis, dicente Matthæo cap. 2., eum pariter natum esse, regnante Herode *In diebus Herodis Regis*. His Epochis contenti erimus. Sequendo ergo computum, quem accuratiores nostri ævi Chronologi, secundùm tamen Textum Hebraicum, & Vulgatam Versionem efformant; dicimus, Christum natum esse an-

anno à Creatione Mundi quater millesimo, qui fuit annus Imperii Augusti 41., & trigesimus sextus desinens Regni Herodis.

II. Primum probo ex enumeratione annorum, qui per singulas mundi ætates ad Christum natum fluxerunt. Prima enim Mundi ætas à Creatione ad Diluvium complectitur annos 1656. mensem unum, dies 26.

Secunda à Diluvio usque ad Vocationem Abrahæ continet annos 426. menses quatuor, dies 18.

Tertia à Vocatione Abrahæ ad Exitum ex Ægypto numerat annos 430.

Quarta ab Exitu usque ad posita Fundamenta Templi annos complectitur 479. dies septemdecim.

Quinta à Fundatione Templi ad finem Captivitatis Babylonicæ annos numerat 475. menses 11. die 29.

Sexta à soluta Captivitate per Cyrum ad Christum Natum annos continet 531., menses duos, dies tres. Quibus omnibus in summam deductis, à Creatione Mundi usque ad Christum Natum conficiuntur anni ter mille nongenti nonaginta novem, menses duo dies tres, seu annus quater millesimus inchoans. Ita P. Serry Exercit. 31.

III. Hæc tamen supputatio, quater mille annorum á condito mundo ad Christum natum valet, ut dixi, attento Textu Hebraico, & Vulgata Versione. Quòd si annos computare lubeat juxta Versionem Septuaginta Interpretum, numerus annorum nimiùm crescet. Nam Septuaginta Interpretes annos nongentos superaddunt Ætati primæ; annos verò octingentos, & undeviginti, necnon Cainanis generationem superaddunt Ætati secundæ. Hoc autem, quo casu, quave fatali Codicum depravatione contigerit, nemo hactenùs feliciter demonstravit, quamvis conati sint non pauci. Hinc proinde factum est, ut Martyrologium Romanum in computo annorum à Mundo ad Christum Natum nobiscum non consentiat: Christi enim Natalem consignat Anno à Creatione Mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono; quia cum primò editum fuit, Ecclesia Romana Versione Septuaginta Interpretum communiter utebatur. Quamquam, nec hoc dici potest: nam computus Martyrologii deficit plùs quàm quingentis annis à computo Septuaginta Interpretum, cum hi à Mundo condito ad Christum natum numerent annos quinquies mille septingentos undeviginti. Illud autem numerat solos quinquies mille centum nonaginta novem annos. Quare in hac Chronologiæ pugna tutius censeo, sequi Textus primigenii Hebraici, & Versionis Vulgatæ com-

pu-

putum jam recensitum. Ecclesia tamen nihil super hoc determinavit, quia dignum non judicavit ad quæstionesmerè Chronologicas suam auctoritatem demittere, sed eas Privatorum potiùs industriæ & eruditioni commisit, ut benè ait citatus Serry.

IV. Aliud quod superiùs dixi, nempè quòd Christus natus sit anno 36. Regni Herodis desinente, & 41. Imperii Augusti, colligo ex Josepho, quo nemo unquam Herodianam historiam accuratiùs scripsit. Is enim lib. 17. Antiquit. Judaic. cap. 10. notat, Herodem anno 37., post adeptum à Romanis Judææ Regnum, mortuum esse, Christus autem anno antecedente mortem Herodis natus est, ut multi consentiunt, & proinde anno Regni Herodis 36. Cumque annum Imperii sui quintum ageret Augustus, cum Herodem Judæorum Regem constituit, quod pluribus demonstrat Cardinalis Norisius in Cœnotaphis Pisanis Dissert. 2. fit, ut annum Imperii sui 41. ageret Augustus, cùm Herodes Regni sui trigesimum sextum numerabat. Qui tamen de hoc plura audire optaret, adire potest Chronologos hinc inde disceptantes, eorumque momentis pensatis, quid sibi magis arriserit statuere. Videre interim præstabit Graveson de Mysteriis & annis Christi Dissert. 6.

V. Circa anni mensem, quo natus est Christus, communis utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ sententia est, fuisse mensem Decembris. Clemens tamen Alexandrinus lib. 1. Stromat. nonnullorum suæ ætatis opiniones percenset, quorum alii Christum natum ponunt die 20. Aprilis, alii 20. Maii; quas opiniones nec probat, nec improbat, sed in medio relinquit. Recentioribus tamen temporibus, quidam, queis nil nisi novum venerabili antiquitati contrarium depromere, vel antiquatum excitare, religio est, negant, Christum natum esse Decembri, quia dicunt, hoc anni tempus, quia hyemale, asperius esse, quàm ut Pastores sub dio, & intempesta nocte excubias in agris agere, & super oves, quæ eo tempore intra caulas custodiri solent, vigilare possent. Constat autem ex Lucæ 2., ut statim dicam, Pastores, quando natus est Christus, in agris vigilasse, & custodiisse vigilias noctis super gregem suum. Tum etiam, quia Christus natus est eo tempore, quo Census indictus ab Imperatore commodè peragi poterat, & quo Judæi poterant ad loca sui census transire, quale certè non erat tempus rigidæ hyemis; & præsertim Mariæ Virgini, quæ adolescentula, ac prægnans vicina partui, iter à Nazareth in Bethlehem fortè pedestre agere debuit. Propterea censent, Christum vel mense Septembri vel Aprili natum

tum esse: Ita Scaliger, Sethus, Calvisius, Basnagius, & alii è numero Protestantium.

VI. Hæ tamen conjecturæ leviores sunt, quàm ut nos à communi Ecclesiæ Traditione amovere possint: de qua videri possunt plura apud Baronium in Notis ad Martyrologium ad diem 25. Decembris: & in Apparatu ad Annales Ecclesiast. n. 120., Petavium in Notis ad Epiphanium (qui Hæresi 51. censet die sexta Januarii Christum natum) & lib. 2. de Doctr. Temp. cap. 1. & sequ., Baillium lib. 2. Operis Hist. q. 1. 2. 3., Pagium in Apparatu Chronolog. n. 138., Scheleſtratum lib. 1. de Antiqu. Eccl., & alios.

VII. Hinc ad ea, quibus moti præfati Novatores à communi Traditione resiliunt, facile est dicere, primum futile esse, quia Judæa Regio est temperatissima, quæ hyemalibus asperitatibus adeò non est obnoxia, quin pastores possent etiam mense Decembri excubias noctu sub dio agere super gregem suum. Nam si in Anglia, regione haud ita miti, ut referunt Casaubonus Exercit. 2. ad primum annum Christi, & Montacutius in lib. de Vita Christi pag. 48., armenta toto anno in agro pernoctare solent; & si in Dania regione rigidissima, ut refert Langius (& ipse Danus) lib. 2. de annis Christi p. 2. c. 2. oves tota hyeme in agris degunt; cui mirùm videbitur, quòd in Judæa, regione admodùm temperata, eadem vigeat consuetudo?

Secundum etiam infirmum est. Nam cum ex dictis Regio, quam incolebant Judæi, fuerit temperata, facilè poterant, aut saltem sine gravi incommodo, tempore hyemali iter peragere; tum quia in multis etiam Europæ partibus, mensibus Novembri & Decembri aer est adhuc temperatus; tum quia cum Judæa tota exiguis finibus fuerit circumscripta, non longo itinere opus erat Judæis, ut Imperatoris obedirent mandato. Quod verò de B. Virgine additur, minùs movet; ista enim quamvis prægnans nullum ex graviditate sentiebat incommodum; & sicut sine dolore Christum peperit, ita sine ullo corporis gravamine ipsum gestabat in utero.

VIII. De Die, qua natus est Jesus, controvertitur non solùm apud præfatos Novatores (quorum aliqui ex dictis volunt, eum natum in Septembri versùs finem, ut Scaliger & Calvisius; aut mense Aprili, ut putat Nisbetus, & ii, quos supra ex Clemente Alexandrino retulimus; quorum aliqui 20. Aprilis, alii 20. Maii ortum putabant) sed etiam apud eos, qui media hyeme eum natum admittunt. Universæ enim propè modùm Ægyptiorum Ecclesiæ Christum natum existimabant die 6. Januarii; ideòque hac

ipsa sexta die quatuor simul mysteria celebrabant, Nativitatem, Epiphaniam, Baptismum Christi, & Primum ejus Miraculum in Nuptiis Canæ; quòd putarent hæc omnia illâ eâdem die Januarii sextâ, licèt diversis annis, evenisse. Hujus Ægyptiacæ Disciplinæ testes sunt S. Epiphanius hæres. 51., Cassianus Collat. 10., & Theophilus Alexandrinus Epist. 16. Hanc tamen Disciplinam ut falsa opinione fultam rejicit S. Hieronymus in cap. 1. Ezechielis. Universa enim Ecclesia tum Latina tum Græca ut certam & imperturbatam Majorum Traditionem semper suscepit, Christum die 25. Decembris natum esse; cujus Traditionis testes affert S. Joannem Chrysostomum tom. 5. homil. 33., S. Gregorium Nyssenum Orat. in Sancta Lumina, S. Augustinum lib. 4. de Trinit. cap. 5., Auctorem Constit. Apostol. apud Clementem lib. 5. c. 3., & alios plurimos. Hanc porrò diem 25. Decembris, qua natus est Jesus, eo anno incidisse in primam Hebdomadæ diem, quæ Dominica est, ajunt Sextæ Œcumenicæ Synodi Patres, & Nicephorus Callixtus lib. 1. Hist. cap. 12.

Nullius propterea fidei credendum est, quod Joannes Nyssenus in Epistola per Combefisium vulgata asserit, nempè Natalem Christi diem 25. Decembris cœpisse Romæ celebrari solùm sub Julio Romano Pontifice. Nam cum, uti vidimus, tali die in universa Ecclesia ex vetustissima Traditione Natalis Domini Festum celebratum semper fuerit, quomodo Romæ seriùs celebrari cœptum est? Romæ inquam, ubi probabiliter, ut notat S. Joannes Chrysostomus citato loco, ab initio Ecclesiæ esse poterant Tabulæ indicantes tempus & diem Descriptionis factæ in Judæa Edicto Cæsaris? Potiùs igitur verisimile est, Natale Domini cœpisse primò die 25. Decembris Romæ celebrari, & inde ad alias orbis Ecclesias morem transiisse.

IX. Eâdem die 25. mensis Martii conceptum fuisse in utero Virginis, Traditione superiùs indicavimus; & ex hac altera Traditio manasse credenda est, quòd 25. Decembris natus sit, cum ex vigesima quinta Martii ad vigesimam quintam Decembris intercurrant novem integri menses, quibus B. Mariam Jesum in utero gestasse, piè credit Ecclesia. Non latet, S. Augustinum in sententia fuisse, Mariam in utero gestasse Jesum novem mensibus, & diebus sex: sic enim ait lib. 4. de Trinit. cap. 5. *Novem menses, & sex dies parientibus feminis imputantur; non quia omnes ad sextum diem post nonam mensem perveniunt, sed quia ipsa perfectio Corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur; sicut à Majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas.*

Sed

Sed Augustinus ibi non intellexit novem menses Solares, sed Lunares, qui, cum sint dierum viginti novem cum dimidio & paulò plus, sex ibi dies adjungi postulant, ut ad novem Solarium mensium spatium perveniant. Et hoc ex eo conjicio, quia cum Augustinus & Christum die 25. Martii conceptum, & die 25. Decembris natum constantissimè doceat: ait enim lib. 2. quæst. in Exod. q. 90. *Qui enim mense nono Natus est octavo Kalendas Januarias, profectò mense primo Conceptus est circa octavum Kalendas Aprilis; quod tempus etiam Passionis fuit*: & clariùs lib. 4. de Trinit. cap. 5. *Octavo enim Kalendas Aprilis Conceptus creditur, quo & Passus... Natus autem creditur octavo Kalendas Januarias*: si Christus post novem menses solares, & sex dies natus esset, non esset natus die 25. sed 31. Decembris; & sic Augustinus sibi ipsi non constaret.

X. Superest dicendum de Hora, qua Christus Natus est. Sicut ergo de Hora, qua Christus fuit Conceptus, variæ, ut supra vidimus, fuerunt sententiæ Veterum, ita & de Hora, qua Natus fuit. Hora diei tertia natum putavit Hetychius apud Anastasium Nyssenum Episcopum. Ipse verò Anastasius putavit hora septima, sed de quibus horis diei isti intellexerint, an diei naturalis, qui incipit à media nocte, an artificialis seu vulgaris, qui ab ortu solis initium ducit, nescimus. Anastasius autem Synaita lib. 7. in Exameron. ad Vesperam natum scribit: nulli tamen fundamentum suæ assertionis asserunt.

Procul dubio Christum de nocte natum fuisse, cuique Evangelium profitenti persuasum esse debet. Nam Lucas cap. 2. ut statim dicam, narrato Mariæ partu, è vestigio subjungit *Pastores erant in eadem Regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Quota tamen esset hora, aut vigilia noctis, non dicit Lucas; solebant enim Judæi numerare duodecim horas noctis, & has in quatuor vigilias partiri. Censent tamen Interpretes ferè omnes, Jesum natum media nocte; & hoc ex antiqua Ecclesiæ Traditione, quæ à primis seculis eam noctis partem anniversaria solemnitate precibus celebrat, ut multis ostendit Albinus Flaccus de Divinis Officiis cap. 1., & plerique Patrum arbitrati sunt, prænuntiatum fuisse Oraculo Sapientiæ 18. v. 14. *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit*. Ex quo Oraculo etiam Divini Verbi Incarnationem media nocte peractam superiùs ostendimus.

XI. Tandem ex hac temporis nota colligitur, eâ horâ, qua

Maria Virgo Partum suum enixa est, omninò à specie veri alienum esse, quòd Joseph vir ejus absens esset. Ambo enim, *cum non esset eis locus in diversorio*, in illud antrum, ut ibi noctem transigerent, sese receperant: nec enim est credibile, Sponsam partui proximam noctu solam in antro eum reliquisse. Neque præsentia Joseph Mariæ partui Virginei pudoris periculo esse poterat; si enim consideremus, quòd partus ille contigit sine ulla præcedente vel concomitante parientis anxietate læsione aut dolore, pium est credere, quòd in momento partus, penetrato Virginis utero, inopinatò infans Jesus Mariæ & Joseph oculis sese (Joseph admirante, quod evenerat) exhibuerit; quem statim ulnis exceptum Mater pannis involverit, ut dicit Lucas, & in Præsepio collocarit. Hoc indicavit Petrus Damiani serm. 2., cum ait: *Adest & Joseph, sed ab utroque remotus, & in excessu mentis miratur, & mirari satis non potest, qualiter sit ad tantæ dignitatis admissus arcanum.* Ex hoc apparet, quantam mereantur fidem ii, qui ex privatis quibusdam revelationibus oppositum ostendere conantur; & multò magis fabulosum esse, quod ex Pseudo-Evangelio Jacobi supra rejecimus, quodque etiam Pseudo-Evangelium Infantiæ narrat; nimirùm, quòd cùm instante partu abiisset Joseph ad quærendam obstetricem, & eâ inventâ simul rediissent, invenerunt Puerum jam natum, & Matris ubera sugentem.

§. II.

De Pastoribus.

XII. INter circumstantias Nativitatis Christi refert Lucas adventum Pastorum ad Præsepe, in quo reclinatus fuerat Jesus recèns natus, ut eum adorarent. Hi enim, cùm in ea regione custodirent vigilias noctis super gregem suum, subitâ luce perfusi, & Angeli voce excitati dicentis: *Quia natus est vobis hodie Salvator in Civitate David, & hoc vobis signum: Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in Præsepio*: & subitò audientes cœlestium Spirituum Choros canentes *Gloria in excelsis Deo*: dixerunt invicem *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, & Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & invenerunt Mariam & Joseph & Infantem positum in Præsepio. Videntes autem cognoverunt de Verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc: & omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos.* Hæc omnia refert Lucas cap. 2. à v. 8. ad 18. De quo tria quærenda occurrunt, pri-

Primum, De qua regione Pastores venerint: Secundum, Quot fuerint: Tertium, Qui fuerint.

XIII. Circa primum. Regionem, unde venerunt non fuisse multùm distantem à Bethlehem, & à Spelunca, in qua natus erat Jesus, indicat Lucas ibidem v.8., ubi expositâ Christi Nativitate & Loco subjungit: *Et pastores erant in Regione eâdem.* Quinam verò hujus Regionis determinatus situs, ubi Pastores isti erant, cùm Angelicum Nuntium acceperunt, & unde ad Præsepe venerunt, S. Lucas non dicit: attamen S. Hieronymus putat, fuisse agrum juxta Eder, *Turrim gregis* vulgò dictam, inter Bethlehem & Hierosolymam sitam: sic habet in Traditionibus Hebraicis, ubi exponens illud Geneseos c.35. v.21. „ *Egressus inde Jacob, fixit Tabernaculum trans turrim gregis* „ hæc habet: *Hunc locum Hebræi esse volunt, ubi postea Templum ædificatum est, & Turrim Eder Turrim Gregis significare, hoc est congregationis & cœtus: quod & Michæas testatur dicens,* „ *Tu Turris Gregis Nebulosa filia Sion* „ *illoque tempore Jacob trans locum, ubi Templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viæ Pastorum, juxta Bethlehem locus est, ubi vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora sua pavit, loco nomen imponens; vel quod verius est, quodam vaticinio futurorum jam tunc Mysterium monstrabatur.* Et in Epitaphio Paulæ ad Eustochium: *Haud procul*, inquit, *inde descendit Paula ad turrim Eder, ideſt Gregis, juxta quam pavit Jacob greges suos, & Pastores nocte vigilantes audire meruerunt* „ *Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis* „ Erat ergo Turris Eder extructa in loco pascuoso, in quam se recipiebant pastores, gregemque colligebant contra cœli injurias; unde illi nomen *Eder* inditum est, quód Hebraicè *Collectionem pecorum* sonat. In hanc de Loco Pastorum sententiam veniunt Beda Haymo & Dionysius Carthusianus, infra referendi.

XIV. Circa secundum, scilicet Quot fuerint Pastores Christi nascentis adoratores, duplex sententia est. Quatuor fuisse, sentit Casaubonus Exercit. 2. in Baronium: quod se collegisse dicit ex pervetusto Codice Græco anonymo in Palatina Wittembergensi Bibliotheca, ubi etiam eorum nomina describuntur, nempe *Misael*, *Achael*, *Stephanus*, & *Cyriacus*. Nec quemquam moveat, aliqua ex præfatis nominibus nempe *Stephanum* & *Cyriacum* græca esse, qualia præfatis pastoribus, qui Judæi erant, non congruebant. Nam respondent, qui huic opinioni fidem præstant, Judæos, ex quo Græcorum imperio parere, eisque commiscere cœperunt, sicut Græcam linguam, ita & græca nomi-

mina non paucos usurpare cœpisse. Unde primus Diaconus genere Judæus, & patriâ Hierosolymitanus, *Stephanus* vocabatur.

Communiter tamen, & probabilior sententia, dictos pastores fuisse tantùm tres existimat. Huic favent Beda lib. de Locis Sanctis c. 8. dicens: *Ad Orientem in Turre Gregis, mille passus à Bethlehem Civitate segregatâ, est Ecclesia, trium Pastorum Divinæ Nativitatis consociorum monumenta continens.* Haymo Alberstatensis: *Distat Turris Gregis uno milliario à Bethlehem, in qua etiam hodie trium Pastorum corpora requiescunt.* Dicunt tamen aliqui, ex hoc quòd Beda & Haymo dicant, asservata fuisse in ea Ecclesia trium Pastorum corpora, non inferri fuisse tantùm tres, & non plures. Respondeo hoc verum fore, si Beda & Haymo cum aliqua limitatione locuti fuissent, puta *Trium ex Pastoribus*, vel trium Pastorum ex illis, qui Dominum adoraverunt: sed cum absolutè dicant, trium Pastorum corpora fuisse in ea Ecclesia recondita, implicitè dicunt, omnium Pastorum, qui in adoratione Christi fuerunt consocii, corpora ibi requiescere; & proinde fuisse tantùm tres.

Accedit, quòd alii Auctores tres tantum numerant. Flavius Lucius Dexter in Chronico, quod S. Hieronymo dicavit: *Tribus*, inquit, *Pastoribus, qui fuerunt Sancti*, (Christus) *primùm ostenditur*. De cujus testimonio licèt aliqui dubitent, illud tamen Baronius in pretio se habere demonstrat ad ann. 1. Christi n. 6., ubi etiam dicit, fuisse tantùm tres, auctoritate Patrum fulciri. Idem indicat S. Bernardus serm. in Vigil. Nativ., dum de tribus Pastoribus, quibus se manifestavit, intelligit verba illa Psalmi 79. v. 3. *Manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.* Demùm Dionysius Carthusianus in cap. 2. Lucæ, hæc omnia usque modo dicta complectens, *Dicitur quoque*, inquit, *quòd tunc erant juxta Turrim quandam inter Bethlehem atque Hierusalem, ubi Jacob de Mesopotamia rediens, cum suis moratus est gregibus, ubi mortua & sepulta est Rachel, ut patet in Genesi. dicebatur Turris gregis, de qua illud Michææ exponitur, Et tu Turris Gregis nebulosa filia Sion, ad te veni, & potestas prima Regum Hierusalem, hoc est Christus, Virtus prima, Summa, Omnipotens, quam ibidem Angelus nuntiavit Pastoribus, Qui Tres fuisse dicuntur; & ibi postea fuit constructa Ecclesia, ubi illorum monstrantur (ut fertur) sepulchra, ad quem etiam locum Christum venisse, non irrationabiliter creditur.*

XV. Circa tertium: Qui nempè fuerint hi tres Pastores: nomina fuisse *Isaac, Jacob, & Joseph*, putant aliqui; sed verius incer-

certa eorum nomina puto. Quinam verò fuerint moribus, ex dictis apparet; eos fuisse vitæ innocentiâ, pietate, ac fide singulares; & Christum, quem nascentem amplexi fuerant, & ejus Fidem secutos fuisse, & aliis etiam prædicasse; ac demum in Christo sanctè obiisse. Quòd piè ac innocenter viverent, & Christum verâ ac vivâ Fide expectarent, ostendit Christus ipse, qui vix natus, eos per Angelum ad se visendum primos vocare dignatus fuit. Hinc Ambrosius lib. 2. in Lucam ad verba illa, *Venerunt festinantes*, hæc scribit: *Non mediocre tibi hoc videatur exemplum, quòd vilis sit persona Pastorum. Certè quò vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem: non gymnasia Choris referta Sapientum, sed Plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita & fucare nesciret*: & serm. 13. *Non mirandum est, si Christi gratiam ante scire meruerit innocentia, quàm potestas; & priùs cognoscere veritatem simplex rusticatio, quàm superba dominatio.* Idem Titus Bostrensis dicens: *Ob id quoque præ ceteris Pastoribus beneficium hoc obtigit his Pastoribus, quia præ ceteris simplices, dolique expertes erant.* Quod confirmat Cyprianus (seu quisquis sit alius Auctor) sermone de Nativit.

Quòd Christi Fidem, qua imbuti erant, aliis annuntiaverint, indicat Lucas cap. 2. v. 18., ubi Pastoribus à Christi adoratione reversis: *Et omnes*, inquit, *qui audierant, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos.* Signum ergo est, Pastores statim annuntiasse Mysterium, & aliis de his, quæ viderant, Fidem insinuasse. Demùm quòd sanctè vitam finierint, apparet ex supradictis. Cum enim ex Beda, Haymone &c. Turris gregis, in qua eorum corpora sepulta fuerunt, in Ecclesiam sub eorum nomine fuerit consecrata, argumento est, eos apud Veteres opinionem sanctitatis obtinuisse.

Sunt qui velint, eos fuisse Virgines, quia nimirùm describuntur, ut viri præ ceteris simplices, doli expertes, innocentes. Sed præfatæ virtutes non solis conjugii expertibus conveniunt, cum etiam in conjugatis maximè Pastoribus esse possint. Nam & de Job cap. 1. dicitur *Vir erat in terra Hus nomine Job, & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, & tamen statim subditur: *Natique sunt ei septem filii, & tres filiæ.* Cum ergo apud Judæos rari essent, qui in statu Virginitatis diù permanerent, nec aliunde sciamus, qua ætate Pastores illi fuerint, tutiùs crediderim, hac in re suspendendum esse judicium.

§. III.

De prodigiis veris, apocryphis & falsis, quæ in Christi Nativitate accidisse narrantur.

XVI. VEra, quæ in Christi Nativitate prodigia contigisse, partim vidimus partim videbimus, ex Evangelio enarrat S. Augustinus serm. ad Catechumenos cap.4., ubi postquam dixit, quòd *illam primam* Nativitatem, *qua de Patre natus est sine aliqua Matre, quis enarrabit?* subjungit: *De hac tamen secunda mira & ineffabili dicamus aliquid, quod factum est pro nobis, ut Verbum Caro fieret & habitaret in nobis. Quis enim non expavescat, cum audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem. Alvus tumescit Virginis, clausirum pudoris permanet: impletur uterus matris sine ullo complexu patris, sentit prolem, quæ se ignorabat conjugem. Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur, Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit Mater & Virgo, fœta & intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit & ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia; portatur manibus Matris Rector totius orbis; lambit ubera, regens sidera; tacet, & Verbum est. Necdum per linguam se demonstrabat, quis esset; & universa creatura fuum natum indicat Creatorem. Angeli Pastoribus annuntiant, stella Magos invitat; rusticitas Pastorum admonitionem exigit Angelorum; curiositas Magorum instructa est lingua cœlorum* &c. Hæc, quæ Augustinus enarravit, sunt vera & inaudita prodigia, quæ in Nativitate Christi credunt omnes Christiani, & in quibus fides nostra exultat.

XVII. Nihilominùs alia enarrari solent evenisse prodigia, de quibus quanta sit Fides, examinabimus. Dicitur primò, in ipsa nocte Nativitatis Christi Romæ Templum Pacis subitò corruisse. Refertur à S. Bonaventura Opusc. de quinque Festivit. pueri Jesu c.2., & à Surio. Sed hoc parùm consonum esse vero, fatetur ipsemet Baronius Annal. in ann. Christi 1. n.12.; eò quia nullum Templum pacis Romæ ante Christum fuisse, apud Classicos Scriptores reperitur, extructum, sed solùm à Vespasiano post captam Hierosolymam, & Judæos subjugatos, Romæ fuisse erectum. Cujus testes affert: Josephum lib.7. de Bello Judaico c.24. dicentem: *Post triumphos verò, & Romani Imperii firmissimum statum, Vespasianus Paci Templum ædificari decrevit. Itaque mirâ celeritate, & quæ omnium cogitationem superaret, effectum est.*

Sve-

Svetonium etiam *in Vespasiano* cap.9., Plinium lib.34. cap.8., & lib.36. cap.15., Sextum Aurelium Victorem in Epitome hist. in Vespasiano. Quibus accedit S. Hieronymus, qui in cap.3. Joelis: *Vespasianus*, inquit, *& Titus Romæ Templo Pacis ædificato, vasa Templi, & universa donaria in delubro illius consecrarunt, quæ Græca & Romana narrat historia*. Deinde mirabilis illius & repentinæ Templi Pacis ruinæ, quæ ab omnibus antiquis Scriptoribus celebrari debuisset, nec Historici Romani, nec Eusebius, nec Orosius, nec ullus Patrum mentionem fecerunt. Ruit quidem Pacis Templum, sed illud, quod à Vespasiano, ut supra, erectum fuerat; idque contigit temporibus Commodi, ut refert Herodianus; ejusque ruinæ adhuc visuntur Romæ propè montem Palatinum: ruinæ tamen Templi Pacis, quod Romæ ante Christum esset, & in ejus ortu ruerit, nec hodie apparent, nec ex ullo antiquo Monumento aliquando fuisse colliguntur.

Scio, ab aliquibus asseri, multò ante Christum fuisse Romæ Templum Pacis à Numa erectum, & moveri ex testimonio Clementis Alexandr., qui lib.5. Stromat. pag.548. *Meritò*, inquit, *Rex quidam Romanorum (Numa erat ei nomen) ... primus ex omnibus hominibus posuit Templum Fidei & Pacis*. Sed scio etiam, Tertullianum in Apologetico cap.25. dicere oppositum his verbis: *Nam etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa; nondum tamen aut Simulacris aut Templis res Divina apud Romanos constabat*. Sub Numa Roma pace quidem potita fuit, sed à Numa Paci erectum fuisse Templum, nemo alius dicit; imo S. Augustinus lib.3. de Civit. Dei cap.12., nec ipsi Jovi Templum fuisse tunc erectum, dicit. Datô autem, à Numa fuisse erectum aliquod Fanum, hoc non poterat esse illud insigne Templum Pacis, quod in ortu Christi dicunt corruisse, quod erat, ut ajunt, immensæ molis opus. Et sanè, ut observat Baronius loco citato, ea sola apud Romanos Templa dicebantur, quæ essent sumtuosissimè extructa; unde cum Romæ essent quamplures ædes Diis sacræ, perpauca tamen Templa vocabantur, qua ratione Vestalium, quod erat in Urbe, Fanum, Templum dici non merebatur.

Hæc ad eruditionem dicta sint. Ceterùm in ortu Christi, sive esset sive non esset, Templum Pacis non corruisse, constans est, quia nemo ex probatis Scriptoribus hoc dixit, sed ab incerto auctore hoc suppositum prodigium in lucem prodiit sub ementito nomine Petri Damiani: quod ex eo apparet, quia Auctor citat S. Bernardum; Petrus autem Damiani quinquaginta annis ante jam obierat, ut notat Baronius, unde à Petro Damiani citari non poterat.

XVIII. Alterum prodigium, quod accidisse narratur à Nicephoro lib. 1. Hist. Eccles. cap. 17., ex quo postea hauserunt Suidas, Cedrenus, Baronius, & alii, est cessatio Oraculorum. Fertur enim, quòd cum Cæsar Augustus ad Apollinis Delphici Templum venisset, ut sciret, quisnam post ipsum Romani Imperii clavum regere deberet, hoc ab Oraculo responsum græcè acceperit, quod latinè redditum tale est.

Me Puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Quò responsò acceptò, Augustus Romam reversus ibi in Capitolio Aram maximam extrui jussit cum hac inscriptione *Ara Primogeniti Dei*. Hoc refert Baronius in Apparatu n.26. qui addit: *Putatur hic ille esse locus in Capitolio è regione Rupis Tarpejæ, ubi nobilissimum Templum antiquitùs erat Jovis Capitolini: sed eo proflratò eodem in loco erecta est Basilica in memoriam Dei Genitricis Mariæ, atque dicta ex causa* Ara-Cœli *titulo nuncupata*. At ne credam, Christò natò Augustum ab Apolline Delphico hoc responsum accepisse, obstat, quia *Puer hebræus*, seu Christus, anno Imperii Augusti 41., ut diximus, natus est; Augustus verò post annum Imperii sui 21., quo pridem in Græciam perrexerat, non ultra illuc iter intendit. Quomodo ergo, Christò jam natò, Augustus Delphis præsens Apollinem consuluit, quem ante 20. annos jam consuluerat? Si dicatur, Oracula Apollinis, & aliorum falsorum Numinum, natò Christò saltem imminuta fuisse, & postea statim cessasse; utrumque falsò videtur asseri. Nam Cicero, qui vixit ante Christum annis circiter sexaginta, hujus diminutionis Oraculi Delphici mentionem facit, nam lib.2. de Divinatione: *Pyrrhi*, inquit, *temporibus jam Apollo versus facere desierat.... Cur isto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modò nostra ætate, sed jamdiù, ut nihil possit esse contemtui?* Si ergo, Cicerone teste, suo tempore Apollo Delphicus versibus Oracula edere jam desierat, quomodo Augusto præfatum responsum versibus dedit? Sed nec verum est, statim post Christum natum Oracula obmutuisse ac cessasse, cùm hæc cessatio nonnisi quadringentos post annos à Christo nato evenerit. Quamquam enim Plutarchus imperante Trajano librum ediderit *De Oraculorum defectu*; in eo tamen non intendit, Oracula etiam Delphis penitùs cessasse, sed solùm ex parte, quia nimirum non adeò frequentia erant, sicut ante, & maximè Delphicum: quæ rarò, nec versibus ampliùs edebantur: *Videamus* (inquit Plutarchus) *Oracula, quæ in his locis sunt, obsoleviſſe; atque adeò*

adeò, duobùs aut tribùs exceptis, omnia defeciſſe. Inter hæc excepta ponens Oraculum Apollinis, illud non adeò frequens ut priùs fuiſſe dicit; nam ubi *olim duabus uſi ſunt Vatibus, quæ per vices ad cortinam ſederent; eratque etiam tertia deſignata, tanquam aſſidens iis: nunc unica eſt Antiſtita; neque incuſamus, cum ejus opera Conſultoribus ſufficiat.* Non ergo naſcente Dominò Delphicum Oraculum penitùs conticuerat, cum Plutarchi tempore, Trajanò imperante, non adeò quidem frequenter ut priùs conſulebatur, ſed conſultum reſponſa dabat, quantùm Conſultoribus ſufficiebat. Delphis etiam data fuiſſe reſponſa ſub Nerone teſtatur Svetonius in Vita Neronis: ſub Domitiano, refert Philoſtratus in vita Apollonii Tyannei, qui ſub Imperatore Domitiano vixit. Imo etiam ſub Conſtantino: nam refert Euſebius lib. de Vita Conſtantini cap. 50. *Apollinem tunc temporis ex antro & tenebricoſo quodam ſpecu, non ex hominis ore, Oraculum edidiſſe ferebatur, quo juſtos viros in terris degentes obſtare ſibi ajebat, quò minùs vera prædiceret, atque idcircò falſa ex tripode Oracula reddit.* Et quamvis, ut idem Euſebius narrat lib. 4. de Vita Conſtant. cap. 54., pius Imperator inter cetera Deorum Templa, etiam Delphicum dirui juſſerit, hoc tamen non obſuit, quin Julianus apoſtata ipſum conſuluerit Apollinem, ab eoque, etſi falſa, reſponſa reportarit: ſcribit enim Theodoritus lib. 3. hiſt. cap. 21., quòd Julianus contra Perſas præliaturus, *Miſſis Legatis Delphos, & in Delum ac Dodonam, & ad alia Oracula, interrogavit Vates, utrum expeditionem ſuſcipi oporteret. Illi verò & expeditionem ſuſcipere eum juſſerint, & victoriam polliciti ſint.* Falsó tamen, nam confoſsus Julianus in prælio, paulò poſt malè, ut meruerat, periit. Demùm ſi naſcente Chriſto ceſsaſsent penitùs falſorum Numinum Oracula, Juſtinus Martyr, Tertullianus, Lactantius, Minutius Felix, Arnobius, Origenes, aliique multi, qui pro Fide Chriſtiana Apologias conſcripſere, tantum contra Gentiles argumentum non neglexiſsent, & maximè Oraculum Apollinis Auguſto pronuntiatum, aut Aram Primogenito Dei ab eodem Auguſto in Capitolio poſitam. Cum ergo eorum nemo hoc argumentum contra Gentiles produxerit, ſignum evidens eſt, revera non eveniſſe.

XIX. Tertium ſignum ſeu prodigium, à nonnullis memoratum, fuit apparitio Virginis, quam puerum in ulnis geſtantem ſublimem in aere vidit Auguſtus *Sibyllâ monente*, quapropter dicit Baronius loco ſupra citato ex Apparatu n. 26., aliquos velle, Baſilicam Romæ dictam *Ara-Cœli* fuiſſe in Capitolio excitatam, quòd ibi Mariam Dei Genitricem infantem in ulnis ha-

bentem sublimem in aere Augustus conspexerit. Sed veritati hujus asserti prodigii obstant primò illa verba *Sibyllâ monente*. Nulla quippe sub Augusto Cæsare Sibylla superstes erat, quæ Imperatorem, ut attolleret oculos, monere posset. Cumana enim omnium ultima vixit Olympiade quinquagesima, & Tarquinii superbi temporibus Romæ fuit: Christus verò sub Augusto natus fuit Olympiade 193., annis circiter supra quingentos septuaginta post Sibyllas: ergo non potuit Augustus de tali signo à Sibylla moneri. Videt hoc Baronius, & proinde subdit: quod tamen ita velim intelligant, qui ei majorem fidem adhibendam putant, *ut ea ipsa Augustus à Sibylla, hoc est à Sibyllinis carminibus, quæ sub Sibyllæ nomine citari à Majoribus consueverunt, acceperit; non autem à Sibylla, quasi adhuc vivente Vate, quæ diximus, ei ostensa fuerint*. Carmina autem Sibyllina, quibus moneri potuit Augustus, recitantur à Virgilio Egloga 4.

Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, & toto surget Gens aurea mundo.
Casta Lucina fave &c.

At quomodo ex his carminibus moneri Augustus poterat, ut vel de Christo in eis prænuntiato cogitaret? à Virgilio non certè, qui, ut fatetur Baronius in Apparatu n. 23., *nescius Mysteriorum, quæ de Christo ex Virgine nascituro prædicta erant, tribuit magnâ adulatione Salonio filio Pollionis*. Dicitur fortè Augustus cum esset in Sibyllinis versibus exercitatissimus hæc ex præfatis versibus de Christo intellexisse, & idcircò illa visione à Deo donatum fuisse. Sed quamvis possit Deus etiam viro Gentili lumen hoc largiri, uti, Sibyllis largitum fuisse, multi credunt; cùm tamen de hoc altum sit silentium apud Veteres, qui etsi Sibyllina Oracula sæpiùs laudaverint, ac multa eorum de Christo dicta ostenderint, ut Justinus Martyr in Orat. ad Antoninum Pium, Clemens Alexandr. lib. 7. Stromat., Origenes lib. 5. contra Celsum, Lactantius lib. 1. Divin. Inst. cap. 6., Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 23.; attamen de hoc Sibyllæ monito dato Augusto, & minùs de prodigiosa apparitione ipsi facta (alioquin non omissuri) nec verbum faciunt; detinent me, ne præfatæ prodigiosæ narrationi fidem adhibeam.

XX. Quartum prodigium in nocte Nativitatis Christi accidisse fertur: nimirum fontem Olei Romæ manasse, ac per dies ali-

aliquos defluxisse. Cui aliud additur, de Tribus scilicet Solibus, qui paulatim in unum orbem coierint: de quibus mentionem facit etiam S. Thomas 3.p. q.36. art. 3. ad 3., ubi loquens de Stella, quæ Magis apparuerat, subjungit: *Credibile tamen est, etiam in aliis partibus Mundi aliqua indicia Nativitatis Christi apparuisse; sicut Romæ fluxit oleum, & in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in unum coeuntes.* Verùm hæc ad prodigia Nativitatis Christi, nisi ut prænuntia, trahi nequeunt, cùm teste Eusebio in Chronico, Osorio lib.6. cap.18., & Baronio in Apparatu, annis quadraginta præcesserint Christi ortum.

XXI. Quintum succedit à Ven. Beda narratum lib. de Locis Sanctis c.8., nempè Fontis Aquæ, qui, statim ac Christus natus fuit à petra Speluncæ suæ Nativitatis scaturivit ad ablutionem Nati Infantis, & usque ad sua tempora perdurabat. Sed cum hujus nullum testem proferat Beda; imo cum Hieronymus, qui sacrum illum Locum multis annis incoluit ac descripsit, nullum prodigiosi hujus fontis (quem certè novisset, nec in sua accurata descriptione omisisset) verbum faciat; credere par est, ex incerta narratione Bedam hoc protulisse. Quamquam Beda non refert ad prodigium primam fontis illius scaturiginem, sed potiùs, quòd nunquam in eo aqua deficiat. Ait enim: *Petra juxta murum cavata primum Dominici Corporis lavacrum de muro missum suscipiens, hactenùs servat: quæ si qua fortè occasione vel industriâ fuerit exhausta, nihilominùs continuò cum respicit, sicut antea fuerat, plena redundat.* Non igitur juxta Bedam prima illius fontis scaturigo prodigialis habenda est, sed illius, si fortè exaruisset, restitutio.

XXII. Sextum ponitur prodigium Obseratio Templi Jani, quod ante Christi Nativitatem erat reseratum. Verùm etsi fatear, eo anno, quo Christus natus est, fuisse occlusum; id tamen prodigii loco habendum esse; non existimo; solebant enim Imperatores expugnatis hostibus Templum Jani occludere: unde idem Augustus, qui tempore Nativitatis Christi illud occluserat, referente Svetonio *in Augusto* illud ter occlusit *Janum Quirinum semel atque iterum à Condita Urbe memoriam ante suam clausum, multo breviore temporis spatio, terra marique pace partâ ter clusit.* Primò enim (ut observat Joannes Schildius) illud clausit anno Urbis conditæ 275. post victum Antonium; Secundò anno 279. cum ex Bello Cantabrico Romam rediit; Tertiò circa tempus Nativitatis Christi; quia tunc illi datum fuit summa pace frui secundùm morem, quem Numa instituit. Secundùm hanc consuetudinem illud clauserunt etiam Imperatores

post

post Christum. Clausit enim Nero anno Urbis Conditæ 811., clausit Vespasianus anno 824., &, ut testatur Ammianus Marcellinus lib. 16., clausit etiam Constantinus primus Imperator Christianus. Quòd ergo tempore, quo Christus natus est, Templum Jani fuerit clausum, non tam prodigium censendum est, quàm implementum Vaticinii Prophetarum, qui Christum eo tempore nasciturum prophetarunt, quo pax per totum orbem florere debebat.

XXIII. Mitto alia, quæ ab aliquibus enarrantur evenisse in Christi Nativitate, prodigia, quia vel falsa vel absque solido fundamento asserta. Nec Divini Verbi facti hominis Nativitas, tot in se prodigia continens atque portenta, ut superiùs ex Augustino ostendi, ementitis fictisque prodigiis indiget illustrari, seu veriùs obscurari: *An mediocribus signis* (inquit Ambrosius lib 2. in Lucam) *Deus probatur, quòd Angeli ministrant, quòd Magi adorant, quòd Martyres confitentur? Ex utero funditur, sed coruscat è cœlo; terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine viget. Nupta peperit, sed Virgo concepit, sed Virgo generavit!* Hæc sunt vera ac indubitata prodigia, quæ Fides Christiana confitetur, & quibus oblatrantes obmutescere facit.

CAPUT IX.

Christi Circumcisio.

§. I.

Christus fuit Circumcisus, & Nomen Jesus illi impositum.

I. CHRISTUM Dominum octava die à Nativitate sua, hoc est primâ mensis Januarii, Legi Circumcisionis se submisisse, ac sui sanguinis primitias Deo Patri obtulisse, velut arrham & pignus totius pretii, quod in ara Crucis pro omnium hominum, maximèque Fidelium, redemtione persoluturus erat, totum sanguinem fundens, scribit Lucas cap. 2. v. 21. his verbis: *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est Nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Ubi, ut benè observat Serry, li *Et postquam* &c. non designat, Christum post completos octo dies fuisse circumcisum, sed dum complerentur, idest dum transactis septem diebus octava circumcisioni destinata curreret. Sicut dum ibidem v. 22. subditur: *Et postquam impleti sunt*

sunt dies purgationis ejus .... tulerunt illum in Jerusalem: fit sensus, dum impleti fuere, ita ut eadem die, quæ ultima erat purgationis, tulerint illum in Jerusalem.

Estò autem Lucas expressè non dicat, Christum circumcisum fuisse; satis est, quòd dies octo consummatos dicat, ut circumcideretur; cur enim id adnotasset, nisi reipsa circumcisus esset? Maximè cùm nomen Jesu illi inditum tunc fuisse dicat, quod nonnisi in Circumcisione solebat imponi, ut constat de Joanne Baptista ex eodem Luca c. 1. v. 59. *Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine Patris sui Zachariam* &c. Addunt aliqui ex Cajetano, in Textu Græco Lucæ haberi *Et vocatum est nomen ejus Jesus*, idest cùm jam adesset dies octavus Circumcisioni destinatus, & *circumcisus est, & vocatum est nomen ejus Jesus*: hoc enim significat copulativa adjuncta. Ideo verò Lucas impositionem Nominis expressiùs significavit, Circumcisionem verò potiùs supposuit, quia pueros octavo die circumcidi manifestum erat, & consuetum, utpote lege præceptum; at quia impositio nominis Jesus propria ac peculiaris illius fuit, idcircò de ea expressiùs locutus fuit.

II. Meritò quidem Nominis Jesus impositionem distinctiùs explicavit Evangelista, quia, ut docet S. Thom. 3. par. qu. 37. ar. 2., *Nomina debent proprietatibus rerum respondere; & hoc patet in nominibus generum, & specierum, quia ut dicitur 4. Metaph.* (Text. 28.) ratio, quam significat nomen, est definitio, *quæ designat propriam rei naturam. Nomina autem singularium hominum semper imponuntur ab aliqua proprietate ejus, cui nomen imponitur: vel à tempore, sicut imponuntur nomina aliquorum Sanctorum his, qui in eorum Festis nascuntur: vel à cognatione, sicut cum filio imponitur nomen patris, vel alicujus de cognatione ejus, sicut propinqui Joannis Baptistæ volebant eum vocare nomine patris sui Zachariam, non autem Joannem*,, quia nullus erat in cognatione ejus, qui vocaretur hoc nomine ,, *ut dicitur Lucæ 1.: vel etiam ab eventu, sicut Joseph vocavit primogenitum suum Manassem dicens*,, Oblivisci fecit me Deus omnium laborum meorum,, *Gen. 41.: vel etiam ex aliqua qualitate ejus, cui nomen imponitur, sicut Genes. 25. dicitur, quòd quia*,, qui primus egressus est ex utero matris rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatum est nomen ejus Esau ,, *quod interpretatur rubeus*.

Nomina autem, quæ imponuntur aliquibus divinitùs, semper significant aliquod gratuitum donum eis divinitùs datum, sicut Gen. 17. dictum est Abrahæ ,, Appellaberis Abraham, quia Patrem

trem multarum gentium constitui te ,, *& Matth. 16. dictum est Petro* ,, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam ,, *Quia igitur Christo hoc munus gratiæ collatum erat, ut per ipsum omnes salvarentur, ideo convenienter* ,, vocatum est Nomen ejus Jesus ,, *ideſt* Salvator, *Angelo hoc nomen prænuntiante, non solùm Matri, sed etiam Joseph, qui erat futurus ejus nutritius*.

III. Quamvis autem sub aliis nominibus fuerit Christus à Prophetis prænuntiatus, *in omnibus illis nominibus quodammodo significatur hoc Nomen Jesus, quod est significativum salutis* (inquit S. Thom. citato loco ad primum.) *Nam in hoc quòd dicitur* Emmanuel (Isaiæ 7.) *quod interpretatur* Nobiscum Deus, *designatur causa salutis, quæ est unio Divinæ & humanæ naturæ in persona Filii Dei, per quam factum est, ut Deus esset nobiscum, quasi particeps nostræ naturæ. Per hoc autem quòd dicitur* (Isaiæ cap. 8.) ,, voca nomen ejus accelera spolia detrahere &c. *designatur, à quo nos salvavit, quia à Diabolo, cujus spolia abstulit, secundùm illud Coloss.* 2. ,, Expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter,,. *In hoc autem quòd dicitur* (Isaiæ 9.),, Vocabitur nomen ejus admirabilis &c. *designatur via & terminus nostræ salutis; inquantùm scilicet admirabilis Divinitatis consilio & virtute ad hæreditatem futuri seculi perducimur, in quo erit pax perpetua filiorum Dei sub ipso principe Deo. Quod verò dicitur* (Zachar. 6.) ,,Ecce vir, oriens nomen ejus,,*ad idem refertur, ad quod primum, scilicet ad Incarnationis mysterium, secundùm* ,, *quod* exortum est in tenebris lumen rectis corde,, (*Psalm.* 112.) Hæc S. Thomas.

IV. Non latet, aliquos alios in Veteri Lege hoc nomine *Jesus* fuisse donatos, sed hoc fuit propter temporalem & particularem salutem, quam attulerunt. Sic *Jesus* appellatus est filius Nave, qui Moysi successit, & Populum Israeliticum in Terram Promissionis deduxit. Eodem etiam nomine fuerunt olim ornati Josedech Sacerdotis filius, & Sirach, quia Christi Salvatoris typum gesserunt. Unde S. Thom. ibidem ad secundum. *His*, inquit, *qui fuerunt ante Christum, potuit convenire hoc nomen Jesus secundùm aliquam aliam rationem, puta aliquam particularem, & temporalem salutem tulerunt: sed secundùm rationem spiritualis, & universalis salutis, hoc nomen proprium est Christo: & secundùm hoc dicitur esse nomen novum. Unde ait Paulus ad Philipp.* 2. v. 9.,, Propter quod (quia nimirùm semetipsum tradidit omnibus in salutem.) & Deus exaltavit illum, & dedit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum &c. Vide S. Bernardum Ser. 2. de Circumcis. Domini, & Serm. 15. in Cantica, ubi in explican-

canda hujus sanctissimi Nominis efficacia ac suavitate totum se se effundit.

§. II.

Cur Christus voluerit Circumcidi.

V. PLuribus ex causis voluisse Christum Circumcidi, dicit S. Epiphanius hæres. 30., quæ est Ebionitarum. Prima, ut se carnem verè induisse monstraret; propter Manichæum, qui dixit, eum habuisse corpus phantasticum, & simili tudine solùm ac specie humanæ carnis apparuisse; deinde ut corpus Divinitati consubstantiale non esse demonstraret, ut Apollinaris dicebat, nec de cœlo delatum in terras, ut existimabat Valentinus. Secunda, ut Circumcisionem, quam Deus olim instituerat, ad Adventum usque suum meritò observatam, exemplo suo comprobaret, & omnem Judæis excusationem eriperet, ipsum non recipiendi, quia circumcisus non esset. Tertia, ut probaret, se esse de genere Abrahæ, qui Circumcisionis mandatum acceperat in signum Fidei, quam de ipso habuerat. Quarta, ut eâ perfunctus, eam non esse amplius necessariam ostenderet, sed solam circumcisionem cordis. His ex Epiphanio adductis alias tres rationes adjungit S. Thomas 3. par. quæst. 37. ar. 1. Prima est, *ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo: unde & octava die circumcisus est, sicut in Lege erat præceptum.* Altera, ut *quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo consueverat caro mundari, non respueret.* Tertia, *ut Legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret, secundùm illud Galat. 4.* „Misit Deus filium suum, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret„.

VI. Si dicas primò, Circumcisionem datam fuisse in signum fœderis; hoc autem fœdus in Christi Nativitate fuit completum: videtur ergo, quod statim Circumcisio cessare debuerit, cùm veniente veritate cesset figura.

Respondeo ex S. Thoma citato art. 1. ad primum, *Quòd veritas hujus figuræ non fuit plenè impleta in ejus Nativitate, sed in ejus Passione, ante quam Circumcisio suam veritatem & statum habebat. Et ideo decuit, Christum ante suam Passionem, tanquam filium Abrahæ, circumcidi.*

Neque sequitur, quòd cùm omnis actio Christi sit nostra instructio, juxta illud Joann. 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, etiam nos debeamus circum-

cidi: nam respondeo ex S. Thoma ibi ad primum, in hoc nos debere imitari Christum, quòd, sicut ipse Circumcisionem eo tempore quo erat sub præcepto; ita & nos observare debemus ea, quæ nostro tempore sunt in præcepto, inter quæ non est ampliùs Circumcisio. Præterea, ut dicit Origenes homil. 14. in Lucam, *Sicut mortui sumus cum illo moriente, & consurreximus Christo resurgente; ita Circumcisi sumus spirituali Circumcisione per Christum; & ideo carnali Circumcisione non indigemus.* Et hoc est quod Apostolus dicit ad Colossenses 2. *Circumcisi estis Circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in Circumcisione Domini nostri Jesu Christi.*

VII. Si dicas secundò: Circumcisio erat ordinata in remedium originalis peccati: quomodo ergo decuit, Christum Circumcidi, qui ab omni etiam originali peccato immunis erat?

Respondet S. Thomas ibi ad tertium: *Quòd sicut Christus propria voluntate mortem nostram suscepit, quæ est effectus peccati, nullum in se habens peccatum, ut nos à morte liberaret, & spiritualiter nos faceret mori peccato: ita etiam Circumcisionem, quæ est remedium originalis peccati suscepit, absque hoc quòd haberet originale peccatum, ut nos à legis jugo liberaret; & ut in nobis spiritualem circumcisionem efficeret, ut scilicet suscipiendo figuram, impleret veritatem.*

VIII. Neque inferas, quòd sicut, qui Sanguinem ejus in Passione quamvis à se volita fuderunt, gravissimè peccarunt; ita etiam peccassent, qui ejusdem Sanguinis primitias in Circumcisione, quamvis à se volita, effudissent. Nam diversa multùm est ratio inter unam, & alteram actionem. Quia actio illa ministrorum Passionis Christi, ut ab ipsis prodibat, erat sacrilega & injuriosa Christo, & ideo quamvis vellet Passionem, actionem tamen illativam Passionis permittebat quidem, sed non volebat. Sed actio Ministri Circumcisionis religiosa erat & bona, quia implens id, quod erat à Deo præceptum: ideoque Christo erat voluntaria, non solùm ut passio, sed etiam ut actio.

§. III.

De Loco, & Ministro Circumcisionis.

IX. COrrigendus est hic duplex error, qui solita Pictorum licentiâ communiter invaluit. Unus est, quòd Christus fuerit circumcisus in Templo. Alter quòd Minister fuerit Sacerdos, aut etiam Summus Sacerdos.

X. Quoad

X. Quoad primum ergo dico; Christum non fuisse circumcisum in Templo, aut Synagoga, sed in antro Bethlehemitico, ubi natus erat. Et probo primò: quia Circumcisio Christi secundùm ritum Judaicum facta esse credenda est, cùm ex Evangelio nihil contrarium colligatur; ritus autem Judaicus non erat, ut in Templo aut Synagogis fieri deberet, sed in privatorum domibus, aut alio quocumque libero loco, in quem cognati & amici convenirent. Proinde Abraham; cui primò lex Circumcisionis data est, & qui primus eam implevit, domi circumcisus est, & ipse filium & vernas omnes domi circumcidit, ut colligitur ex Genes. 17. v. 26. & 27. Sephora filium suum circumcidit in diversorio; Populum circumcidit in castris Josue 5. v. 3. & 8. Quomodo autem totus Populus in uno Templo concludi poterat, ut ibi circumcideretur? Addo, quòd nec Abrahæ temporibus, nec postea ullum erat Deo extructum Templum: cùmque extructô postea à Salomone Templô, nulla legatur lex de Circumcisione in Templo peragenda, credendum est, ritum antiquum eam in quocumque loco liberè perficiendi continuasse. Cùm præsertim Deus Gen. 17. solum præceperit Abrahæ tempus, quo deberet fieri, nempè octavo à Nativitate die, v. 12., nihil dicens de loco; credere par est, illum liberum reliquisse.

XI. Probo secundò ex Circumcisione Joannis Baptistæ. Hæc extra dubium domi peracta ostenditur, cùm ei præsens adesset mater ejus, quæ cognatis *Zachariæ* nomen puero imponere volentibus, dixit: *Nequaquam; sed vocabitur Joannes* Lucæ 1. v. 59. & 60. Hæc autem cum esset octo dumtaxat dierum puerpera & vetula; domo exire non poterat, ut in Templum seu Synagogam se conferre posset. Imo ex præscripto legis per alios triginta tres dies in sanguine purificationis suæ manere tenebatur, intra quos ad Sanctuarium accedere prohibebatur Levit. 12. v. 4.: ex quo fit, ut si Circumcisio in Templo, aut loco sacro fuisset peragenda, nunquam mater ei adesse potuisset: quod falsum esse constat, cùm ex dicendis Ministra Circumcisionis etiam mater infantis esse posset, ut ex dictis etiam patet in Sephora.

Neque contrarium eruitur ex eo, quòd Lucæ 1. v. 59. dicatur: *Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum*; nemo autem in domum suam venire dicitur. Non enim ibi dicuntur venisse Zacharias & Elisabeth parentes Joannis, sed cognati & vicini, de quibus dicitur: *Et vocabant eum nomine Patris sui Zachariam* (qui propterea à Joannis parentibus reprehensi sunt) &

qui in domum Zachariæ venerant, ut Circumcisioni Joannis ibi faciendæ præsentes essent.

XII. Probo tertiò ex ipsa Circumcisione Christi: ait enim Lucas c.2. v.22., quòd non fuit ductus in Jerusalem sistendus in Templo, nisi die à nativitate quadragesimo: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundùm legem Moysi tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent cum Domino*. Quòd si puerum Jesum occasione Circumcisionis tulissent in Templum, Lucas non tacuisset. Relinquitur ergo, quòd fuerit circumcisus, ut moris erat, alibi quàm in Templo. Et quia non apparet, parentes ejus reliquisse Bethlehem usque ad quadragesimum diem, fit, ut ibi, & etiam in eadem spelunca, in qua natus erat, fuerit circumcisus. Unde S. Epiphanius hæres. 20. *Natus est*, inquit, *in Bethlehem, circumcisus in spelunca, oblatus in Jerusalem, in ulnas acceptus à Simeone*. Et in Evangelio Infantiæ (quamvis apocrypho) dicitur: *Cumque adesset tempus Circumcisionis, dies scilicet octavus, quo circumcidendum esse puellum lex præcipit, circumcidunt illum in spelunca*. Nicephorus autem L. 1. histor. Eccles. c. 12. dicit: In die octavo, Dominico scilicet, circumciditur in Bethlehem in domo Josephi, ubi nimirùm hospitabatur, propriam enim domum Joseph in Bethlehem Judæ non habebat, sed in Nazareth Galilææ. Communiùs tamen creditur, in eodem loco, in quo natus est, Jesum fuisse circumcisum, vel saltem in diversorio speluncæ contiguo, nec ab eo usque ad diem Purificationis parentes ejus recessisse.

XIII. Quoad secundum, nempè quis fuerit Circumcisionis Christi Minister, certum est, eum non fuisse Sacerdotem, & minùs summum Sacerdotem. Circumcisio enim Ministerium Sacerdotale non erat, imo nec Leviticum, sed merè Laicum. Regulariter enim illud Patresfamilias obibant; sic Abraham, qui primus Circumcisionis Minister fuit, omnes suæ familiæ masculos, jubente Domino circumcidit, ut dixi, Gen. 17. v.23. & c.21. v.4. circumcidit Isaac filium suum; quod repetitur in Act. Apost. c. 7. v. 8. Josue etiam c. 5. v. 3. circumcidit filios Israel, qui nati erant in deserto. Et quamvis non sit credibile, quòd ipse propria manu totum illum Populum circumciderit, cùm tamen in tali actu nulla fiat mentio Sacerdotum, aut Levitarum, probabile est, eum delegasse alios etiam Laicos.

Verùm quid dubitamus, cùm etiam fœminæ ad omnem Leviticam actionem ineptæ, in supplementum virorum filios suos circumciderint? De Sephora uxore Moysis legimus Exodi 4.v.25. quòd cùm Angelus ei comminatus fuisset, quòd filium

non

non circumcidisset : *Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui*. Idem legitur L. 1. Machab. c. 1. v. 63. quod *Mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundùm jussum Regis Antiochi*, & L. 2. c. 6. v. 10. duæ mulieres, quæ delatæ fuerant circumcidisse filios suos, fuerunt per muros præcipitatæ. Cùm ergo Christus in sui Circumcisione voluerit per omnia ritum & morem Judaicum servare, qui erat, ut parentes si adessent, hoc ministerio fungerentur; ita servari voluisse dicendum est.

XIV. Porrò quis ex parentibus hoc ministerio circumcidendi Christum functus sit, an Maria Mater, an Joseph, incertum est. A Maria fuisse circumcisum scribunt, Auctor Libri de vera Circumcisione inter apocrypha Hieronymi tom 5. edit. Maurinæ : Christus *octavo die circumciditur a Matre utique*: & Auctor libelli de Lamentatione Virginis inter Apocrypha D. Bernardi : *Virgo Christum genuit, lactavit, & octava die circumcidit.* At hæc spuria sunt, omnique auctoritate vacua. A Josepho circumcisum fuisse Christum, probabilius censet Serry cum aliis Recentioribus. Moventur ex S. Ephræm Syro Serm. de Transfigurat., ubi trahens argumentum, Christum habuisse veram carnem ex eo, quòd fuit circumcisus, ait : *Si non erat caro, Joseph quem circumcidit?* Cùm enim in Veteri Lege capita familiarum pro more hoc ministerio fungerentur, mulieres verò nonnisi absentibus viris, & urgente necessitate; & Joseph, etsi non esset verus Christi pater, quia tamen illius familiæ caput erat, & patris nomen apud homines gerebat, credibile est, B. Virginem, ne à more gentis recederet, hoc ministerium Josepho commisisse.

Ut ut res fuerit, certum est, ex lege liberum parentibus fuisse, sive per se, sive per alios hoc Sacramento puerum initiare. Imo non desunt qui velint, Christum fortè nec à Maria, nec à Joseph fuisse circumcisum, sed ab alio ad hoc deputato, nempe ab uno ex illis, qui constituti erant Circumcisionis Ministri : & hoc ne ob imperitiam in incidendo damnum aliquod pueri vitæ eveniret. Existimant ergo hi, extitisse in singulis Civitatibus & Villis proprios Ministros à Principibus Sacerdotum destinatos, qui de ortu alicujus pueri admoniti, ad domum octavo die veniebant eum circumcisuri, de quibus intelligi potest illud Lucæ 1. v. 59. *& factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum*. Ita ex Sylvio in 3. p. q. 37. ad artic. primum. Ex his apparet, certò statui non posse, quis fuerit Circumcisionis Christi Minister.

XV. Quo

XV. Quo autem instrumento circumcisus fuerit Christus; an cultro lapideo an ferreo, ignoratur. Cultros lapideos fuisse in Circumcisione olim adhibitos, certum est. Nam Exodi 4. v.25. habetur: *Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui*: & Josue 5. v.2. visus est Deus id præcepisse Josue: *Eo tempore ait Dominus ad Josue, fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundò filios Israel*. Hosce enim cultros lapideos, seu lapides in cuspide acutos, ferunt, aptiores esse æneis ac ferreis, eò quòd noxiam vulneris inflammationem non pariant. Nec sanè aliter fieri posse citra valetudinis periculum credebatur. Unde Plinius lib.25. cap.12. ait: *Samiâ testâ... virilitatem amputabant, nec aliter citra perniciem*: & Juvenalis Satyra 6. *Mollia qui ruptâ fecuit genitalia testâ*: quibus patet, cultros lapideos ob eundem vitandi periculi finem in usu fuisse etiam apud exteras Gentes. Verùm cum de hoc nullum appareat in Lege præceptum, maximè quia Deus, præcipiens Abrahæ Circumcisionem, nihil de instrumento loquutus est Gen. 17. sed solùm dixit v.11. *Circumcidetis carnem præputii vestri*; nec quo instrumento usus fuerit Abraham, legitur ibi v.24. & 26.: propterea existimatum fuit, liberum esse, uti cultro sive lapideo, sive æreo aut ferreo. Unde Petrus Comestor Historia Scholastica in Exodum cap.10. ait: *Et hinc* (à facto Sephoræ) *volunt quidam, morem circumcidendi petrinis cultellis habuisse principium, vel à Josue in Galgalis. Tamen ubi nos habemus* petram, *Hebræus habet* aciem: *unde & Judæi novaculis circumcidunt. Fabulantur quidam Hebræi, usque ad David Circumcisionem factam per petram: sed quia in dejiciendo Goliam ferrum loricæ & galeæ cessit lapidi jacto, quasi dans ei locum, deinceps cessit lapis ferro in Circumcisione*. Sed huic judaicæ fabulæ quis fidem præstet? Hoc utique constat, Judæos hodie, & ab ætate immemorabili, novaculâ circumcidere, ipsâque Josephi ætate ministerium Chirurgorum in eam rem adhibebatur: unde refert ipse lib. 20. Antiquit. cap.2., quòd Izates Rex Adiabenorum, cum Judaicis sacris sese initiari vellet, à Chirurgo in cubiculum accito circumcisus fuit. Quem verò ritum servent in Circumcisione hisce temporibus Judæi, tradit Leo de Modena, & videre studiosus poterit apud Calmet in Dictionar. Verbo *Circumciso*.

*****
***

§.IV.

§. IV.

De Præputio D. N. Jesu Christi.

XVI. Duo hìc quæri solent: Unum, an Præputium seu pellicula illa, quæ à Christi pueri corpore in Circumcisione fuit elisa, adhuc in terris perseveret: Alterum, ubi modò asservetur.

Quoad primum Aliqui putant, quæstionem hanc perantiquam esse, cùm de ea aliquid legerint in Commentariis super Lucam Titi Bostrorum Episcopi, qui sub Juliano Apostata & Joviano floruit, obiitque sub Valente Imperatore anno 365., ut scribit S. Hieronymus de Script. Ecclesiasticis. Sed advertere debuissent cum Bellarmino, & aliis, qui de Script. Ecclesiast. tractarunt, dicta Commentaria in Lucam esse non posse hujus Titi, quia horum auctor passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, & Pelusiotam, qui adhuc pueri erant, cum Titus Bostrensis moreretur. Non ergo à Patribus, sed à Recentioribus Theologis excitata controversia ista est; ex eo moti, quòd cùm Christus integro suo corpore resurrexerit, & quòd semel Verbum in Incarnatione assumsit, nunquam dimiserit, censent in Resurrectione etiam Præputium assumsisse, & secum in cœlos asportasse; ideòque difficilè videri, quòd in terris remanserit.

XVII. Quapropter aliqui, inter quos Theophylus Raynaudus lib. 2. de Christo sect. 3. cap. 3. opinantur, Christum tempore quo resurrexit, effomasse sibi ex alia quapiam materia Præputium, sibique aptasse; adeòque & extare etiamnum Præputium Christi in terris, & suo quoque præputio instructum esse Corpus Christi in cœlis. Sed quàm hoc sit absonum, nemo non videt. Si enim non suo, sed alieno auctum præputio Corpus Christi resurrexit, non ergo integrum resurrexit: sicut si Corpus, cui in morte abscisa fuit manus, in resurrectione non eandem manum, sed alienam resumeret, non resurgeret integrum; nec verificaretur axioma: *Quod semel assumsit, nunquam dimisit*; nam assumsisset Præputium, quod tamen dimisisset. Demum nonne absonum est, Christum sibi alienum fingere præputium, ut proprium relinquat in terris, si proprium ad integritatem sui corporis pertineat?

XVIII. Sylvius in 3. p. q. 54. ad art. 2. supponit ex doctrina S. Thom. in Suppl. q. 80. art. 5., & lib. 3. contra Gentes c. 81.

mon

non esse necessarium ad unitatem & integritatem corporis resurgentis, ut omnes partes materiales corporis ex eisdem partibus materiæ constent, quibus antea constabant; sed satis esse, quòd totum constet ex eadem materia tota; & ad majorem perfectionem sufficit, ut partes principales & organicæ sint omnino eædem, & ex eadem materia. Quòd verò aliqua pars materiæ subinde suppleatur ex alia materia, nihil officit perfectioni resurgentis, præsertim si hæc fuerit aliquando pars materialis ejusdem Corporis. Sic igitur dici potest, Corpus Christi resurgens habere præputium formatum ex aliqua parte materiali, quæ aliquando fuerat in suo Corpore, sed per continuam actionem caloris resoluta; particulam verò, quæ in Circumcisione fuerat abscisa, relictam esse in terris ob Fidelium devotionem. Hæc opinio Sylvii probabilis est, eò vel maximè, quia salvat, Christum in Resurrectione præputium resumsisse, non ex aliena, sed ex materia, quæ aliquando fuit pars ejusdem corporis; quod ad identitatem partis non organicæ nec principalis Corporis, quale est præputium, sufficere potest.

XIX. Verùm cum aliis fortè verius dici potest, Christum in Resurrectione præputium non resumsisse, quia ad integritatem corporis ejus non spectabat, & idcircò in terris etiam nunc asservari. Præputium enim seu pellicula, quæ in Circumcisione cæditur, ad integritatem humani Corporis non spectare, ex eo mihi persuadeo, quòd alioquin corpora Hebræorum & aliorum, qui Circumcisionis Ritum servant, ab integritate deficerent, & Deus præcipiendo Circumcisionem reddidisset corpora humana minùs integra, sed manca, quòd non videtur dicendum; conditio enim requisita vi Religionis non imperficit naturam. Cum ergo Christus in Circumcisione voluerit se ostendere filium Abrahæ, & virum Judaicæ Legis professorem, ex incisione Præputii nullum Corporis ejus integritas passa est detrimentum.

XX. Quod confirmo primò. Certum est, Christi Corpus post Resurrectionem retinuisse Vulnerum Cicatrices, nedum visibiles, sed & tangibiles, nimirùm cum foraminibus & cavitatibus à clavis impressis: unde Joan. 20. ut corrigeret Thomæ incredulitatem, ostendit ei adstantibus aliis Apostolis manus & latus, dicens v. 27. *Infer digitum tuum hùc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Unde manibus & pedibus ejus deerant post Resurrectionem aliquæ carnis particulæ, quæ priùs ea foramina impleverant. Sicut ergo absque læsione integritatis Corporis sui retinuit vulnerum cicatrices in signum reportati triumphi; cur non decuit, ut vestigium susceptæ olim

Cir-

Circumcisionis, levissimam scilicet cicatricem retineret ex præputii incisione relictam, in signum susceptæ carnis ex Abrahamo?

Secundò, quamvis particula illa præputii, etsi exigua, ad integritatem Corporis humani nudè sumti spectare videatur, non tamen considerati ut Religione Judaica Deo dicati; sic enim potiùs pars excrementitia reputanda est, quæ ad munditiem corporis resecatur. Ut enim ait S. Thomas 3.p. q.37. art.1. ad 1. *Circumcisio per remotionem carnalis pelliculæ in membro generationis facta significabat spoliationem vetustæ generationis.* Et ideò sicut Christus resurgens non assumsit capillos, ungues, humores, quos decursu vitæ suæ natura expulerat, quia partes excrementitiæ erant, ita nec præputium.

Tertiò, corpus Adæ fuit integrum, quamvis una ex costis, ex qua formata fuit Eva, ei deficeret, quia, ut docet S. Thomas 1.p. q.92. a.3. ad 2., *Costa illa fuit de perfectione Adami, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat principium speciei.* Simili ergo ratione Corpus Christi fuit integrum, quamvis ei deesset præputium, quia etsi præputium sit de integritate Corporis humani nudè spectati, si verò attendamus Corpus ut viri Judæi est, quod Deus voluit sine præputio esse; præputium reputatur ut particula superflua, & quasi excrementitia ad corporis munditiem resecanda; ideòque apud Judæos omnes incircumcisi reputabantur immundi. Quare Corpus Christi sine præputio resurgens resurrexit integrum ac perfectum.

XXI. Secunda verò pars, ubi Præputium Christi modò asservetur, nec plenè constat, nec ab Ecclesia fuit hactenùs declaratum. In Evangelio *Infantiæ* narratur, quòd *Circumciderunt illum* (Christum) *in Spelunca, sumsitque Anus illa* (quam dixerat à Joseph vocatam, ut esset Mariæ parienti obstetrix) *Hebræa pelliculam istam* (dicunt verò alii, ipsam sumsisse præsegmen umbilici) *eamque in alabastro olei nardini vetusti recondidit: erat autem illi filius seplagiarius* (idest aromatarius seu unguentarius) *cui tradens illud, cave, inquit, ne vendas alabastrum hoc unguenti nardini, quamvis trecenti denarii pro illo tibi offerrentur. Atque hoc est alabastrum illud, quod Maria peccatrix sibi comparavit; Et in caput & pedes Domini Nostri Jesu Christi effudit, eosque capillitio capitis sui exterst.* Narratio hæc undique scatet fabulis, ideòque irridenda.

XXII. Certum tamen est, de hac re nihil certi statui posse; unde solùm varias de ea opiniones referemus. Sunt ergò qui narrant, Præputium Domini fuisse ab Angelo delatum ad Caro-

lum Magnum, qui illud primò Aquisgrani in Ecclesia S. Mariæ collocavit, ut Fidelium devotioni pateret, dein Carosium transtulit, ac tandem Romam fuisse asportatum, ubi in Lateranensi Ecclesia, & Loco *Sancto Sanctorum* appellato, religiosissimè custoditur. Attamen S. Birgitta lib.6. Revelat. cap.112. sibi à Virgine Deipara revelatum scribit, illud idem quod in Sancto Sanctorum reconditum erat, fuisse à milite in direptione Urbis anno 1527. furto sublatum, & ab eodem delatum in Pagum Agri Romani dictum *La Calcata*: & postea fuisse iterùm translatum Romam in Ecclesiam SS. Cornelii & Cypriani. Quòd idem prodidit Cardinalis Toletus Annot. 31. in cap.2. Lucæ. Alii verò quòd ex Pago illo *La Calcata* iterùm fuerit delatum Romam, & denuò in loco illo dicto Sancto Sanctorum collocatum, & ibi adhuc asservetur.

Eodem thesauro Antuerpienses gloriantur, quem ante annos ampliùs sexcentos illùc Hierosolymis fuisse transmissum, autumant, ab Henrico Noesio Regii Sacelli Præfecto, dum in Terra Sancta regnaret Godefridus de Buillon. Ita Bollandus tom.1. de Actis Sanctorum. Postmodùm tamen sub anno 1556. Templis, Sacrariis, Lipsanothecis immani Calvinistarum furore direptis, deperditum esse. Franciscus Costerus Meditat.4. dicit, servari Parisiis; Joann. Gersonius serm. in festo Paschatis habito servari Brugis asserit; Bellerophontius lib. 1. Cosmographiæ quondam servatum monet in celebri Abbatia Carosolii, sed inde à Cælvinianis ereptum circa finem seculi XVI.; Odo Gissæus l.1. Hist. Anicienses cap.17., & alii cum ipso, Anicii usque ad hanc diem servari dicunt. Quis verò in tanta narrationum diversitate & pugna litem dirimere & statuere poterit, ubi verè Præputium Christi asservetur?

XXIII. Scio tamen, id conatos fuisse aliquos componere. Vindelinus enim in Supplem. Gabrielis in 4. dist.44. q.1. vult, minutulas ejusdem præputii particulas in memoratis Urbibus asservari. Sed hoc præputii exiguitas, quòd vix minimæ ungulæ humanæ latitudinem æquat, minimè patitur. Dices autem, cum aliis, Præputium Christi esse divinitùs in præfatis locis replicatum, ut devotioni Fidelium fieret satis; vel saltem multiplicatum, ut de Ligno S. Crucis inter alios scribit S. Paulinus Epistol.31. olim 11. ad Severum dicens: *Quæ quidem Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidiè hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permanet, dividua fumentibus, & semper tota venerantibus* &c. ex quo Cyrillus Hierosol. Catech. 10. colligit

ligit Christi Divinitatem; Cur ergo idem dici non poterit de Præputio Christi Corpori magis conjuncto?

Sed hoc est fingere sibi miracula absque ullo fundamento. Dicere enim, Præputium Christi esse in pluribus illis locis divinitùs per replicationem, est incidere in quæstionem, an idem Corpus circumscriptivè possit in pluribus locis divinitùs simul esse, quod Schola S. Thomæ possibile esse negat. Sed dato etiam, ut volunt alii, hoc esse divinitùs possibile, imo & in aliquibus evenisse, hoc fuit ad breve tempus, non per continuatam etiam per plura secula in pluribus locis replicationem præsentiæ ejusdem corporis, ut fingunt isti de Præputio Christi. Quòd verò sit in pluribus illis per multiplicationem ad eum modum, quo particulæ ligni Crucis, divinitùs possibile esse, non nego; sed an reverâ hoc factum fuerit, unde probant? Factâ divisione ligni Crucis in particulas, lignum Crucis absque diminutionis detrimento permansisse, docent Patres laudati, factæ divisioni coævi, & piè credimus: at de Christi præputio, quo documento, vel cujus auctoritate probatur, fuisse divisum in particulas; & insuper ex facta divisione nullum detrimentum passum fuisse? Certè vel totum Christi Præputium in uno ex dictis locis, vel in aliquibus minimam ejus particulam asservari, non negaverim; sed in quo, aut in quibus, cum Ecclesia nil de hoc statuerit, solus Deus novit. Concludam ergo cum Innocentio III., qui lib 4. de Mysteriis Missæ cap. 30. ita scribit: *Quid de Circumcisione Præputii vel Umbilici præcisione dicitur? An in Resurrectione Christi similiter rediit ad veritatem humanæ substantiæ? Creditur enim in Lateranensi Basilica reservari; licèt à quibusdam dicatur, quòd Præputium Christi fuit è Jerusalem delatum ab Angelo Carolo Magno, qui transtulit illud & posuit Aquisgrani; sed post à Carolo Calvo positum est in Ecclesia Salvatoris apud Carosium. Melius tamen est Deo totum committere, quàm aliud temerè definire.* Ita Innocentius Romanus Pontifex.

§. V

De Festo Circumcisionis, num antiquum?

XXIV. Kalendæ Januarii solemnes olim Romanis fuere; in iis enim novi Consules Magistratum inibant, & novus annus inchoabatur. At Christianis, quia primitiis sanguinis à D. N. Jesu Christo in Circumcisione effusi consecratæ ac nobiliori purpura illustratæ, sacrosanctæ sunt redditæ. At verò

rò ſicut eas celebrandi diverſa fuit ratio Gentilibus, ac Chriſtianis : ita diverſus, imo & contrarius fuit ritus & colendi modus utriſque. Sicut enim illi multiplicatis Diis ſuis profanis ſacrificiis, auctis ſuperſtitionibus, indecoris corporis motibus choreas ducentes, dapium publicarum ingluvie, nefandis cruentiſque ſpectaculis fœdabant potiùs eas, quàm colebant : ita iſti contra ſummâ eas ſanctitate, ac animi puritate tranſigere ſtudebant, atque ut illorum vincerent impietates, ac in Deum injurias in ſe ipſis quodammodo vindicarent, carnem indictis jejuniis caſtigabant, & Litaniis quibuſdam & oblationibus offenſum Deum placare ſatagebant. Hinc S. Ambroſius ſerm. 17. de Kalendis Januariis : *Ergo*, inquit, *Fratres, omni ſtudio Gentilium feſtivitates & ferias declinemus, ut quando illi epulantur & læti ſunt, tunc nos ſimus ſobrii atque jejuni ; quò intelligant lætitiam ſuam noſtrâ abſtinentiâ condemnari*. Et S. Auguſtinus in Pſal. 98. *Per iſtos dies ad hoc jejunamus, ut quando ipſi lætantur, nos pro illis gemamus*. De jejunio celebrari ſolito eo die ab Eccleſia agit Ordo Romanus cap. 20., & Albinus Flaccus de Divin. Offic. cap. 4. ; Litanias etiam ea die celebrandas Sanctos Patres ſtatuiſſe, teſtatur Synodus Turonenſis 2. Can. 17., de quo infra. Perduravit ejuſmodi religioſus Ritus in Eccleſia quouſque Gentilium ſuperſtitio permanſit, quâ demum abolitâ, Eccleſia ſpiritali gaudio exultans lætitiam ſumſit pro luctu. Verùm quia pravi fructus, quamvis ſemel exciſi, adhuc pullulare non deſinunt, mirum eſt, quantum inſudarint Patres, ut infauſtos palmites iterùm inſurgentes radicitùs evellerent, & Gentilitatis Reliquias à Chriſtianis extirparent. Hùc tendunt relata Ambroſii verba, & Auguſtini, qui etiam Serm. 198. (olim 7. ex Sirmondianis) ita invehitur : *Acturus es celebrationem Strenarum ſicut Paganus, luſurus aleâ, & inebriaturus te ; quomodo aliud credis, aliud ſperàs, aliud amas ?* Et infra : *Ut ergo ſequaris Redemtorem tuum, qui te redemit Sanguine ſuo, noli te inſerere Gentibus ſimilitudine morum atque factorum. Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſynas. Avocantur illi cautionibus luxuriarum, avocate vos ſermonibus Scripturarum : currunt illi ad Theatrum, vos ad Eccleſiam : inebriantur illi, vos jejunate. Si hodie non poteſtis jejunare, ſaltem cum ſobrietate prandete*. Quantùm laborarint Patres, ut hæc Gentilitatis ſemina à Chriſtianis in Kalendis Januarii tollerent, quidque ſtatuerint Concilia & Pontifices, videre poterit Studioſus apud Baronium in Notis Martyrologii ad Kalend. Januarii.

XXV. Solùm quia inter cetera, quæ Kalend. Januarii à Paganis celebrabantur, nominantur *Strenæ*, placet quid hæ eſſent, & un-

& unde haberent originem, exponere. *Strenæ* ergo dicebantur à quadam Dea *Strenua*, sive *Strenia* nuncupata, cujus auspiciis strenuitatem in agendo se acquirere existimabant: unde à *Strenua Strenui* dicebantur, teste S. Augustino lib.4. de Civit. Dei cap. 16. Ex hujus Deæ Luco Kalendis Januarii viris strenuis mittebantur verbenæ, seu rami vel frondes felicis arboris, nimirùm huic Deæ consecratæ; qui deinde aliis in testeram strenuitatis offerebant. Hinc dictæ *Strenæ* seu munera, quæ dabantur anni initio, sive boni ominis, sivè liberalis compensationis gratiâ; quæ hodie Romæ valdè in usu, ne dicam in abusu sunt, vulgò dictæ *Mancie*, de quibus Macri in Hierolexico V. *Strena*: contra quas velut Gentilitatis reliquias, & scandalum apud exteras Nationes parientes, declamat. Sed hæc ad rem nostram non sunt.

XXVI. Ad Festum ergo Circumcisionis, ejusque Antiquitatem accedendo, dico, jam colligi ex supra relatis Patrum increpationibus, eos indignum reputasse, quòd Christiani, qui eo die primitias Redemtionis in octava Nativitatis, & die Circumcisionis Domini celebrare deberent, eas Gentilium profanitatibus contaminarent. Unde Petrus Chrysologus serm. 155. hanc Christianorum insaniam deflens: *Vbi*, inquit, *nostram Christus piè Natus est ad salutem, mox Diabolus Divinæ bonitati numerosa genuit & pernicioſa portenta*. Estò autem, ut notat Baronius citatus in Notis ad Martyr., in antiquis Manuscriptis Festum hoc titulo tantùm Octavæ Nativitatis Domini prænotetur; quia tamen eodem die Festum Circumcisionis Domini præcipuè colebatur, inde factum est, ut etiam Circumcisionis Dominicæ nomine insignitus legatur. Sic in Concil. Turonensi II. anno 567. celebrato Can. 15., ubi agitur de Jejuniis, statuitur, ut jejunetur in triduo illo, *quo ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & horâ octavâ in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur*. Quibus celebritatem Circumcisionis ut jam à Patribus statutam proponit. Quod tacitè indicant Concilia, Antisiodorense Can. 1. anno 578., & Romanum sub Zacharia anno 743. Can. 43., dum Christianis vetant Kalendis Januarii Gentilium profanitatibus se immiscere. Quibus addo Sacramentarium S. Gregorii Kalendis Januarii, in quo licèt, ut notant PP. Maurini, hoc Festum non à Circumcisione sed ab Octavis Domini nomen accipiat, assignatur tamen Evangelium de Circumcisione *Postquam consummati sunt* &c., & in Benedictione, Circumcisionis fit mentio his verbis: *Omnipotens Deus*

Deus, cujus Unigenitus hodierna die, ut Legem solveret, quam adimplere venerat, corporalem susceptit Circumcisionem &c. Hujus etiam in Præfatione fit mentio his verbis: *Cujus hodie Circumcisionis diem, & Nativitatis octavum celebrantes* &c. Scio, ab aliquibus reponi, in aliis Codicibus verba, quibus Circumcisionis fit mentio, non haberi: sed, ut notat Baronius citato loco, in Codice Vaticano, cui potiùs standum est, leguntur. Quibus omnibus Antiquitas festi Circumcisionis apertè demonstratur. Addo tamen, quòd eodem die in Kalend. Romano notabatur *Natale S. Mariæ*, qua ratione etiam nunc Festi Circumcisionis Officium magna ex parte ad B. Virginem pertinet. Unde Durandus in Rationali lib. 6. cap. 15. testatur, usque ad suam ætatem seculo 13. consuevisse duas Missas solemnes ea die celebrari, unam de Circumcisionis Mysterio, alteram de S. Maria.

XXVII. Contra antiquitatem Festi Circumcisionis opponi potest. Primò, quòd Theodosius Imperator lib. 2. Cod. de feriis enumerans dies festos, in quibus non licebat actus juridicos agere, Festi Circumcisionis non meminit. Secundò, S. Chrysost. Orat. de B. Philogonio de hoc festo nihil dicit, cum tamen alia recenseat. Tertiò, Concilium Agathense celebratum anno 506. de Festo Circumcisionis tacet, quamvis alia enumeret: & idem silet Isidorus Hispalensis lib. 1. de Officiis Ecclesiæ cap. 25. & 26.

XXVIII. Ad hæc, primò peterem ab opponente: si Festum Circumcisionis non est antiquum in Ecclesia, dicat mihi, à quo fuerit primò institutum: quòd si hoc non ostenderit; cùm illud ex dictis inveniam semper observatum, ejus antiquitas mihi certa remanebit. Ad primum tamen respondeo, opponendo aliam Legem Valentiniani, Theodosii & Arcadii, relatam in Cod. Theodosiano Lege *Omnes* cap. de feriis, in qua dicitur *Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus*. Ad secundum dico, S. Joannem Chrysostomum ibi proponere Festum Natalis Christi ut fundamentum aliorum Festorum, quæ de ipso celebramus; ait enim: *Ab hoc Festum Epiphaniorum, ac Sacrum Paschæ, Ascensio, & Pentecostes originem ac fundamentum ducunt. Nisi enim secundùm carnem natus esset Christus, nequaquam baptizatus esset; nam id festum Theophaniorum est* &c. Circumcisionis verò non meminit, quia cum sit octava dies Natalis, sub Natali tacitè comprehendit. Ad tertium dico, Concilium Agathense Can. 21. apertè loqui de diebus maximæ solemnitatis, in quibus vetat, celebrare Missas in Oratoriis in Agro positis. Unde ad summum sequitur, tunc non fuisse inter maximas solemnitates Festum Circumcisionis, & maximè inter illas,

illas, quæ cum lætitia & gaudio celebrabantur, cùm, ut supra diximus, in jejunio fletu & planctu, ut se opponerent profanitatibus Gentilium, Kalendas Januarii & proinde Festum Circumcisionis Veteres Christiani celebrarent; adeò ut ex Can. 10. Concilii Toletani vetitum esset ea die canere *Alleluja*. In hoc eodem sensu exponi potest S. Isidorus Hispalensis.

CAPUT X.

De Christi Nati Manifestatione.

§. I.

An Christi Nativitas debuerit Manifestari, Quibus, & Quomodo.

I. DE hoc agit S. Thomas 3.p. q. 36., ubi art. 1. quærit, an Nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.

Cui respondet negativè. Primò, quia per hoc impedita fuisset humana Redemtio, quæ per Crucem ejus peracta est, quia ut dicitur 1. ad Cor. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Quæ ratio intelligenda est de Manifestatione eo modo, quo fuit facta Pastoribus Simeoni & Annæ; nimirùm non solùm exteriùs per signa, sed etiam interiùs per fidem. Secundò, quia hoc diminuisset meritum Fidei, per quam venerat omnes justificare; si enim manifestis indiciis, Christo nascente, ejus Nativitas omnibus appareret, jam tolleretur ratio Fidei, quæ est *Argumentum non apparentium*, ut dicitur Hebr. 11. Tertiò, quia per hoc veniret in dubium veritas Humanitatis ipsius: unde Augustinus dicit Epist. 3. medò 137. ad Volusianum: *Si nullas ex parvulo in juventutem mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet somnos; nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum ullo modo suscepisse crederetur; & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit?*

Venturus est quidem omnibus manifestus ad Judicium; quia, ut docet S. Thomas ibi ad 3., *Ad judicium requiritur, quòd auctoritas Judicis cognoscatur; & propter hoc oportet, quòd adventus Christi ad judicium sit manifestus. Sed primus Adventus fuit ad hominum salutem, quæ est per Fidem, quæ quidem est de non apparentibus. Et ideò primus Christi adventus debuit esse occultus.*

II. Non tamen debuit adeò esse occultus, quin aliquibus ma-

manifestaretur, ut docet S. Thomas ibi art. 2. Pertinet en im ad ordinem Divinæ Sapientiæ, ut Dei dona & secreta Sapientiæ suæ non æqualiter ad omnes, sed immediatè ad quosdam perveniant, & per eos ad alios deriventur. Unde sicut de Resurrectionis Mysterio dicitur Act. 10. *Deus dedit Christum resurgentem manifestum fieri, non omni Populo, sed testibus præordinatis à Deo*: ita ejus Nativitas non debuit omnibus manifestari, sed aliquibus, per quos derivaretur notitia ad alios. Addit etiam S. Doctor ibi ad primum; quòd sicut fuisset in præjudicium Fidei, si omnibus nota fuisset, ut dictum est, ita si nulli nota fuisset. Sicut enim præjudicat Fidei quod est totaliter manifestum, ita quod est adeò occultum, ut à nemine cognoscatur, à quo possit testimonium audiri: *Fides enim est ex auditu* Rom. 10.

Nec satis erat, ut Mariæ & Joseph solis innotesceret; ut enim dicit ibi ad secundum, eorum testimonium cum esset domesticum, fuisset habitum ut suspectum circa magnificentiam Christi, cujus Maria erat Mater, & Joseph reputabatur Pater. Et ideò oportuit, ut aliis manifestaretur extraneis, quorum testimonium suspectum esse non posset.

III. Sed dices: nemo prudens manifestat id, ex quo turbatio nascitur & detrimentum aliorum; sed ex manifestatione Christi Nati secuta fuit turbatio in Herode & totâ Hierosolymâ, ut dicitur Matth. 2. Insuper cessit in detrimentum aliorum, quia ex hac occasione Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra, Matth. 2. Igitur non fuit conveniens &c.

Respondet tamen S. Thomas ibi ad 3. *Quòd turbatio subsecuta ex Nativitate Christi manifestata congruebat Christi Nativitati. Primò, quia per hoc manifestatur cœlestis Christi dignitas. Unde Gregorius dicit homil. 10. in Evang.* „ Cæli Rege natô Rex terræ turbatus est; quia nimirùm terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur „. *Secundò, quia per hoc figurabatur judiciaria Christi potestas. Unde Augustinus in quodam sermone Epiphaniæ (olim 30. de Tempore modò 200.)* „ Quid erit Tribunal Judicantis, quando superbos Reges cuna terrebat Infantis? *Tertiò, quia per hoc figurabatur dejectio regni Diaboli. Quia ut Leo Papa dicit in serm. Epiph.* (seu Auctor Op. imperf. in Matth. sub Chrysost. nomine homil. 2.) „Non tantùm Herodes in semetipso turbabatur quantùm Diabolus in Herode. Herodes enim terrenum hominem æstimabat, sed Diabolus Deum cognoscebat; & uterque regni sui successorem timebat, Diabolus cœlestem, sed Herodes terrenum: „ *Superfluè tamen, quia Christus non ve-*

ne-

nerat Regnum in Terra habere. Unde Leo Papa dicit ſerm.4. de Epiph.c.2. Herodi loquens,, Non capit Chriſtum Regio tua, nec Mundi Dominus poteſtatis tuæ Sceptri eſt contentus anguſtiis.,, *Quòd autem Judæi turbabantur, qui tamen magis gaudere debuerant, aut hoc eſt, quia ut Chryſoſt. dicit* (veriùs Auctor Op. Imperf. hom.2.),, de adventu juſti non poterant gaudere mali,, *aut volentes favere Herodi, quem timebant: Populus enim plus juſto favet eis, quos crudeles ſuſtinet. Quòd autem pueri ab Herode ſunt interfecti, non ceſſit in eorum detrimentum, ſed in eorum profectum: dicit enim Auguſtinus in ſerm. quodam de Epiphania* (modò 373. olim 66. de diverſis),, Abſit, ut ad liberandos homines Chriſtus veniens, de illorum præmio, qui pro illo interficerentur, nihil egerit, qui pendens in ligno, pro eis, à quibus interficiebatur, oravit.,, Hucuſque S. Thomas.

§. II.

De Convenientia Manifeſtationis.

III. NOn fuiſſe conveniens, ut Chriſtus per ſe ipſum Nativitatem ſuam manifeſtaret, oſtendit S. Thomas dictâ q. 36. art. 4., ne derogaretur Fidei Humanitatis. Unde oportebat ita manifeſtari Nativitatem Chriſti, ut demonſtratio Divinitatis illæſam relinqueret Fidem Humanitatis: & ad hoc ſuſcipere voluit in ſe, & exhibere hominibus nativitatem ſimilem infirmitati humanæ; relinquens, ut aliæ creaturæ Divinitatis ſuæ virtutem demonſtrarent.

Hinc rejiciendus eſt Auctor apocryphus Evangelii Infantiæ, narrans, Chriſtum infantem multa patraſſe miracula. Ut enim dicit S. Thom. ibi ad tertium ex Chryſoſtomo homil. 20. ſuper Joannem, Chriſtus non fecit ullum miraculum antequam aquam converteret in vinum, juxta illud Joann.2.v.11.,, Hoc fecit initium ſignorum Jeſus.,, *Si enim ſecundùm primam ætatem miracula feciſſet, non indiguiſſent Iſraelitæ alio manifeſtante eum; cùm tamen Joannes Baptiſta dicat Joan.1.*,, Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans,,. *Deceuter autem non incæpit facere ſigna in prima ætate; exiſtimaſſent enim, phantaſma eſſe Incarnationem; & ante opportunum tempus cruci eum tradidiſſent livore liquefacti.*

Non decuit ergo, ut Chriſtus adhuc infans miracula faceret: primò, quia voluit habere infantiam & pueritiam ſimilem infantiæ & pueritiæ aliorum hominum: ſecundò quia, ſi in pri-

mâ ætate miracula feciſſet, putaſſet Vulgus, phantaſma eſſe Incarnationem, vel livore perciti eum ante tempus cruci affixiſſent. Tertiò, quia etiam ad virilem ætatem perductus miracula, quæ faciebat, occultare conſueverat, & laudem fugere; unde iis, quos ſanabat, imponere ſolebat, ut nemini dicerent: quomodo ergo adhuc puer vel infans miracula edendo ſe manifeſtaſſet? Tandem ſi in ætate infantili ſe manifeſtaſſet miraculis, Iſraelitæ non indiguiſſent alio, qui eum manifeſtaret; cùm tamen Joannes Baptiſta dicat Jo. 1. *Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans.*

IV. Convenienter tamen elegit alios, quibus ſuam Nativitatem manifeſtaret, ait S. Thom. dicta quæſt. 36. art. 3. Quia, cùm ſalus, quæ erat futura per Chriſtum, neminem exciperet, ſed omnes prorsùs conditiones ſexus & ſtatus hominum comprehenderet, dicente Paulo Coloſs. 3. *In Chriſto Jeſu non eſt maſculus, & femina, Gentilis, & Judæus, ſervus & liber*; decuit, ut ejus Nativitas omnibus conditionibus hominum manifeſtaretur. Sic autem factum fuiſſe apparet quia de Paſtoribus & Magis dicit Auguſtinus ſerm. 32. de Tempore modò ſerm. 202. *Paſtores fuerunt Iſraelitæ, Magi Gentiles, illi propè, iſti longè; utrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt.* Magi fuerunt ſapientes & potentes, Paſtores autem ſimplices & viles. Manifeſtatus eſt etiam juſtis Simeoni & Annæ, & peccatoribus ſcilicet Magis, viris, & mulieribus; ut per hoc offenderetur, nullam conditionem hominum excludi à Chriſti ſalute.

Sed cur Chriſti Nativitas manifeſtata fuit potiùs Paſtoribus in Agro, quàm Sacerdotibus in Templo? Reſpondet S. Thom. dicto art. ad quartum ex Chryſoſtomo, quòd *Angelus manifeſtans Chriſti Nativitatem non ivit Hieroſolymam, non requiſivit Scribas & Phariſæos; erant enim corrupti, & præ invidia cruciabantur; ſed Paſtores erant ſinceri, antiquam converſationem Patriarcharum & Moyſis colentes.* Addit S. Thomas: *Per hos etiam Paſtores ſignificabantur Doctores Eccleſiæ, quibus Chriſti myſteria revelantur, quæ latebant Judæos.*

V. Convenienti etiam ordine manifeſtata eſt Chriſti Nativitas, ait S. Thomas dictâ quæſt. 36. art. 6. Nempe primò Paſtoribus ipſa die Nativitatis; deinde Magis tertiadecima die Nativitatis ejus; tertiò juſtis in Templo quadrageſimo die à Nativitate. Cujus ordinis ratio eſt, ait S. Thomas: *Quia per Paſtores ſignificantur Apoſtoli & alii credentes ex Judæis, quibus primò manifeſtata eſt fides Chriſti, inter quos* non fuerunt multi potentes, nec multi nobiles, *ut dicitur* 1. *ad Cor.* 1. *Secundò autem fides Chri-*

Christi pervenit ad plenitudinem Gentium, quæ est præfigurata per Magos. Tertiò autem pervenit ad plenitudinem Judæorum, quæ est præfigurata per justos: unde & in Templo Judæorum est eis Christus manifestatus.

Ne mireris tamen, quòd postremò Christus manifestatus sit justis ex Judæis, qui tamen expectabant; quibus priùs manifestari debuisset, quàm Magis Gentilibus, qui de Christo nihil sciebant. Nam ex doctrina S. Thomæ ibi ad primum dico, quòd Christus prùs se manifestare voluit illis, quorum plenitudo prior ventura erat ad fidem: & quia plenitudo Gentium figurata in Magis prior ventura erat ad fidem, quàm plenitudo Judæorum; ut enim dicit Paulus Rom. 9. v. 30. *Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem, quæ ex fide est. Israel verò sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit*: propterea Simeoni, etsi justo, etsi expectanti consolationem Judæorum, quia figura erat plenitudinis Judæorum, quæ ultimo loco ventura erat ad fidem, ultimo loco se manifestavit.

Attamen, quia *licèt plenitudo Gentium priùs intraverit ad Fidem, quàm plenitudo Judæorum, tamen primitiæ Judæorum præ-venerunt in Fide primitias Gentium; ideo Pastoribus priùs manifestata est Christi Nativitas, quàm Magis.* Ita S. Thomas ad primum.

VI. Convenienti demum modo, & unicuique congruo, se manifestavit Christus. Nam ut docet S. Thomas dictâ quæst. 36. art. 5. *Sicut manifestatio syllogistica fit per ea, quæ sunt magis nota ei, cui est aliquid manifestandum: ita manifestatio, quæ fit per signa, debet fieri per ea, quæ sunt familiaria illis, quibus manifestatur.* Quia ergo viris justis familiare est & consuetum interiori Spiritus Sancti instinctu edoceri absque signorum sensibilium demonstratione, scilicet per spiritum Prophetiæ; Ideò justis, scilicet Simeoni & Annæ manifestata est Christi Nativitas per interiorem instinctum Spiritus Sancti, secundùm illud Lucæ 2. v. 26. *Responsum acceperat* (Simeon) *à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini*, & v. 36. de Anna dicitur: *Et erat Anna Prophetissa* &c.

Alii verò corporalibus rebus dediti per sensibilia ad intelligibilia adducuntur. Et ideò Pastoribus & Magis, tanquam rebus corporalibus deditis, manifestata est Christi Nativitas per visibiles apparitiones. Quia verò ea Nativitas non erat purè terrena, sed quodammodo cœlestis, ideò per signa cœlestia utrisque Christi Nativitas manifestatur: Pastoribus quidèm tanquam Judæis, apud quos frequentes fuerant apparitiones Angelorum,

revelata est Christi Nativitas per Angelos; Magis autem, assuetis considerationi cœlestium corporum, manifestata est per signum Stellæ. Unde Chrysost. hom. 6. in Matth. *Per consueta*, inquit, *eos vocare voluit, eis condescendens.*

Aliam rationem, cur Pastores per Angelum, Magos verò per Stellam Christus monere voluit, dat S. Thomas ibi ex Sancto Gregorio Homil. 10. in Evang., nimirùm Judæis *tanquam ratione utentibus rationale animal, idest Angelus, prædicare debuit: Gentiles verò, quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum, non per vocem sed per signa perducuntur.* Unde etiam per Paulum dicitur 1. Cor. 14. v. 22. *Prophetiæ fidelibus datæ sunt, non infidelibus; signa autem infidelibus, non fidelibus.* Et addit, quòd sicut Dominum jam loquentem annuntiaverunt Gentilibus Prædicatores loquentes: ita Eum nondum loquentem elementa muta prædicaverunt. Sed de Stella, & Magis inferiùs sermo erit.

CAPUT XI.

De Magis Christi adoratoribus.

§. I.

De Stella, quæ Magos duxit.

I. REfert S. Matthæus c. 2. v. 1. *Cùm natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Super quæ examinabimus primò de Stella, quæ eos duxit: secundò cujus conditionis hi Magi fuerint: tertiò quot fuerint, & quo nomine: quartò unde venerint: quintò quo tempore advenerint: sextò per quam viam reversi fuerint, & tandem de Festo Epiphaniæ, seu Theophaniæ.

II. Circa primum, nempè Stellam. Contra Matthæum blaterabat Faustus Manichæus, quasi inducens Stellam in Christi Nativitate, *Genesiacum*, seu Genethliacum, potiùs scripsisset, quàm Evangelium; & hoc videtur esse erroris occasio quantùm ad illos: qui æstimant sidera nativitatibus hominum dominari.

Hanc calumniam depellit S. Augustinus l. 2. contra Faustum

ſtum c. 5. ,quem audire non pigeat. *Et nos quidèm*, inquit, *ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè vel malè vivitur, propter judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus: quantò minus illius temporalem generationem ſub aſtrorum conditione credimus factam, qui eſt æternus univerſorum Creator & Dominus? Itaque illa Stella, quam viderunt Magi, Chriſtò ſecundùm carnem natò, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur, nec eum ſubjiciebat imperio, ſed indicabat obſequio. Proinde non ex illis erat hæc ſtellis, quæ ab initio creaturæ itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt; ſed novo Virginis partu novum Sidus apparuit, quod miniſterium officii ſui etiam ipſis Magis quærentibus Chriſtum, cùm ante faciem præiret, exhibuit, donec eos uſque ad ipſum locum, ubi Dei Verbum infans erat, præeundo perduceret. Qui tandem Aſtrologi ita conſtituerunt hominum naſcentium fata ſub ſtellis, ut aliquam ſtellarum, homine aliquo nato, circuitus ſui ordinem reliquiſſe, & ad eum qui natus eſt perrexiſſe, aſſeverent? Sortem quippe naſcentis aſtrorum ordini colligari arbitrantur, non aſtrorum ordinem ob hominis nati diem poſſe mutari. Quapropter ſi ſtella illa ex iis erat, quæ in cœlo peragunt ordines ſuos, quomodo poterat decernere, quòd natus Chriſtus acturus erat, quæ natò Chriſto juſſa eſt reliquere quod agebat? Si autem, ut probabilius creditur, ad demonſtrandum Chriſtum, quæ non erat, exorta eſt, non ideò Chriſtus natus eſt, quia illa extitit, ſed ideò illa extitit, quia Chriſtus natus eſt. Unde ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſto, ſed Chriſtum Stellæ fatum fuiſſe diceremus. Ipſe quippe illi, non illa huic, naſcendi attulit cauſam*, &c. Hæc peracutè S. Auguſtinus, ex quo etiam S. Thomas 3. par. quæſt. 36. art. 5. ad tertium.

III. Quòd ſi aliquis quærat: quomodo à ſtella illa edoceri poterant Magi, Chriſtum eſſe natum? Numquid ſtella illa voce loquebatur?

Reſpondet S. Thomas citato locò ad quartum, quod circa hoc variæ ſunt opiniones. Auctor Operis Imperf. ſupra Matth. apud Chryſoſt. homil. 2. ex quibuſdam apocryphis refert, quòd *quædam gens in extremo Oriente juxta Oceanum Scripturam quandam habebat ex nomine Seth de apparitura hac ſtella, & muneribus hujuſmodi offerendis; quæ Gens diligenter obſervabat hujus ſtellæ exortum, poſitis exploratoribus duodecim, qui certis temporibus de nocte aſcendebant in Montem, in quo poſtmodum eam viderunt, habentem in ſe quaſi parvuli formam, & ſuper ſe ſimilitudinem Crucis.*

Auctor Quæſt. Vet. & Novi Teſt. apud Auguſt. quæſt. 63. di-

dicit, quod *Magi illi Traditionem Balaam sequebantur, qui dixit* „ Orietur stella ex Jacob „. *Unde videntes stellam extra ordinem Mundi, hanc esse intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Judæorum prædixerat.*

S. Augustinus serm. 67. de diversis (modò serm. 374.) dubium hoc movens: *Quare*, inquit, *venerunt? Quia stellam inusitatam viderunt. Et unde eam Christi esse cognoverunt? videre enim potuerunt stellam; numquid loqui eis potuit, & dicere: Stella Christi sum?* Respondet: *Procul dubio aliter indicatum est aliqua revelatione.* Et infra. *Viderunt ergo quandam stellam inusitatam; mirati sunt; quæsierunt sine dubio, cujus esset signum, quod tam novum insolitumque viderunt. Et utique audierunt; profectò ab Angelis, ab aliqua admonitione.* Sed rursùs ait: *Quæris fortassis, ab Angelis bonis, an malis?* Respondet: *Sed cur non à bonis audierunt, quando in Christo adorando salus eorum jam quærebatur, non iniquitas dominabatur?* Ita S. Augustinus. S. Leo tamen Serm. 4. de Epiphania, internâ illustratione eos fuisse edoctos putat, ait enim: *Præter illam speciem, quæ corporeum indicavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, quod ad illuminationem Fidei pertinebat.*

IV. Quæri præcipuè de hac Stella solet, an fuerit una de veris stellis ab initio creatis, ac cœlo affixis.

Communis responsio est negativa ex S. Augustino l. 2. contra Faustum c. 5. supra relato, & cum S. Thoma 3. par. qu. 36. art. 7., primò quia affixa firmamento stella viam Magis signare non potuisset, in tanta videlicet altitudine. Secundò, stellæ veræ motum circularem habent; ista rectum ab Oriente in Occidentem. Tertiò, illæ de nocte dumtaxat fulgent; ista de die, cùm tunc maximè iter Magis agendum esset. Quartò, illæ perpetuæ sunt, ista temporanea; impletò enim officiò evanuit. Quintò, illæ omnibus conspicuæ sunt, ista solis Magis; quibus etiam, quamdiu Hierosolymis subsiterunt, se se occultavit.

Hæc deducit S. Thomas ex Chrysostomo homil. 6. in Matth. sic dicente: *Quòd hæc stella non ex numero aliarum, imò ne stella quidèm esset, ut mihi quidem videtur, sed invisibilis quædam virtus, quæ speciem stellæ præferret; primò ab ejus itinere arguitur: nulla enim, nulla utique stella est, quæ tali pergat via: nam & Solem, & Lunam, & alias omnes Stellas ab Oriente videmus ad Occidentem pergere; hæc verò stella à Septentrione ad Meridiem ferebatur; Palæstinæ quippè hic situs est, si Persidem spectes. Secundò, illud etiam à tempore probari potest; neque enim noctu apparet, sed in meridie lucente Sole; quam vim nec stella, imò nec*

Luna

Luna quidèm ipsa habet, quæ licèt omnia astra superet, ortô Solis fulgore statim occultatur, nec conspicitur; hæc verò stella splendoris sui vi etiam Solis radios splendore superabat, majoresque emittebat radios. Tertiò probatur, quòd ea modò lucem emitteret, modò cessaret; nam venientibus in Palæstinam luxit; postquam autem Hierosolymam adveneranr, se se occultavit; deinde Herode relictô, postquam illum de causa itineris certiorem fecerant, iter suscepturis apparuit: quòd certè non stellæ motui competit, sed virtuti intelligentiâ præditæ: neque enim proprium sibi cursum habebat, sed ubi pergendum erat, illa pergebat, ubi standum, stabat, secundùm opportunitatem omnia dispensans: sicut columna illa nubis, quæ Judæis monstrabat, quando castra movere, quando sistere oporteret. Quartò ab ipso lucendi modo id clarè discitur; non enim in alto cœlo constituta, neque enim poterant illo modo dirigi, sed infernè demissa locum monstrabat: nostis enim, non posse stellam locum ita parvum monstrare, quem tugurium contineret; imo locum, qui corpus infantuli capere posset: quia enim immensa erat altitudo, non poterat stella tam angustum locum indicare volentibus invisere. Illud verò ex ipsa Luna deprehendere est, quæ cùm stellas omnes tantùm superet, universis orbem incolentibus, & in tanta terræ latitudine diffusis vicina esse videtur. Quomodo igitur, quæso, locum ita angustum Præsepis & tugurii stella ostendisset, nisi relictâ illâ celsitudine ad inferiora descendisset, & supra caput ipsius Pueri stetisset? Quod subindicans Evangelista dicebat „ Ecce Stella antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer„. *Viden, quot argumentis probatur, hanc Stellam non fuisse ex numero aliarum?* Hæc, quæ S. Thomas ex Chrysostomo refert, placuit per extensum describere ex novissima interpretatione Maurina P. Montfaucon.

V. Superest modò videre, quid reverâ fuerit hæc stella? S. Jo: Chrysostomus ex dictis videtur velle, quòd fuerit virtus invisibilis in apparentiam stellæ transformata. *Unde* (inquit S. Thomas) *quidam dicunt, quòd sicut Spiritus Sanctus descendit super baptizatum Dominum in specie Columbæ, ita apparuit Magis in specie Stellæ. Alii verò dicunt, quòd Angelus, qui apparuit Pastoribus in humana specie, apparuit Magis in specie stellæ. Probabilius tamen videtur, quòd fuerit stella de novo creata, non in cælo, sed in aere vicino terræ, quæ secundùm Divinam voluntatem movebatur. Unde Leo Papa dicit in serm. 1. Epiphaniæ c. 1.* „Tribus Magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, qui illustrior cæteris pulchriorque sideribus in se intuentium oculos, animosque converteret, ut confestim adverteretur, non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.„

Ad-

Advertendum tamen censeo, S. Thomam, dum dicit, quòd fuerit *Stella de novo creata*, sicut non sumit stellam in proprio sensu, ita nec velle, eam fuisse in rigore creatam, ideſt *ex nihilo*; alioquin, cùm non amplius exiſtat, deberet dici, quòd Deus eam annihilasset, quod est contra mentem ipsius 1.par. qu.104. art.4., ubi expresè docet, quòd nihil omninò in nihilum redigetur. Stellam ergo dicit creatam, ideſt de novo in aere productam, ad modum Meteori ex aere condensati in modum ac speciem radiantis stellæ, quæ Magos ab Oriente deduceret, eisque signaret iter: ad modum, quo columna ignis & nubis filios Israel per desertum duxit. Quod S. Chrysostomus supra relatus indicat.

VI. Neque obstat primò, quòd S. Augustinus in sermonibus de Epiphania stellam illam modò vocet *Sidus de Cœlo*, modò *Linguam Cœli*: Nam ut ait S. Thomas dicto art. 2. ad primum. *Cœlum in Sacra Scriptura quandoque dicitur aer, secundum illud Psalm.* 8. „ *Volucres Cœli, & Pisces Maris* „. Eam etiam vocat Linguam Cœli, quia estò vera stella non esset, gerebat tamen similitudinem stellæ, qua Cœlum Magis videbatur loqui, sicut Pastoribus per Angelos loquebatur.

Si dicas: idem Augustinus serm.34. de tempore modó ser. 199. c. 1. ait: *Illis* (Pastoribus) *Angeli, istis autem* (Magis) *stella nuntiavit*: sed Angeli Pastoribus apparentes fuerunt verè de cœlestibus Angelis; ergo & stella Magis apparens fuit una de cœlestibus stellis.

Respondeo cum S. Thoma citato ad 2. discrimen esse, *quòd Angeli cœlestes ex suo officio habent, ut ad nos descendant in ministerium missi; sed stellæ cœlestes suum situm non mutant: unde non est similis ratio*. Porrò quòd S. Augustinus censuerit, stellam Magorum non fuisse unam de cœlestibus stellis, ostendi supra ex eodem l. 2. contra Faust. c. 5., ubi dicit, quód *non ex illis erat hæc stellis, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub Creatoris lege custodiunt*.

VII. Neque obstat secundò, quòd si fuisset stella ex Meteoris formata, fuisset unus ex Cometis, qui non apparent in Regum nativitate, sed in morte, velut indicium futuræ mortis eorum. Nam dico cum S. Thoma ad tertium, quòd *sicut stella illa non est secuta motum stallarum cœlestium; ita nec etiam stellarum cometarum, quæ nec de die apparent, nec cursum suum ordinatum mutant. Et tamen non omnino aberat significatio cometarum, quia cœleste Regnum Christi comminuit & consumit universa regna terræ, & ipsum stabit in æternum, ut dicitur Dan.2.*

VIII.

VIII. Quæri solet primò: An hæc stella in Oriente existens apparuerit Magis; an potiùs Magis in Oriente existentibus ipsa apparuerit existens in terra Juda.

Respondeo, stellam in Oriente existentem apparuisse Magis. Ita S. Thomas citato loco dicens: *Verbum Magorum dicentium*,, Vidimus stellam ejus in Oriente,, *non est sic intelligendum, quasi ipsis in Oriente positis stella apparuerit existens in terra Juda, sed quia viderant eam in Oriente existentem*. Hoc enim sonant præfata Magorum verba, dum dicunt, se eam *in Oriente*, ideſt in Oriente sitam, non *ex Oriente* in Judæa positam, vidisse. Neque obest, quòd Balaam Numer. 24. vers. 17. dixerit: *Orietur stella ex Jacob*: illud dictum est enim de ipso Christo Messia, ex stirpe Jacob verè orto, qui Apoc. 22. v. 16. de se ipso dicit: *Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina*: non autem de hac stella, quam Magi viderunt.

IX. Quæri solet secundò, an stella duxerit Magos ab Oriente usque in Jerusalem, an solùm à Jerusalem usque in Bethlehem. Secunda pars Quæsiti affirmativè resolvitur ex Evangelio Matth. 2. v. 9., ubi Magis Hierosolymâ egressis dicitur: *Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer*. De prima Quæsiti parte dubitatur, & S. Thomas citato loco dubium fatetur; postquam enim de stella dixit: *Et præcessit eos usque in Judæam*, addit: *Quamvis hoc à quibusdam sub dubio relinquatur*. Probabilius tamen crediderim, stellam illam fuisse Magorum ducem ab Oriente usque ad Judæam; & hoc maximè in sententia, quam supra Quæsito primo probavimus, quòd stella illa in Oriente existens eis apparuerit, non existens in Judæa: quomodo enim stella in Oriente manens immota poterat eis indicare Regis Nativitatem, quam præmonstrabat secutam esse potiùs in Judæa, quàm alibi? Stella igitur illa Magis ab Oriente moventibus præibat, ac sua luce ac motu monstrabat viam; itaut eis motis moveretur, eis stantibus staret, ad modum quo Columna nubis per diem, & ignis per noctem præibat castra Israelitarum, dum movebantur, & dum quiescerent, quiescebat: donec Magis Hierosolymam adventantibus sese occultavit, & nonnisi à Hierosolyma abeuntibus sese monstravit, ac subsequens iter usque ad Bethlehem direxit. Ita S. Joannes Chrysostomus loco supra relato, & Serm. 15. *Ambulante Mago, stella ambulat, sedente stat, dormiente excubat*. Idem sentiunt Basilius Homil. de humana Christi Generat., S. Augustinus, S. Leo in Sermonibus de Epiphania, Theophylactus, Euthymius; etsi aliqui ex Recentioribus contrarium

opinentur. Quòd autem ſtella accedentibus Hieroſolymam Magis ſe ſubtraxerit, non ſine Divino conſilio factum fuit, ut nimirùm Judæos conſulere cogerentur, & conſulendo, res publicè innoteſceret ob fines Deo notos. Inde etiam factum puto, ut ſtella eos versùs Hieroſolymam, quamvis non eſſet recta ad Bethlehem via, duceret.

X. Audiendus de hoc eſt S. Thomas dicta q. 36. art. 8. ad 3., qui ex S. Auguſtino, & S. Leone ita loquitur: *Sicut Auguſtinus dicit in ſerm. Epiphaniæ* (modò 30. de tempore) Stella, quæ Magos perduxit ad Locum, ubi erat cum Matre Virgine Deus Infans, poterat eos ad ipſam perducere Civitatem Bethlehem, in qua natus eſt Chriſtus: ſed tamen ſubtraxit ſe, donec de Civitate, in qua Chriſtus naſceretur, etiam Judæi teſtimonium perhiberent; *Ut ſic* geminato teſtimonio confirmati (*ſicut Leo Papa dicit* ſerm. 4. de Epiphan.) ardentiori fide expeterent, quem & ſtellæ claritas & prophetiæ manifeſtabat auctoritas. *Et ita* ipſi annuntiant Judæis Chriſti Nativitatem, & interrogant Locum, credunt & quærunt tanquam ſignificantes eos, qui ambulant per fidem, & deſiderant ſpeciem, *ut Auguſtinus dicit in ſerm. 66.* de diverſis (modò 373.) *Judæi* autem indicantes eis Locum Nativitatis Chriſti, ſimiles facti ſunt fabris Arcæ Noe, qui aliis ubi evaderent, præſtiterunt, & ipſi Diluvio pericrunt. Audierunt & abierunt inquiſitores, dixerunt & remanſerunt Doctores ſimiles lapidibus milliariis, qui viam oſtendunt, nec ambulant: *Divinò etiam nutu factum eſt, ut aſpectu ſtellæ ſubtracto, Magi humano ſenſu in Hieruſalem irent, quærentes in Civitate Regia Regem Natum, ut in Hieruſalem primò Chriſti Nativitas publicè annuntiaretur, ſecundùm illud Iſaiæ 7.* „De Sion exibit Lex & Verbum Domini de Hieruſalem„, *Et ut etiam ſtudio Magorum de longè venientium damnaretur Judæorum pigritia propè exiſtentium.* Hactenùs S. Thomas.

XI. Quæri ſolet tertiò, an hæc ſtella fuerit à Judæis viſa: Reſpondetur Negativè. Nam ex Matth. c. 2. conſtat, Herodem diligenter à Magis de ea quæſiiſſe, & de tempore, quo apparuit eis. Deinde ſi ſola relatio apparitionis in cauſa fuit, ut Herodes turbaretur, & omnis Hieroſolyma cum illo; quid feciſſent, ſi illam vidiſſent, & maximè Magos antecedentem, dum pergerent Bethlehem? quæ turbatio in Herode, & Judæis? Hujus autem turbationis Matthæus non meminit. An verò hæc ſtella ab aliis viſa fuerit, an à ſolis Magis, incertum eſt; quamvis Nicephorus lib. 1. Hiſt. cap. 13. probabiliter putet, Aſtrologos eam vidiſſe.

§. II.

§. II.

Magorum Conditio.

XII. ID ante omnia citra dubium habendum eſt, Evangelium, dum hoſce Chriſti adoratores vocat *Magos*, non intelligere viros Magicis, ideſt Necromanticis, ac ſortilegis artibus addictos, ſed ſapientes Philoſophos, ac ſideralis ſcientiæ peritos. Magia enim vox Perſica eſt, quam Perſæ accipiunt pro ſapientia ac perfecta rerum naturalium cognitione. Magi etiam dicebantur apud Perſas, Cicerone teſte lib. 1. de Divinat. cap. 23., qui augurabantur & divinabant, & congregabantur in fano commentandi causâ, atque inter ſe colloquendi. Nec quiſquam Rex Perſarum poterat eſſe, qui non ante Magorum Diſciplinam Scientiamque percepiſſet. Alia autem eſt Magia, ſeu *Theurgia*, quæ Dæmonum invocatione & infandis incantationibus conſtat, quam & Leges omnes execrantur, & Plinius l. 30. cap. 1. artem inteſtabilem vocat, irritam & inanem: & in hoc ſenſu, conſuetudine & ſermone communi, Magus pro malefico & incantatore accipitur. Nam cum Magi apud Perſas potiſſimùm Deorum cultui vacare ſolerent, in tantum poſtea aucta eſt eorum vanitas, ut non ſolùm obſervatione ſiderum futura prædicere, ſed artibus quibuſdam & maleficiis ſcire ſe omnia, & facere poſſe, profiterentur. Et in hoc ſenſu Magi ſumuntur in Sacra Scriptura Veteris Teſtamenti, ut cum Levit. 19. v. 31. dicit Dominus *Non declinetis ad Magos*. De his ſermo eſt 1. Reg. 28. v. 3. *Et Saul abſtulit Magos*. Tales erant Magi Pharaonis Exod. 7. Tales in Novo Teſtamento Simon Magus, talis Elymas Magus Act. 8. & 13. At non tales erant Magi, qui ab Oriente Chriſtum Natum adoraturi venerunt, ſed Sapientes, Aſtronomiæ periti, & ſiderum obſervatores, ut ex dictis erant ab initio apud Perſas. Ita plerique ſaltem ſentiunt.

XIII. Contentio hiſce præſertim temporibus eſt de horum Magorum Conditione: an fuerint Reges, ſivè Reguli aut Dynaſtæ, an verò privati homines.

Reges aut Regulos aut Dynaſtas fuiſſe, non pauci negant. Moventur primò, quòd ſi Reges fuiſſent, Matthæus nobiliori titulo eos deſignaſſet, nec ſimpliciter *Magos* ſeu Sapientes dixiſſet; maximè quia hoc Chriſti naſcentis gloriam auxiſſet. Certè ubi Chriſtus ſanavit filium Reguli, hanc patris dignitatem Evangeliſta non prætermiſit, ne patrati miraculi dignitatem minueret.

Descripsisset etiam Regium apparatum & comitatum; hôc enim glorioſior fuisset eorum adventus & adoratio.

Secundò; Herodes illos auctoritativè alloquitur, tanquam inferioris conditionis homines, & cum imperio: *Mittens eos in Bethlehem dixit: Ite, & interrogate diligenter de Puero, & cum inveneritis renuntiate mihi.* Hoc certè modo Reges allocutus Herodes non fuisset.

Tertiò: incredibile est, Reges exteros in alienam ditionem ingressos fuisse, nullis ad Herodem præmissis nuntiis; & Herodem ad eorum improvisum ingressum non fuisse commotum. Qui enim auditô Pueri Regis ortu turbatus fuit, multò magis ad exterorum Regum ingressum, ut eum adorarent, turbatus fuisset. Incredibile rursùs est, eos clanculùm Bethlehem discedere potuisse, quin hoc statim Herodi sexto dumtaxat milliario distanti (non plus enim Bethlehem distat Hierosolymâ) innotesceret, & eorum furtivum discessum impediret.

Quartò, ex silentio Patrum Veterum, quorum nemo Magos adoratores Regia dignitate ornat, unico excepto Theophylacto, qui nec probatæ auctoritatis, nec venerandæ antiquitatis Scriptor est. Hæc sunt quibus Recentiores non pauci negant, Magos fuisse Reges. Eis consentiunt Heterodoxi, inter quos Calvinus in cap. 2. Matth. dicit, Papistas ex Magis sibi fabricasse Reges; & Theodorus Beza in dictum Caput falsò imponit Ecclesiæ, quòd ut fide certum credat, Magos fuisse Reges; cùm tamen Ecclesia Catholica nihil de hoc unquam statuerit, sed permiserit solùm Fidelibus communem retinere & antiquam opinionem, Magos, modô statim explicandô, regio ornatu pingi, ac Reges existimari.

XIV. Ab hac igitur communi existimatione ut recedam, non me movent Contrariorum allata fundamenta. Unde cum Baronio ad ann. Christi 1. n. 30. sentio, eos fuisse Reges, usitatô tamen more Sacræ Scripturæ, quæ cujusque oppidi Dominum Regem appellare consuevit, ut patet de quinque Regibus, quos Abraham armatis suis vernaculis debellavit Gen. 14.: cujus generis plures in Oriente fuisse, unde illi venerunt, asserunt Historici; & hos etiam Magos seu Sapientes testatur Tertullianus lib. adversus Judæos cap. 9., ubi loquens de Magis venientibus ad Christum ait: *Accepit Christus Infans virtutem Damasci & spolia Samariæ; maneant enim Orientales illi Magi infantiam Christi, ut Regem auro thure & myrrha remunerantes*: deinde Christo applicans illud *Reges Arabum & Saba munera offerent illi*, subjungit: *Nam & Magos Reges ferè habuit Oriens & Damascus.*

Cen-

Censet ergo Tertullianus, Magos istos simul Reges fuisse: quod repetit lib. 4. contra Marcionem cap. 13.. S. Hilarius lib. 4. de Trinitate circa finem Principes eos vocat, dicens: *In Principum enim labore totius Ægypti labor demonstratus est*: deinde allato textu Psal. 71. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba munera adducent, & dabitur ei de auro Arabiæ*, ait: *In Magis utique & muneribus labor Ægypti, & mercatus Æthiopum & Sabain ostenditur, scilicet Mundi error Magis adorantibus, & electa Gentium munera adorato ab his Domino oblata*: qua ratione explicat, quomodo in Magis omnes de Sabain ad Christum venerint, quia nimirùm, uti dicit ipse Hilarius in Matth. cap. 14. n. 7., *Populi Princeps subjectæ sibi universitatis nomen causamque complectitur*.

Item S. Hieronymus in cap. 2. Daniel. ait: *Ad artis hujus* (Magicæ) *scientiam Reges quoque & Principes ejusdem Gentis omnia faciunt: unde & in Nativitate Domini Salvatoris ipsi primùm ortum ejus intellexerunt, & venientes in Sanctam Bethlehem adoraverunt Puerum, stellâ desuper ostendente*. Sic & Cæsarius Arelat. in Append. serm. S. Augustini serm. 139. num. 3. *Illi Magi tres Reges fuisse dicuntur*. Paschasius Ratbertus Auctor seculi noni in Matth. 2. *Magos*, inquit, *Reges extitisse, nemo qui historias legit Gentilium ignorat*. Idem sentit Theophylactus in c. 2. Matth.. Cyprianus (seu quisquis sit Auctor) serm. de Christi Baptismo sic exorditur: *Non satis est, quòd Angeli locuti sunt Pastoribus, quòd apparuit stella Regibus* &c. Quibus addo Juvencum poetam Hispanum, qui circa ann. 330. vixit, ita canentem.

Gens est Eoi, Phœbo orto, proxima Regni
Astrorum solens ortusque obitusque notare,
Hujus primores nomen tenuere Magorum.
Hinc lecti proceres, Solymas per longa viarum
Deveniunt, Regemque adeunt, orantque doceri,
Quæ regio imperio Puerum Judæa teneret,
Progenitum, & sese stellæ fulgentis ab ortu
Admonitos venisse viam, quo supplice dextra
Exortum terris venerabile Numen adorent.

Hìc luce clariùs Magos Orientalis Gentis *Primores* conspicis, & electos ad Christum adorandum *Proceres* appellatos. Tandem quod huic sententiæ pondus affert, est, quòd Ecclesia in Epiphaniæ Officio, ubi adventum Magorum celebrat, utitur illo Psalm. 71. versu, quo supradicti Patres usi sunt: *Reges Arabum & Saba dona adducent*.

XV. Nunc contrariis fundamentis respondendum est. Ad pri-

primum dico, Matthæum non dicere quidem, sed nec negare Magos fuisse Regulos seu Dynastas. Voluit ergo potiùs quàm eorum conditionem, eorum professionem, nempè Observatorum stellarum, indicare, quia hoc ad rem erat; cùm dicerent, causam sui adventus fuisse sidus ab eis in Oriente visum: *Vidimus stellam ejus in Oriente.* Gloria etiam major Christi fuit, quòd sub Sapientum nomine primitiæ Gentium, quæ eum venerant adoraturæ describerentur, ut Sapientiam Mundi confusam manifestaret. Nec oportebat Regium apparatum & comitatum describere; tum quia non dicimus, eos Reges fuisse alicujus magni Regni aut Provinciæ, sed Reguli unius vel alterius Urbis, vel etiam Oppidi; quibus ad iter regio apparatu ac splendido comitatu opus non esset; tum quia cum venissent ad adorandum Deum Regem Natum, humilis potiùs quàm superbus incessus eos decebat.

Ad secundum dico, modum loquendi Herodis non fuisse imperativum, quasi eis imperasset ut irent; jam enim ipsi ad hunc finem ex Oriente venerant, sed responsivum eorum petitioni. Nam cum Hierosolymam venissent quærentes: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum... & venimus adorare eum?* Et à Principibus Sacerdotum, & Senioribus declaratum fuisset, quòd natus esset in Bethlehem; Herodes hoc manifestans Magis dixit: *Ite, & interrogate* &c.; idest iter, quod suscepistis, dirigite Bethlehem, insuper hortans eos, ut invento Puero, ipsi renuntiarent. Hic nihil est, quod imperium vel auctoritatem demonstret.

Ad tertium dico, opus non fuisse, ut adventum suum nuntiis ad Herodem prævenirent, sive quia ex dictis magni Reges non erant, sive quia, cum venirent ad adorandum Puerum Regem, non Regiâ pompâ, sed privatô incessu veniebant: ideòque ex eorum inopinato adventu commoveri Herodes non poterat. Quot enim Principes etiam magni, sub privata forma in alienas ditiones, nullo ad earum Dominum præmissô nuntiô, ingrediuntur? Turbatus quidem fuit Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, cognitâ causâ adventus Magorum, nimirùm quòd venissent, ut adorarent novum Regem Judæorum Natum in suo Regno.

Sed hinc conficitur ratio pro nostra sententia. Si enim Magi privati homines fuissent, nunquam ausi fuissent coram Tyranno publicè confiteri novum Judæorum Regem jam esse natum. Quòd si fecissent, ut revera fecerunt, incredibile est, Herodem cognitâ eorum adventus causâ, eos tanquam conjurationis compli-

plices non detenuisse, ac in Crucem egisse, aut saltem cum ignominia eos à Regno suo non ejecisse. Quis enim Princeps audiens, exterum hominem in suam ditionem intrasse, ut novum Principem veneraretur, in suspicionem de proditione aliqua non veniret, & contra talem hominem rigorosum judicium non instituereť Cum ergo ad Magorum adventûs causam turbatus quidem Herodes fuerit, sed nihil contra eos egerit, sed solùm dimittendo illos petierit, ut inventô novô Rege renuntiarent ipsi; apparet, Herodem ab hoc abstinuisse, quia noverat, se non cum privatis hominibus agere.

Quòd verò eorum discessus Bethlehem latere Herodem non potuisset, æquè urget Adversarios, ac nos. Nam etsi privati homines non fuissent, incredibile videtur, eorum discessum Herodem super illos vigilem, & de novo Rege timidum, latere potuisse. Dicendum ergo, quòd sicut Divino monitu factum est, ut Magi Puerô Jesu adoratô per aliam viam reversi sint in Regionem suam: ita sive fuerint privati homines, sivè Principes, Divino consilio factum fuit, ut eorum discessus Herodem etsi vigilem lateret.

Quartum tandem falsum esse, evincunt testimonia Patrum, quæ præter Theophylactum supra adduximus; quæ omnia contrariam opinionem arguunt novitatis.

§. III.

Quot fuerint Magi, & quo nomine.

XVI. CIrca Numerum Magorum, qui ad Christum adorandum venerunt, eos duodecim fuisse, putat Auctor Operis Imperf. in Matth. (inter spuria Joan. Chrysost.) Homilia 2., ait enim: *Audivi aliquos referentes de quadam Scriptura etsi non certa, tamen non destruente Fidem, sed potiùs declarante; quoniam erat quædam Gens sita in ipso principio Orientis juxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam Scriptura, inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, & muneribus ei hujusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum patribus referentibus filiis suis habebatur deducta. Itaque elegerunt se ipsos duodecim quidam ex ipsis studiosiores & amatores Mysteriorum cœlestium, & posuerunt se ipsos ad expectationem stellæ ipsius; & si quis moriebatur ex eis, filius ejus, aut aliquis propinquorum, qui ejusdem voluntatis inveniebatur, in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem Magi linguâ eorum, quia in silentio & voce tacita Deum glorificabant.*

bant. Hi ergo per singulos annos post messem trituratoriam ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur linguâ eorum Mons Victorialis... & sic faciebant per singulas generationes expectantes semper, ne fortè in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur: donec apparuit eis descendens super Montem illum Victorialem habens in se quasi formam Pueri parvuli, & super se similitudinem Crucis; & loquuta est eis, & docuit eos, & præcepit eis, ut proficiscerentur in Judæam. Proficiscentibus autem eis per biennium præcedebat stella, & neque esca neque potus defecit in peris eorum. Hæc Auctor ille, protestatus, se ex apocryphis ea narrare, quæ quantam fidem mereantur, quisque prudens judicare poterit.

XVII. Quamvis autem de numero Magorum Evangelium non loquatur, perantiqua tamen Ecclesiæ Traditio, à qua recedendum non est, tres tantùm fuisse Magos Christi adoratores semper tenuit, cujus inter ceteros testis est S. Leo Papa sermone 1. 3. 5. & 6., ubi tres Magos semper nominat. In perantiquis etiam Catholicorum Templorum Monumentis totius Orbis, & Picturis, nonnisi tres Magi Christum Dominum adorantes repræsentantur, eique suum munus singuli offerentes. Hanc Traditionem in eo fundatam existimo, quòd Evangelista tria tantùm munera Infanti Deo à Magis oblata referat, Aurum nempe Thus & Myrrham; unde argumento est, tres tantùm fuisse Magos oblatores, quorum unus obtulerit Christo Aurum ut Regi, alter Thus ut Deo, tertius Myrrham ut homini mortali; sicque à quolibet speciali munere fuisse donatum, & ab omnibus simul Deum, Regem, & Hominem prædicatum. Peculiaris etiam Ecclesiæ Colonienſis Traditio, in qua corpora Magorum asservantur, tres tantùm fuisse semper docuit; & licèt Scriptores ali qui in eorum nominibus discrepent, in numero ternario tamen omnes conveniunt.

XVIII. Dices: probabilius est, omnia munera singulos obtulisse. Tum quòd plerique Patrum ita existiment, maximè verò Ambrosius lib. 2. in Lucam, & Gregorius Magnus Homil. 10. in Evang.; tum quòd ita ratio suadere videtur. Cum enim munera ab ipsis oblata essent tanquam symbola Fidei suæ, qua Christum & Regem & Deum & mortalem Hominem confitebantur; omnia singulos obtulisse dicendum est, cum eos titulos omnes in Christo singuli confiterentur: igitur ex ternario munerum non colligitur ternarius numerus offerentium.

XIX. Respondeo, tres tantùm fuisse Magos, ex triplici genere munerum colligi tanquam ex conjectura; quia sicut tria fue-

fuerunt munera, ita tres videntur fuisse oblatores, sivè divisim sivè conjunctim ea offerentes. Ceterùm fundamentum, quod me movet, est antiqua Ecclesiæ Traditio, & quia Patres omnes, qui de Numero Magorum loquuntur, tres fuisse dicunt; nam præter S.Leonem supra citatum, Cæsarius Arelat. (serm.139. in Append. tomi 5. S. Augustin.) *Illi Magi*, inquit, *tres Reges esse dicuntur, & tria munera, hoc est Aurum, Thus, & Myrrham obtulerunt*. Rursùs serm.133. in eadem Append., qui est octavus S. Leonis de Magis dicitur: *Et in tribus Viris vocatio Gentium*: ibidem serm. 136. olim Eusebii Emisseni: *Ipsi autem Magi... quid aliud expresserunt in illis muneribus, nisi Fidem nostram? In eo enim quòd tria offeruntur, Trinitas intelligitur; in eo verò, quòd tres sunt, & singuli singula offerunt, in Trinitate unitas declaratur*. Paria leguntur apud Bedam, Rupertum Abbatem in cap.2. Matth., aliosque Interpretes.

Hinc optarem, ut qui contrarium sentiunt, aliquos Patres pro se adducerent. Invenient quidem aliquos de Magorum numero silentes, sed qui negaverint, tres solùm fuisse, exceptô apocryphô supra relatô, puto, non invenient. Nam S. Ambrosius lib.2. in Luc. solùm dicit: *Magi ex Oriente venientes tam longô spatiô sequebantur, & procedentes adorant... offerentes de Thesauris suis Aurum Thus & Myrrham*: nec dicit, an omnia hæc tria singuli obtulerint, an verò singuli unum, S.Gregorius etiam Homil. 10. in Evang. nil aliud dicit, nisi *Magi verò Thus & Myrrham deferunt... Cùm ergo Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant Auro Regem, Thure Deum, Myrrhâ mortalem*. Nec obest, quòd illa munera essent symbola Fidei ipsorum, & ideò ea omnia singuli offerre debuerint: nam aliud est, quod manu, aliud quod corde & animo offerebant; estò enim manu quilibet suum offerret, conjunctim tamen omnia tria animo & corde singuli offerebant, iisque tribus Fidem suam profitebantur.

XX. De Nominibus Magorum major obscuritas est, cùm nulla planè, tàm Sacræ, quàm Ecclesiasticæ Historiæ & Antiquitatis suppetant de hoc monumenta; unde mirum, quàm varia varii commenti de illis nomina sint. De his agit Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis parte 5. puncto 8. n.25., ubi rejicit fabulosum inventum cujusdam Auctoris, qui anno 1638. eò temeritatis prorupit, ut asseret, sub Magorum nomine tres ad Christi cunas venisse insignes in Sacris Litteris viros, *Enochum, Melchisedechum, & Eliam Thesbitem*: quod quàm insanum sit, nemo non videt.

Hieronymus Osorius Algarbiæ in Lusitania Episcopus refert, Regem quemdam urbis Granganoris in regno Calecuti, nomine *Cheriperimalem*, contractum sororiô incestu crimen expiaturum, iter suscepisse; cùm autem in Caramaniam venisset, duos ibi Magos celeberrimos nactus est, à quibus de ortu Infantis è Virgine Matre certior factus, unâ cum illis in Judæam ad Puerum adorandum tetendit, ac deinde in suam singuli Regionem regressi sunt. Rex autem Granganoris in sua urbe Ecclesiam ædificavit, in qua Virginis Puerum in ulnis tenentis Simulacrum statuit; jussitque, quoties Mariæ nomen elatâ voce inclamaretur, toties singulos prosterni. Hanc historiam, se didicisse narrat Osorius, ex viris rerum Judaicarum peritissimis, qui ex Veteribus Populorum Monumentis illam acceperant. Addit insuper, apud Indos consuevisse Magos ita pingi, ut duo primi simul euntes exhibeantur albo ore Regiis vestibus induti, & munera deferentes, illos ponè sequitur tertius ore nigerrimus Æthiopis instar, sua munera præferens. Hanc historiam narrat etiam P. Maffæjus Hist. Indica lib. 1., Regemque illum *Perimalem* appellat.

XXI. Magorum Nomina, putant multi, fuisse *Gasparem*, *Balthassarem*, & *Melchiorem*. Alii *Magalat*, *Galgalat*, *Saraim*, quæ esse nomina Græca autumant. Alii *Apellium*, *Amesium*, & *Damascum*, quæ Hebræa dicunt. Alii tandem *Ator*, *Sator*, & *Paratoras*. Qui Gasparis, Balthassaris, & Melchioris nomina Magis tribuunt, fundantur tum in privata Ecclesiæ Colonien sis Traditione, in qua, ut fertur, eorum corpora asservantur, quæ talibus nominibus eos nuncupare consuevit; tum ex libro quodam titulô *Excerptiones Patrum* inter opera Bedæ posito in fine tomi 3., in quo hæc referuntur „. *Melchior* inter Magos senior „ albô crine, ac promissâ barbâ venerabilis, tunicam gestabat „ hyacinthinam, sagum croceum sivè aureum, cothurnum „ cœruleum albo mixtum; Regiam tandem fasciam variegatam: „ hic verò aurum ad Christum detulit. *Gaspar* Magorum alter juventam imberbem atque florentem præseferebat; aureâ „ tunicâ, sagô rubrô, cothurnô hyacinthinô induebatur; ex „ donariis verò Thus Divinitatis indicium detulit. Balthassar „ tertius succedebat fuscô oris colore, promissâque barbâ, rubrâ veste, sagô variegatô, croceô cothurnô, à quo Myrrha „ indicandæ assumtæ à Puero mortali naturæ delata.„

Hæc tamen nomina, hæc narratio, de quibus nulla apud antiquitatem puriorem extat memoria, præfatus Liber ob fabellas, quibus undique scatet, propterea Bedâ indignus, vera Ma-

Magorum nomina incerta apud Viros prudentes relinquit; & si quid probat, evincit solùm, tres tantùm fuisse Magos, ut supra ostendimus, cum tria tantùm nomina, quamvis diversa, iis affingantur.

§. IV.

Unde venerint, & quo tempore.

XXII. IN determinanda Regione, ex qua Magi venerint, & in qua natales habuerint, non una est omnium, etiam Patrum sententia. Cum enim Matthæus solùm dicat, eos venisse *ab Oriente*, ac multæ Regiones Orientales sint respectu Judææ, propterea alii putarunt, eos venisse ex Persida. Ita Clemens Alexandr. lib. 1. Strom., Chrysost. Homil. 6. in Matth., Hieron. in cap. 2. Daniel., Theodoritus lib. 5. Hist. cap. 39., S. Leo serm. 1. in Epiph., & alii; quorum aliqui Chaldæos fuisse autumant. Alii volunt eos ex Arabia, præsertim Felice, adventasse & Arabes fuisse. Ita Justinus Dialogo cum Triphone, Tertullianus Lib. adversùs Judæos, & lib. 3. contra Marc., Cyprianus, vel alius Auctor Libri de Stella & Magis, quos sequitur Baronius ad ann. Christi 1. n. 25. Quia verò ex resolutione loci, ex quo venerint valdè pendet altera de tempore, quo advenerint, ideò utrumque præsenti §. conjungimus.

XXIII. Circa Regionem, ex qua venerunt Magi, & in qua natales habuerant, probabilius censeo, fuisse Arabiam Felicem, quàm Persidem, aut Chaldæam. Primò, quia hoc modo benè salvamus communem Ecclesiæ Latinæ Traditionem, quòd Magi tertia decima die post Christum Natum ad eum adorandum accesserint, ut dicam infra: quia intervallum itineris ex Arabia Felice Hierosolymam potest intra octiduum per Camelos peragi, ut notat Petrus de Marca in *Opusc. de Adventu Magorum ad Christum*, quod est inter ejus Opuscula posthuma, à Stephano Baluzio in lucem edita. Hoc autem tueri non possumus, si dicamus, eos venisse ex Persida, sivè Chaldæa. Ut enim notat Auctor Gallicæ Analyseos Differt. 3., Chaldæa ab urbe Hierosolyma distat 370. leucis, Persis autem 500. Quomodo autem infra 13. dies potuissent Magi tam longum iter consumere, etiamsi demus, eos velocissimis equis, dromedariis, camelis fuisse vectos? Accedit, quòd non est verisimile, eos visâ in Oriente stellâ, sine mora itineri se accinxisse, sed credibile potiùs est, eos de hac nova & insolita stella ante discessum invicem contu-

liſſe, alios conſultaſſe, res ad iter diſpoſuiſſe, comites ordinaſſe, aliaque præparaſſe, quæ facilitare ſolent Magnates, maximè cùm longum iter aſſumunt, quæ omnia temporis moram exigunt. Rursùs Magi non rectâ Bethlehem perrexerunt, ſed Hieroſolymam diverterunt, ut de Loco Regis recèns Nati inquirerent; quô turbatus cum Herode totus Populus, accerſiti Sacerdotes Legis periti fuerunt, qui Sacris Oraculis evolutis tandem reſponderunt, eum in Bethlehem natum fuiſſe: poſt hæc Herodes de tempore, quo eis apparuit ſtella, interrogavit, & dimittens eos petiit ab eis, ut in reditu ei exponerent omnia, quæ dè Puero vidiſſent. Hæc omnia certè plurium dierum ſpatium requirebant. Computatis ergo diebus ante diſceſſum, & diebus, quibus Hieroſolymis morati ſunt, vix una dies, vel ſaltem paucæ eis ſuperfuiſſent pro itinere tam longo, ut vix per aera volitando illud perficere potuiſſent.

XXIV. Vident, ſe hac difficultate opprimi contrariæ opinionis patroni, & ut eam declinent, dicunt, ſtellam biennio ante Natale Chriſti in Oriente apparuiſſe, eâque admonitos itineri ſe accinxiſſe, quod integro biennio commodè peragere poterant, & Chriſto jam Nato Hieroſolymam pervenerunt. Hanc reſponſionem refert S. Thomas 3. p. q. 36. art. 6. ad 3. his verbis quidam *dicunt, quòd ſtella Magis apparuit per biennium ante Chriſti Nativitatem: & tunc præmeditantes, & ſe ad iter præparantes, à remotiſſimis partibus Orientis pervenerunt ad Chriſtum tertiadecima die à ſua Nativitate.*

Sed qui hoc dicunt? Auctor Operis imperfecti in Matth. Hom. 2., & Auguſtinus in ſerm. Epiphaniæ, qui eſt 35. de tempore, & modò inter ſpurios Auguſtini fœtus rejectus; hos pro hac opinione citat S. Thomas. Quâ ergo fide à prudenti viro excipienda cogitatio hæc, quæ ſuſpectos Auctores habet, & cujus nec veſtigium extat in probatis Patribus, & tota Antiquitate? Deinde ſi ſtella biennio ante Natale Chriſti apparuit in Oriente, quorsùm profectionem ſuam tamdiu procraſtinarunt, ut elapſo demum biennio ab apparitione ſtellæ ad cunas Pueri acceſſerint? An credibile eſt, in re tanti momenti moras traxiſſe, & inſuper iter ſic diſpoſuiſſe, ut quamvis biennio ante Nativitatem ab Oriente diſceſſerint, Bethlehem tamen non pervenerint, niſi Chriſtô jam Natô, & quidem tertiadecima die? Demum falſam eſſe hanc cogitationem, evincunt verba ipſa Magorum apud Matthæum cap. 2. v. 2. *Ubi eſt*, inquit, *qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente.* Stella ergo illa fuit ſignum Regis jam nati, non naſcituri. Si autem biennio

ante

ante ſtella illa eis apparuiſſet, non fuiſſet ſignum Regis nati, ſed naſcituri, nec dixiſſent: *Ubi natus eſt? ſed ubi naſciturus eſt?* Quis eos docuit eſſe natum, ſi ſtella quâ ducebantur eum monſtrabat naſciturum? Fortè ſtella enuntiavit? Scio, Auctorem Operis imperfecti ſupra Matth. Homil. 2. velle, ſtellam Magis in Oriente fuiſſe locutam; ſed quo fundamento? an deineeps in itinere eis loquebatur? apage nugas?

XXV. Ex Arabia verò Magos veniſſe probo. Primò, quia omnia, quæ Matthæus dicit, Arabiæ conveniunt. Eam enim Judæi ut ſibi Orientalem vulgò appellabant, ut videre eſt Geneſ. 10. v. 3. c. 25. v. 6. & 18., Judic. 6. v. 3., Job. 1. v. 3., 1. Reg. 4. v. 30., Iſaiæ 11. v. 14., Jeremiæ 49. v. 28. Datô autem quòd aliqua Arabiæ utpotè vaſtiſſimæ pars ſit potiùs Auſtralis Judææ, ſitus tamen Arabiæ Felicis comparatè ad Judæam Orientalis eſt. Quando enim Abraham filios, quos ſuſtulerat ex Cethura uxore ſua, ſeparavit à filio ſuo Iſaac ad vitanda inter eos jurgia, illis aſſignavit bona & poſſeſſiones in plaga Orientali, hoc eſt ab Hevila uſque Sur, ut habetur Gen. 25. v. 6. & 18., quæ ſunt in Arabia. Et Tacitus lib. 5. Hiſt. deſcribens Judæorum terram, dicit: *Terra fineſque, quà ad Orientem vergunt, Arabiâ terminantur.*

Munera etiam, quæ attulerunt, Aurum, Thus, & Myrrha, eos Arabes fuiſſe demonſtrant. Nam Mirrha nonniſi in Arabia naſcitur, teſte Plinio lib. 12. Hiſt. Natur. cap. 15. & 16.; nec Thus niſi apud Sabæos Arabum Populos, eſt enim lacryma exiguæ arboris in Arabia. Eſt auri etiam ferax Arabia Felix: ſicut ſcribit Plinius lib. 12. citato cap. 14., unde Arabum Reges Salomoni aurum dono dedere, ut Regina Saba, aliique Arabiæ Reges 2. Paralip. 9. v. 9. & 14. Dicere autem cum aliquibus, hæc munera tranſeuntes per Arabiam ſibi comparaſſe, inveriſimile eſt; nam conſuetum eſt, præcipuè Magnatibus, munera ſuæ regionis propria mittere vel præſentare.

Neque obeſt, quòd viri iſti dicantur *Magi*, nam non ſola Perſis, ſed & Arabia habuit Sapientes ſuos, tum Naturæ omnis, tum Aſtrorum inprimis ſtudioſos; quod nos docent Jobi & Amicorum ejus erudita colloquia, & Reginæ Sabæ, quæ ut audiret Sapientiam Salomonis, è regno ſuo diſceſſit 2. Paralip. cap. 9., & de Pythagora ex Porphyrio ſcribit Cyrillus lib. 10. contra Julianum, quòd perrexit ad Chaldæos & Arabes ad acquirendam perfectam Somniorum ſcientiam: rurſùs Elymas Magus, de quo Act. 13. v. 8., ex Arabia venerat, & Plinius Magorum Arabiæ meminit, & Ptolemæus in Arabia ponit Magorum ſinum.

XXVI. Sed quod magis probat, Magos Chriſti adoratores

ex

ex Arabia venisse, est, quia id magis ex Sacra Scriptura colligitur; tum Psal. 71. v. 11. *Reges Arabum & Saba dona adducent*; tum Isaiæ 60. v. 1. *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*: & infra v. 6. *Inundatio Camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes*: Saba autem Arabiæ partem seu Insulam putant Josephus, S. Hieronymus, Borchartus & alii. Quod verò maximè movet, est Prophetia Balaam Num. 11. cap. 24. *Orietur stella ex Jacob*: quæ permovit Magos ad quærendum novum Regem, cujus ortum stella radians in cœlo indicabat. Porrò hæc Prophetia Balaam notior erat iis, qui in Arabia versabantur, quàm Chaldæis & Persis; quia Balaam hanc Prophetiam edidit in Arabia, quando videlicet Balac Princeps Moabitarum eum ad Populo Israelitico imprecandum arcessivit. Unde probabilius est, Magos in Arabia ad novi sideris expectationem per Balaam prædicti intentos, eô affulgente Messiam novumque Regem per illud prænuntiatum, sibi inquirendum existimasse. Quibus omnibus accedit, quòd Ecclesia in Officio Epiphaniæ usurpat præfatos textus ex Psalmo 71., & Isaiæ 60., quia in illis Magis agnoscit primitias illarum Gentium, quæ venturæ erant ad Christum.

XXVII. Dices: S. Thomas 3. par. q. 36. art. 7. dicit, Magos ex Perside venisse.

Respondeo, verum esse; sed hoc dicere illum referendo verba Chrysostomi homil. 6. in Matth., ut legenti constabit; ceterùm noluisse hanc quæstionem discutere, sed eam in medio reliquisse. Unde eadem quæst. 36. art. 6. ad tertium, oppositam sententiam ut probabilem referens, ait: *Quidam tamen dicunt, eos venisse de regione propinqua, unde Balaam, cujus doctrinæ sectatores fuerunt. Dicuntur autem ab Oriente venisse, quia terra illa est ad Orientalem partem terræ Judææ*: quibus patet, S. Thomam hac in re mentem suam aperire noluisse. Sed de hoc infra c. 14. §. 1.

XXVIII. Circa alterum quæsitum de Tempore, quo Magi ad Christi cunas adventarint, non conveniunt Doctores; quibusdam volentibus, eos solùm post vel circa biennium advenisse, aliis post unum mensem, seu 26. Januarii, aliis post tresdecim dies nimirùm 6. Januarii, quæ est opinio communior; ex his tamen aliqui volunt, biennio ante stellam illis apparuisse, & hoc spatio iter confecisse, alii in Christi ortu, & non ante, visam fuisse ab eis stellam, & tredecim diebus iter peregisse. Primò ergo alias opiniones rejiciemus, deinde nostram statuemus.

XXIX. Ma-

XXIX. Magos igitur advenisse post biennium à nato Christo, quamvis Eusebii in Chronico, & Epiphanii in Panario sententia sit, sustineri non potest, quia videtur apertè contraria his, quæ scribit Matthæus c. 2., nimirùm *Cùm natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Si autem solùm post biennium à Christo nato advenissent, non dixisset Matthæus *Cùm natus esset Jesus, ecce Magi* &c. nam tò *Ecce* non potest indicare rem, quæ post multum tempus acciderit, sed rem, quæ vel statim vel proximè saltem successerit, ut patet in aliis Sacræ Scripturæ locis: & in præsenti casu specialiter apparet; nam Evangelia Christi ortum, Angelorum Nuntium, Pastorum officia, nullo alio interjecto, cum Magorum adventu conjungunt: quod demonstrat, paulò post Christi Nativitatem ad cunas Christi Magos accessisse.

Deinde Matthæus dicit, adventum Magorum contigisse *in diebus Herodis Regis*. Hoc autem non verificaretur, si Magi solùm biennio post Christum natum Hierosolymam accessissent. Cùm enim Herodes è vivis excesserit anno post Natale Christi elabente, invenissent Herodem jam mortuum, & strages innocentium ab ipso postea imperata, quam Evangelistæ narrant, locum non haberet.

Tertiò: ex Evangelio certum est, Magos Bethlehem accessisse, ibique Christum natum adorasse, &, ut ajunt Hieronymus epist. 17. modò 44. ad Marcellum, & Bernardus serm. 1. & 2. de Epiphania, in vili tugurio positum, & pannis involutum fuisse ab eis inventum: At si post biennium adventassent, Puerum nec in vili tugurio, imò nec in Bethlehem invenire potuissent; nam ut habetur in Evangelio Lucæ c. 2., Parentes ejus die ab ortu quadragesimo eum ad Purificationis officium Hierosolymam tulerant, unde non Bethlehem, sed ut habetur v. 39., *Reversi sunt in Galilæam in Civitatem suam Nazareth*, ubi fixum habebant domicilium; nec legitur, eos Bethlehem imposterum rediisse: quod enim ab aliquibus dicitur, iterum eos cum Puero Bethlehem rediisse occasione cujusdam festivitatis, vanum commentum est; nam petam, ut dicant, quod festum fuerit istud? deinde si aliquod festum fuisset ex Lege, non Bethlehem sed Hierosolymam eundum fuisset.

XXX. Verùm dicunt oppositæ sententiæ patroni, se ad asserendum, Magos post biennium ab ortu Christi adventasse, deducere ex Matth. c. 2. v. 16., ubi dicitur, quòd Herodes videns, se illusum fuisse à Magis, *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra, secun-*

secundùm tempus, quod exquisierat à Magis: signum ergo est, quòd tempus apparitionis stellæ, ut à Magis didicerat, fuerit biennio ante quàm Magi adventarent; alioquin cur puerorum stragem à bimatu & infra demandasset, si ortum Stellæ & Pueri paucis diebus ante contigisse, Magi ei retulissent?

XXXI. Respondetur (ut infra dicetur cum Augustino) quòd Herodes videns, Magos non esse ampliùs reversos, ad renuntiandum ipsi de puero, ut eis indixerat, existimavit primò, ipsos fallaci visione deceptos, cùm nihil invenissent, pudore prohibitos fuisse redire in Jerusalem; sed cùm peractâ Purificatione in Templo, audisset ea, quæ ibi acciderant, & de Puero vulgabantur, tunc se à Magis delusum cognoscens cœpit quærere Puerum ad perdendum eum, secundo vel tertio mense: cùmque eum non inveniret, interea enim à Templo delatus fuerat Nazareth, & à Nazareth in Ægyptum, aggressus est cædem infantium *à bimatu, & infra*: non quòd existimaret, stellam à biennio apparuisse, sed præ timore, ne etiam circa tempus ortus stellæ & Pueri à Magis illusus esset: & ideò furore percitus, & ob majorem securitatem, jussit occidi omnes bimulos, & qui essent minoris ætatis, nati tamen ante adventum Magorum, ut statim dicam. Neque hoc est incredibile; nam sicut quamvis audivisset, Christum nasciturum in Bethlehem, ob majorem tamen cautelam, jussit occidi infantes non solùm Bethlehemi natos, sed in omnibus etiam finibus ejus; ita credibile est, eâdem causâ extendisse etiam tempus: ideòque licèt putaverit eum natum, cùm stella apparuit, timens tamen, ne in hoc etiam illusus fuisset, ad cautelam furorem usque ad bimulos & infra ostendit. Ita sentit S. Joannes Chrysostomus homil 7. in Matth. his verbis: *Quod autem à bimatu & infra occideret, ne miremur; furor enim & timor ad majorem securitatem plus temporis adjecit, ut nullus effugeret*.

Porrò ut tollatur difficultas, quæ multos torsit ex illis verbis: *A bimatu & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis*: quasi Herodes occiderit pueros à biennio & infra natos, quia didicerit à Magis, à biennio stellam ipsis apparuisse, & proinde Puerum natum esse bimulum: notandum illa verba *secundùm tempus* &c. non esse referenda ad tò *à bimatu*, sed ad tò *& infra*, sic ut Herodes occiderit pueros á biennio natos, usque ad illum tempus, quo à Magis didicerat, stellam illis apparuisse, & non infra. Ex quo sequitur solùm, quòd Herodes pepercerit illis pueris, qui post stellæ apparitionem, seu Magorum adventum, idest à quinquagesimo vel quadragesimo die erant nati,

nati; cæteros autem à biennio usque ad tempus apparitionis stellæ indicatum à Magis occiderit. Hanc expositionem tradunt Baronius ad an. 1. num. 33., & uterque Jansenius Gandavensis, & Yprensis in c. 2. Matt. De hoc aliqua infra c. 14. §. 1.

XXXII. Opinio eorum, qui censent, stellam in Oriente apparuisse biennio ante Christi ortum, tamquam omni destituta fundamento à nobis supra rejecta est. Opinio etiam aliorum, qui volunt, Magos post Purificationem advenisse, etiam refellitur: tùm quia, si post Purificationem venissent, non invenissent Puerum & Matrem ejus in Bethlehem, cùm, ut supra ex Luca observavimus, peractis omnibus, quæ pro purgatione agenda erant Hierosolymis, parentes Jesu non Bethlehem reversi sint, sed Nazareth ad propriam domum. Tum etiam quia ad Magorum adventum, & de novi Regis ortu nuntium, nec Herodes turbatus tamquam de re nova fuisset, neque oportuisset convocare Sacerdotes, & Legis Doctores ad cognoscendum locum, ubi novus ille Rex natus esset: ex iis enim, quæ occasione Purificationis beatæ Mariæ acciderant (nimirùm ex prædictionibus Simeonis, & Annæ de illo) quæ Herodem latere non poterant, cùm omnium ore celebrarentur, & fama de iis in dies percrebresceret, Herodes & Hierosolyma tota de novo Rege nato sufficientem notitiam habuissent. Opinio tandem quorumdam Recentiorum, adventum Magorum diei 26. Januarii adsignantium, sua novitate se destruit; nullum enim fundamentum in Patribus aut Traditione habere potest, sed ejus patroni solùm dicunt, hanc viam se tenere, ut omnia faciliùs componant.

XXXIII. Quare communi Traditioni ab Ecclesia probatæ standum esse censeo, nimirùm Magos Bethlehem adventasse 6. Januarii, seu tertiadecima die à Christi ortu. Ita S. Thomas 3. par. quæst. 36. art. 6. *Magi*, inquit, *pervenerunt ad Christum tertiadecima die Nativitatis ejus, quo die festum Epiphaniæ celebratur. Si enim revoluto anno, vel etiam duobus annis, venissent, non invenissent eum in Bethlehem, cùm scriptum sit Lucæ 2. quòd* „ Postquam perfecerunt omnia, secundùm legem Domini, „ *offerentes scilicet puerum Jesum in Templum* „ reversi sunt in Galilæam Civitatem suam Nazareth „.

Porrò Magos infra tredecim dies potuisse ad Christum adorandum Bethlehem pervenire, patet ex supradictis; venerunt enim non ex Persida aut Chaldæa regionibus valde remotis, sed ex Arabia felici, ex qua commodè tertiodecimo die iter suum Bethlehem perficere poterant.

Accedit Traditio Ecclesiæ Latinæ consuetudine comprobata, quæ à quinto saltem seculo ineunte festum Epiphaniæ, hoc est adventum & adorationem Magorum, celebrat die sexta Januarii, seu tertiadecimâ die à Christi Nativitate. Scio, contrarios respondere, non esse regulam certam, ut iis semper diebus mysteria celebrentur, quibus peracta sunt: nam puerorum Innocentium cædem celebrat ante adventum Magorum, imo inter Festa Christi Natalitia; rursùs eadem die 6. Januarii tria Mysteria Ecclesia colit, nempè adorationem Magorum, Baptismum Christi, & primum Miraculum in nuptiis Canæ Galilææ: ergo ne hæc omnia eadem die, licèt diversis annis, accidisse pro certo habet Ecclesia? Minimè gentium. Non ergo temporis ordo sed mystica ratio in celebratione attendenda est: & propterea Festum Epiphaniæ, quod est *Manifestatio*, illa tria complectitur, quia illis tribus manifestatus est Christus.

XXXIV. Quæso tamen: cur ipsi Adversarii concedunt, 25. Martii, quâ Ecclesia celebrat Incarnationem Verbi, 25. Decembris, quâ celebrat ejus Nativitatem, verè esse dies, quibus hæc contigerunt? Sanè, si, ut ipsi dicunt, in Celebratione Festorum non est attendendus ordo temporum, sed mystica ratio, poterit quis negare, præfata duo Mysteria iis diebus, quibus celebrantur, contigisse. Sciant ergo, quidquid sit de aliis Festis, Festa tamen præcipuorum Christi Mysteriorum iisdem diebus, quibus peracta, sunt celebrari: unde sicut Festa Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, Præsentationis in Templo iisdem diebus, quibus contigerunt, celebrantur; ita Festum adventus & adorationis Magorum die sexta Januarii Ecclesiam Catholicam celebrare, quia credit, hac die contigisse; neque oppositum asserendi ullum fundamentum esse, præter propriam æstimationem. Neque idem est de Festo Innocentium: nam Infantium strages non fuit factum unius diei, sed plurium mensium, nec quando finem habuerit, aut qua die, certum est; ideòque contingere potest, ut Ecclesia alio die Festum celebret ab eo, quo strages finem habuit. Quoad alia duo Mysteria, nempè Baptismum Christi, & primum Miraculum in nuptiis Canæ à Christo editum, quæ eâdem sextâ Januarii die celebrantur unà cum adventu Magorum; de Miraculo in nuptiis Canæ patrato, permittam, illud non eadem die fuisse patratum, ob rationes suo loco infra adducendas; sed de Baptismo Christi, rogarem Adversarios, ut aliquo documento ostenderent, illum eadem die, qua adventus Magorum, licèt non eodem anno, non contigisse, S. Hieronymus in cap. 1. Ezechiel. eandem diem, quæ est Epi-

pha-

phaniæ, dicit fuisse diem Baptismi, estò non Natalis Christi.

Sed quid moror? Audiant Augustinum serm. 32. de tempore (modò serm. 202., qui est quartus de Epiphania) huic diei Magorum adventum & adorationem consignantem. De Epiphania enim, quæ latinè Manifestatio dici potest: *Hoc enim die*, inquit, *Magi Dominum adorasse perhibentur; stellâ scilicet apparente commoniti, & præcedente perducti. Eo quippe die, quo natus est, illi stellam in Oriente viderunt, & quem natum indicaverit, agnoverunt. Ex illo igitur die ad hunc diem occurrerunt, Herodem Regem nuntio terruerunt, Judæis ex Prophetica Scriptura respondentibus, Bethlehem Civitatem, ubi Dominus natus fuerat, invenerunt. Ad ipsum deinde Dominum stellâ eâdem ducente venerunt, demonstratum adoraverunt, Aurum Thus & Myrrham obtulerunt, alio itinere redierunt. Manifestatus est quidem & die ipso Nativitatis suæ Dominus Pastoribus ab Angelo admonitis, quo etiam die per stellam & illis est longè in Oriente monstratus; sed isto die ab eis est adoratus. Suscepit ergo devotissimè istum diem celebrandum universa Ecclesia Gentium: quia & illi Magi quid jam fuerunt, nisi primitiæ Gentium?* Ecce, Augustinus duo fatetur; unum, stellam in Oriente ipsa die Nativitatis Magis apparuisse; alterum, ista die Epiphaniæ Magos Christum adorasse: nec scrupulum habet, quòd tam brevi tempore iter ab Oriente Bethlehem conficere potuerint. Simile testimonium Adversarii proferant, ut ostendant Magos nonnisi 26. aut 27. Januarii ad Christum pervenisse.

XXXV. Dicunt, se ex hoc moveri, quia, ut scribit Matthæus, statim ac persensit Herodes, se fuisse illusum à Magis, horrendam illam Puerorum stragem edixit: quod nonnisi diebus aliquot post Præsentationem Christi in Templo contigit, dum Virgo Deipara & Joseph reversi Nazareth, moniti ab Angelo in Ægyptum cum Puero secessérant; hoc est elapsò mense, ut minimùm integrò à die sexta Januarii. Quis autem credat, Herodem de eventu Magorum adeò sollicitum, & sexto dumtaxat milliario Bethlehem distantem, tam serò ideft ferè post mensem agnovisse, se à Magis per aliam viam reversis fuisse delusum? Probabilius ergo est, quòd paucis ante Præsentationem diebus Magi adventarint.

Hanc difficultatem vidit S. Augustinus lib. 2. de Cons. Evang. c. 11., ait enim, quæri posse, *Cum jam sollicitus esset ille major Herodes, perculsus Magorum nuntio, quòd Rex Judæorum natus fuisset, quomodo potuerint completis diebus Purgationis Matris ejus tutò cum illo ascendere in Templum, ut fierent circa eum se-*

cundùm Legem Domini, quæ Lucas commemorat: cui, omissâ responsione, quòd Herodes aliquot gravioribus periculis agitatus, & magis proximis, eo tempore à Magorum nuntio mentem abstraxerit, subjungit: *Illud dico, posteaquam nihil Herodi Magi renuntiaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquam non invenerunt, quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso, ab inquirendo ac persequendo Puero quievisse. Cum ergo post purgationem Matris ejus in Jerusalem cum illo venissent, & ea gesta essent in Templo, quæ à Luca narrantur; quia verba Simeonis & Annæ de illo prophetantium, cum cœpissent ab iis qui audierant prædicari, ad pristinam intentionem revocatura erant animum Regis; admonitus per somnium Joseph cum Infante & Matre ejus fugit in Ægyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in Templo factæ dictæque fuerant, Herodes se à Magis sensit illusum; ac deinde ad Christi mortem cupiens pervenire, multos Infantes, sicut Matthæus narrat, occidit.* Hæc Augustinus.

XXXVI. Quæri solet, an Magi invenerint Christum in spelunca, in qua natus erat, an in aliqua domo; cum Matthæus cap. 2. v. 11. dicat: *Et intrantes domum invenerunt Puerum* &c. Censent aliqui, Magos invenisse & adorasse Christum in eadem Spelunca ac Præsepio, in quo reclinatus fuerat post ortum. Ita sensisse videntur Chrysostomus Homil. 6. & 7. in Matth., Hieronymus Epist. 14. 17. 18. & 27., August. serm. 2. de Epiph. & alii Recentiores, inter quos Baronius ad ann. 1. n. 34. Neque obest, quòd Matthæus dicat, eos intrasse *Domum*; nam in modo loquendi Scripturæ quodlibet habitaculum, etsi vile sit tugurium, *Domus* appellatur, imo & nidus avium domus dicitur Psalm. 103. v. 18. *Herodii* (idest Ciconiæ) *domus*; & fuisse videtur mens Antiquorum. Unde Justinus Martyr Dialogo cum Tryph. de Spelunca loquens: *Ibi*, inquit, *Maria Christum recèns natum in Præsepe deposuit: ibi & à Magis inventus est ex Arabia venientibus*: & Hieronymus Epist. 17., modò 44. ad Marcellam, ait: *Ecce in hoc parvo terræ fornice cœlorum conditor natus est; hic involutus pannis, hic visus à Pastoribus, hic demonstratus à stella, hic adoratus à Magis.* Nemo autem antri Bethlehemitici tutior testis quàm Hieronymus, qui ejus spectator fuit & cultor. Idem sentit Euthymius in Matth.

XXXVII. Aliqui tamen censent, Magos non reperisse Christum in Præsepio sivè Antro, sed in commodiore quodam Loco, puta in aliqua domuncula antro contigua, vel in Urbe conducta; & hoc est, inquiunt, quòd ait Matthæus *Et intrantes*

do-

Domum, non dixit *Antrum*. Nam ratio, ob quam Evangelista dicit, B. Virginem reclinasse Infantem in Præsepio, quia scilicet *non erat ei Locus in diversorio*, jam cessaverat, dilapsâ hospitum multitudine, qui occasione descriptionis adventaverant: ideò Theophylactus, Jansenius, Maldonatus, Torniellus probabilius putant, quòd B. Virgo in domum aliquam Antro vicinam se receperit; in quod inclinare videtur etiam Chrysost. Hom. 8. in Matth. Accedit etiam congruentia; cum enim Antrum illud seu Spelunca, ubi erat Præsepe, Locus foret communis, & cuique pervius, admodum probabile est, verecundam S. Virginis modestiam, quæ secreta magis quàm publica loca diligebat, non passàm fuisse in loco illo morari, ultra quàm necessitas postulasset; digressâ autem multitudine, quæ domum seu diversorium occupaverat, credibile est, eam illuc se recepisse: nec enim tenebantur puerperæ in loco partus manere, maximè quando necessitas domum eis præclusisset: dicit tamen Ecclesia: *Hodie stella Magos duxit ad Præsepium*, quia domus, in quam se receperat, erat contigua Præsepio. Utraque opinio probabilis est.

§. V.

De Via, per quam Magi redierunt, & de Festo Epiphaniæ.

XXXVIII. SCribit Matthæus c. 2. v. 12., quòd Magi expleto adorationis officio, *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in Regionem suam*. Quia autem non exprimit, quam viam in suo regressu tenuerint; nec Veteres nobis indicare solliciti fuere, ideò res in incerto mansit. Arnobius tamen Junior, Auctor seculi 5., ad Psalm. 48., navigio evasisse & ita in Herodis Regia æstimatum fuisse, scribit: & proinde *etiam Navigia Regio sunt jussu vexata, quibus Magi, qui non redierant ad Regem, credebantur fugere potuisse*: nimirùm vexati fuerunt Nautæ, qui ad fugam naves præbuisse putabantur. Ita cum Serry putat Sylveira tom. 1. lib. 2. cap. 4. de Adorat. Mag. q. 11., referens Anselmum & Lyranum existimantes, Magos navibus per mare transfretasse in Oppidum Tharsis: & ideò Herodem iratum incendisse naves Tharsensium: ad quod Lyranus trahit illud Psalmi 47. v. 8. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. Sed huic obstat primò, quòd Tharsis multùm à Judæa distat. Secundò, quia si Magi Tharsim aufugissent, non rediissent in Regionem suam, quæ ut diximus non erat à Judæa adeò remota. Tertiò, quia verba illa

Psal-

Psalmi alium sensum habent. Tandem quia non legitur, Herodem super Magorum furtivo discessu aliam vindictam sumsisse, quàm Infantium stragem.

XXXIX. Alii propterea, inter quos Baronius ad ann. Christi I. num. 37., volunt, terrestri sed adeò secreto itinere evasisse, ut nec in his, quæ in via esse solent, publicis hospitarentur hospitiis; sed cùm post labores itineris quiescendum esset, in montibus ac speluncis agerent. Pro hoc affert Baronius testimonium Cyrilli de rebus gestis S. Theodosii Cœnobiarchæ, qui apud Metaphrastem die 11. Januarii agens de spelunca & monte, quam sanctus ille Vir sibi ad habitandum elegit, hæc scribit: *Quædam enim fama ab alto à parentibus tradita ad nos usque pervenit, quæ dicit, fideles illos Magos, qui Bethlehem venerunt ab Oriente, cùm Deo, qui ex superna specula in Occidentem hujus mundi venerat, Aurum Thus & Myrrham piè admodum obtulissent; deinde ab Angelo responsum accepissent, ne eandem viam rursùs inirent, sed per aliam prorsus redirent ad suam Regionem: Hos, inquam, dicit Magos in hac spelunca in reditu fuisse diversatos; cumque hìc noctu dormissent, mane ingressos esse viam, quæ ducebat in patriam. Tale quidem esse id, quod dicitur, nulla labefactat improbabilitas. Nam primùm quidem cum statuissent, non ingredi iter per Hierosolymam, non est admodùm facile, ut aliá viá ex Bethlehem domum reverterentur: sicut etiam nunc videmus, eos, qui à Bethlehem, vel ab ea, quæ est circumcirca, Regione transeunt, per hanc proficisci.* Hæc ille: sed hæc dubietatem non tollunt, maximè cum exploratum non sit, ex qua Regione determinatè venerint, nec videtur posse determinari via, quam, ut declinarent Hierosolymam, ad Regionem suam repetendam, tenuerint.

XL. Circa Festum verò Epiphaniæ, suppono notum, nomen *Epiphania* Græcum esse, quod latinè idem est ac *Apparitio* seu *Adventus*: dictam esse etiam *Theophaniam* seu *Dei Apparitionem*, & hoc Nomine celebrant Græci hoc Festum, quo Magi adorarunt Christum; tunc enim primò Gentibus apparuit: unde à Patribus Magi vocantur *Primitiæ Gentium*. S. Gregorius Nazianzenus tamen *Theophaniam* vocat diem, qua Christus est natus: hanc autem diem, qua non tantùm adventus Magorum, sed & Baptismus Christi, & Miraculum aquæ in vinum conversæ celebrantur, vocat *Festum Sanctorum Luminum*. Apud Latinos autem Epiphaniæ celebritas ab adventu Magorum, seu ab apparitione facta Gentibus dicta est, quæ, quàm antiqua sit, ex iis, quæ breviter dicemus, apparebit. Primò, eam semper in Ecclesia

clesia celeberrimam fuisse, ex eo potissimùm colligitur, quòd quidam Imperatores, licèt alitunde impii, eam tamen cum Populo in Ecclesiis celebrarunt. De Juliano Apostata Ammianus Marcellinus lib. 21. scribit, quòd licèt clam apostata à Christo esset, ne tamen Idolorum cultor detegeretur, voluit suam præsentiam exhibere his feriis, *Quas*, inquit, *Christiani celebrantes mense Januario Epiphaniæ nomine nuncupant*. De Valente Imperatore Ariano Catholicorum persecutore narrat Gregorius Nazianzenus Orat. 20., quæ est in funere Basilii, quòd *cum universa satellitum manu stipatus in Templum ingressus fuisset (erat autem Epiphaniæ dies, cœtusque amplissimus) ... ad hunc modum defunctorie cum eo (Basilio) se conjunxit*; additque, quòd audiens Psalmorum cantus, Ministrorum angelicam potiùs quàm humanam modestiam, oculorum vertigine totus impletus fuit.

Secundò, Antiquitas hujus Festi probatur ex Concilio Agathensi anno 506. cap. 21. & 64., ex VI. Synodo Constantinopolitana ann. 680. cap. 8., à quibus Festum Epiphaniæ inter celebriores Ecclesiæ Solemnitates recensetur. Quibus accedunt Romani Pontifices, Vigilius Epist. 1. cap. 1., Pelagius II. Epist. 4. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Ipsimet etiam Imperatores inter alios festos dies Epiphaniæ Festum in suis Legibus numerarunt, ut Lege *Codices* Cap. de Feriis in Cod. Theodosiano Lib. 2. Cap. de Feriis in eodem Codice, Carolus Magnus lib. 1. Cap. 164. & alii.

Tertiò, idipsum fatentur Patres: ex Græcis Gregorius Neocæsar. Orat. in Epiphaniam, Basilius Homil. de humana Christi Generatione, Chrysostomus Orat. de B. Philogonio, Euthymius Præfat. in Psalterium: ex Latinis verò Ambrosius ser. 19. de Epiphan., Paulinus Nolanus de S. Felice Natali 9. his verbis:

Sic æquè Divina feruntur munere Christi,
Ut veneranda dies cunctis, qua Virgine natus
Pro cunctis hominem sumsit Deus: utque deinde
Quà Puerum stellâ duce mystica dona ferentes,
Suppliciter videre Magi: seu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente Joanne,
Sacrantem cunctas recreandis Gentibus undas:
Sive dies eadem magis illo sit sacra signo,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verso
Permutavit aquas prædulci nectare vini.

S. Isidorus lib. 1. de Eccles. Officiis cap. 26. *Epiphaniorum*, inquit, *diem proinde festâ solemnitate Viri Apostolici signaverunt, quia*

quia in eo per stellam est Salvator ostensus, quando invenerunt Magi Christum in Præsepio jacentem, & adoraverunt eum, offerentes ei competentia munera Trinitatis, Aurum Thus Myrrham, Regi Deo atque Passuro. Ideò ergo diem hunc annuâ solemnitate sacraverunt, ut Mundus agnoscat Deum, quem elementa cœlitùs prodiderunt. Idem Albinus Flaccus de Divinis Officiis tit. de *Theophania sivè Epiphania* cap. 5. dicens: *Solemnitas hæc, quæ à Græcis Theophania vel Epiphania nuncupatur, Latinè verò apparitio seu ostensio vel manifestatio interpretatur, multimoda in se continet Mysteria.* Hoc idem asserit antiquus Ordo Romanus, vocans Epiphaniam *Solemnitatem Sacratissimam, secundam Christi Nativitatem, quæ tot illustrata Mysteriis honoratior sit, quàm prima.*

XLI. Prætereundum non est, quòd hanc Solemnitatem Deus perpetuo Miraculo in Oriente sanctificavit, quod refert S. Joan. Chrysostom. Homil. de Baptismo Christi & Epiphan. (quæ est tom. 2. novis. Edit.) ostendens enim, hanc diem merò dicit Epiphaniam, ideò Apparitionem, quia hac die baptizatus, per Baptismum Christus, qui ante vulgo erat ignotus, apparuit: *Idcircò etiam*, inquit, *in hac solemnitate sub mediam noctem omnes, cùm aquati fuerint, domum latices referunt ac recondunt, & per integrum annum conservant, utpotè quòd hodierna die sanctificatæ sint aquæ: sitque Miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque adeò biennio & triennio sæpè, quæ hodie fuit hausta, incorrupta & recens permanet, ac post tantum temporis cum iis, quæ nuper fuerint è fontibus eductæ, certat.* Hanc consuetudinem etiamnum observari ab omnibus Orientis Christianis, quamvis inter se variis sectis divisis, notat Thomassinus Tract. de Celebrat. Festorum lib. 2. cap. 7.; unde apud Goarium in Rituali Græcorum legitur Officium benedicendæ aquæ in Festo Theophaniæ. Quin etiam Pagius ad ann. 29. Christi narrat, quòd Josephus Georgerinus Archiepiscopus Samos in Insula Archipelagi, cùm anno 1676. eadem Epiphaniæ die in Aquensi Civitate Galliarum versaretur, aquam in Ecclesia consecravit; & in ea juxta Ecclesiæ Orientalis Ritum Pueri Jesu statuam (seu verius Crucem, ut in Rituali apud Goarium) ter immersit, Baptismi Christi cæremoniam solemniter renovando: cujus aquæ phiala plena conservata per multos annos incorrupta permansit, & fortè diutius permansisset, si phialam illam frangi non contigisset.

CA-

CAPUT XII.

De Purgatione, & Puero Jesu in Templo præsentato, de Simeone & Anna &c.

§. I.

Lex Purgationis & Oblationis.

I. Scribit Lucas c. 2. à v. 22. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundùm Legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur; & ut darent hostiam, secundùm quod dictum est in Lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.* Ex præfatis Lucæ verbis oritur dubium primò, de cujus purgatione loquatur, an Mariæ Matris, an Jesu Filii: Secundò, an hac Lege uterque teneretur.

II. Primum dubium excitant ipsa Lucæ verba: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*: si enim tò *ejus* referatur ad antecedentia, videntur designare purgationem Jesu Filii, cujus immediatè ante descripta fuit Circumcisio, & Nominis impositio; & etiam si referatur ad immediatè sequentia *tulerunt illum*, quæ de Puero Jesu intelligenda esse, nemo non videt. Secundum etiam dubium ex iisdem Lucæ verbis nascitur, qui non semel sed ter dicit, hoc factum fuisse *secundùm Legem Domini, sicut scriptum, sicut dictum est in Lege Domini*: quibus videtur asserere, Præsentationem in Templo, tam occasione purgationis Matris, quàm oblationis Pueri, ex Lege, qua tenerentur, impletam esse.

III. Nihilominùs ad primum dico, nomine *Purgationis* Lucam intelligere purgationem Mariæ Matris, non verò Christi, & multò minùs Joseph. Id constat ex cap. 12. Levitici, ubi Lex Purgationis soli puerperæ præscribitur; dicitur enim v. 2. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ .... Ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ: omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ* &c. *Cumque impleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, sive pro filia, deferet* &c. Quibus verbis evidenter apparet, Purgationem præcipi tantùm Matri, quia illius erat

immunditia eluenda. Filio verò sola Circumcisio præcipitur ibi v.3. *Et die octavo circumcidetur Infantulus*. De viro autem nihil dicitur.

IV. Hoc tamen non obstante fuerunt qui vellent, Purgationis Legem comprehendere non solam matrem, sed & filium, & aliqui etiam virum: dissidium istud ortum habuit ex dissonantia Græcorum Exemplarium, quorum aliqua in illo Lucæ loco *Purgationis ejus* habent *Autu*, ideſt *ejus* masculini generis, ideòque videntur purgationem referre ad Christum Filium; alia habent *Autis*, ideſt *ejus* feminini generis, ideòque videntur referre purgationem ad solam Mariam Matrem: alia verò habent *Auton*, ideſt *eorum*, quasi purgatio referenda sit ad omnes, nimirùm Mariam, Jesum, & Joseph. Priorem lectionem aliqui Veteres sequuntur, quos refert Toletus Annot. 37. in Lucam, volentes, ibi agi de purgatione legali Christi recèns nati, pro quo parentes dicuntur obtulisse hostiam par turturum, aut duos pullos columbarum; quod videtur colligi ex illis etiam verbis: *Ut sisterent eum Domino, & ut darent hostiam*. Tertiam Lectionem amplectuntur Origenes, Auctor Homil. de occursu apud S. Joann. Chrysost., & Euthymius Comm. in Luc. ita tamen; ut Origenes Christi & Mariæ Purgationem intelligat, Pseudo-Chrysostomus Mariæ & Joseph, Euthymius Mariæ Joseph & Christi purgationem accipiat. Secundam verò Lectionem amplectuntur cum Beda Recentiores, nempè de solius Mariæ legali purgatione Lucam loqui.

V. Hanc Lectionem, ut Evangelico sensui magis conformem suscipio; tum quia Ecclesia Catholica, cujus est recta Scripturarum intelligentia, eam suscepit: Sacrum enim Evangelium recitans in die sacro Purificationis sic legit: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm Legem Moysi*: unde in Martyrologio, & in publicis precum Officiis eam solemnitatem titulo *Purificationis B. Mariæ* ornat: tum quia Lucas agit de purgatione, quæ fiebat secundùm Legem Moysi Levit. 12. Purgatio autem, ut supra observavi, erat solius Matris, cujus immunditia erat eluenda, non filii aut viri. Unde mulier, quæ susceperat masculum, septem diebus manebat immunda ut menstruata, & aliis triginta tribus arcebatur à Sanctuario. Et hac de causa quadraginta dies intercurrunt à die Nativitatis Domini ad diem Purificationis. Accedit, quòd oblatio illa agni anniculi, aut turturum, aut pullorum columbarum, quæ fiebat pro purgatione, non erat pro purgatione filii, sed matris, de qua dicto cap. Levit. v.6. dicitur: *Deferet agnum anniculum in holocaustum*,

ſtum, & pullum columbæ ſivè turturem pro peccato ad oſtium Tabernaculi teſtimonii, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur. Quæ ergo ſecundùm Legem Purgationis fiebant, erant pro purgatione matris, non filii, qui Circumciſione legaliter purgatus fuerat: cùmque purgatio, quam deſcribit Lucas, eſſet ſecundùm Legem Moyſi, fuit purgatio Mariæ Matris, non Filii Jeſus: ideóque Græca Exemplaria, quæ legunt *Autis*, ideſt *ejus* in feminino germana ſunt.

VI. Sed contra ſtat objectio ſupra facta: Tò *ejus* dictum de Purgatione à Luca refertur ad Filium, cujus immediatè ante narraverat Circumciſionem, quem Oblatum in ſequentibus dicit, & pro quo videntur obtuliſſe par turturum, aut duos pullos columbarum; dicitur enim v. 27. *Et cum inducerent Puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem Legis pro eo*: ubi omnia de Jeſu, nihil de Maria Matre.

Reſpondetur ex Serry, totam illam periodum præcedentem, qua narratur Chriſti Circumciſio, debere concludi intra parentheſim, ideòque tò *ejus*, referendum eſſe ad perſonam antea nominatam, nempè ad B. Virginem, de qua dictum fuerat: *Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*: & quod poſt parentheſim ſubjicitur: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*, de illa intelligitur. Quomodo autem Chriſtus fuerit oblatus, & quomodo cæremonia illa dicatur facta *pro eo*, dicam ſtatim.

VII. Alterum dubium eſt: an tam Maria ad Purgationem, quàm Jeſus ad Præſentationem & Oblationem in Templo, Lege tenerentur. Quantùm ad primam dubii partem conveniunt omnes, ſcilicet B. Virginem utraque Lege, tam purgationis quàm oblationis Agni vel Turturum aut Columbarum, fuiſſe immunem, quamvis Origenes Homil. 14. in Lucam diſſentire viſus ſit. Ratio autem duplex eſt: prima, Leges illæ inductæ & latæ fuerunt de muliere, quæ *ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit*, Levit. 12.; Virgo autem Deipara abſque ſuſcepto ſemine peperit, ea ergo Lege ſoluta erat: unde S. Thomas 3. p. q. 37. ar. 4. ad 2. *Signanter*, inquit, *Moyſes videtur fuiſſe locutus ad excipiendam ab immunditia Matrem Dei, quæ non peperit ſuſcepto ſemine. Et ideò patet, quòd non obligabatur ad impletionem illius præcepti, ſed voluntariè purgationis obſervantiam adimplevit.*

Secunda ratio eſt, quia immunditia illa legalis, quæ à parturientibus contrahebatur, quæque ſubinde ex Legis præſcripto purganda erat, ex fluxu ſanguinis menſtrui procedebat: *Immun-*

da erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ: & poſt alia qua: *Mundabitur à profluvio ſanguinis ſui*: at fluxus ſanguinis menſtrui non fuit in Maria Virgine pariente; tum quia fine clauſtri virginalis effractione partum, ut ſupra diximus, effudit; tum quia cùm Spiritus Sancti operâ concepiſſet, ille ſolus ſanguis ad uterum fluxit, qui ad nutrimentum prolis neceſſarius erat; qui ſubinde egreſſo fœtu totus ad ubera concurſus lac factum eſt in cibum nati Infantis. Unde fit, quòd nulla immunditia ex ſanguine menſtruo ex præſcripto Legis purganda in Maria pariente eſſet.

VIII. *Licèt ergo* (inquit S. Thomas a.4. citato ad 1.) *B. Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis obſervantiam implere, non propter indigèntiam, ſed propter Legis præceptum. Et ideò ſignanter Evangeliſta dicit, quòd* „ impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm Legem „; *Ipſa enim ſecundùm ſe purgatione non indigebat*. Et hoc, quia (ut docet ibidem S. Doctor in Corp.) *Sicut plenitudo gratiæ à Chriſto derivatur in Matrem; ita decuit, ut Mater humilitati filii conformaretur*: „ Humilibus *enim* Deus dat Gratiam „, *ut dicitur Jacobi 4. Et ideò ſicut Chriſtus licèt non eſſet Legi obnoxius, voluit tamen Circumciſionem & alia Legis onera ſubire, ad demonſtrandum humilitatis & obedientiæ exemplum, & ut approbaret Legem, & ut calumniæ occaſionem Judæis tolleret: propter eaſdem rationes voluit, & Matrem ſuam implere Legis obſervantias, quibus tamen non erat obnoxia*.

IX. Quoad ſecundum dubium, num Chriſtus ipſe altera Lege de Primogenitis Deo ſiſtendis & conſecrandis teneretur, an verò exemptus eſſet: Obſervo cum S. Thoma 3.p. q. 37. art. 3. Quòd *de prole nata duplex præceptum in Lege traditur. Unum quidem generale quoad omnes, ut ſcilicèt completis diebus purificationis Matris offerretur Sacrificium pro filio, ſivè pro filia, ut habetur Levit. 12. Et hoc quidem ſacrificium erat ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta & nata, & etiam ad conſecrationem quandam ipſius; quia tunc primò præſentabatur in Templo: & ideò aliquid offerebatur in holocauſtum, & aliquid pro peccato. Aliud autem præceptum erat ſpeciale in Lege de Primogenitis, tam in hominibus, quàm in jumentis. Sibi etiam Dominus deputaverat omne Primogenitum filiorum Iſrael, pro eo quod ad liberationem Populi Iſrael percuſſerat Primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus, Primogenitis filiorum Iſrael reſervatis; & hoc mandatum ponitur Exodi 13. In quo etiam præfigurabatur Chriſtus, qui eſt*„ Primogenitus in multis fratribus „, *ut dicitur Rom. 8. Quia igitur Chriſtus ex muliere natus erat, quaſi Primogenitus, & voluit fieri ſub Lege,*

hæc

hæc duo Evangelista Lucas circa eum fuisse observata ostendit. Primò quidem id quod pertinet ad Primogenitos cum dicit,, Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino; sicut scriptum est in Lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur ,, *Secundò illud quod pertinet communiter ad omnes* ,, ut darent hostiam, secundùm quod dictum erat in Lege Domini, par Turturum, aut duos pullos Columbarum,,.

X. Conveniunt omnes, hac secunda generali Lege, nimirùm offerendi Sacrificium pro expiatione peccati, nimirùm legalis immunditiæ, quæ sivè in Conceptione, sivè in Nativitate contrahebatur à prole, Christum adstrictum non fuisse; quia sicut istâ, ut dictum est, caruit Mater, ideòque expiatione non indigebat; ita eadem ratione illâ caruit Filius. Ei tamen sicut & aliis Legis oneribus voluit se subjicere, utpotè qui in similitudine carnis peccati venerat.

Controversia est de priori Lege, quæ de Primogenitis Deo offerendis lata erat: an huic Christus, utpotè Primogenitus, subjectus esset, eo modo, quo ceteri Primogeniti Israel: in quo non pauci affirmativè sentiunt, putantes hanc esse mentem multorum Patrum. Alii verò negant.

XI. Si tamen mihi liceret promere quid sentiam, hæc componerem dicendo, Legem Primogenitorum complecti etiam Christum, non tanquam ei servandæ obligatum, sed tanquam per eam specialiter præfiguratum. Priorem mei asserti partem probo. Nam Lex illa lata erat pro Primogenitis, qui naturali & communi modo vulvam Matris aperiebant: ita enim præcipit Deus Moysi Exodi 13. v.2. *Sanctifica mihi omne Primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quàm de jumentis: mea sunt enim omnia.* Christus autem, etsi lato modo dici possit, quòd aperuerit vulvam Matris, quia eam suo egressui perviam habuit, eam tamen usitato & naturali modo non aperuit, quia eam clausam & intactam reliquit. Insuper volebat Deus omne Primogenitum sanctificari, quia nascebatur non Sanctum, sed immundum: Christus autem conceptus & natus est Sanctus, juxta dictum Angeli ad Mariam Lucæ 1. v.35. *Ideòque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et tertiò, quia hujus præcepti causa fuit redimere Primogenita, quæ Deus sibi reservavit ob præservationem Primogenitorum filiorum Israel à communi nece Primogenitorum Ægyptiorum: ideòque hoc præcepto adstricti soli illi Primogeniti censendi sunt, qui naturali generatione à filiis Israel descendebant, inter quos non erat Christus operâ Spiritus Sancti sine virili semine conceptus.

Po-

Posteriorem autem asserti partem, nempè hoc præceptum in Christo fuisse impletum & consummatum, sicut & omnia legalia, patet, quia in omnibus illis Christus præfigurabatur, & præcipuè in isto, cum ipse solus esset verè Primogenitus & Sanctus. Et hoc puto velle Hieronymum lib. 2. adversùs Pelagianos, aliosque Patres, non quòd hoc præcepto Christus teneretur, sed quòd fuerit præcipuè in Christo impletum, & quòd Christum specialiter præfignaverit. Huic expositioni favet S. Thomas 3. p. q. 37. a. 3. citato ad 1., ubi habet *Sicut Gregorius Nyssenus dicit in illud Lucæ Sanctum Domino* &c. „ Illud Legis præceptum in solo Incarnato Deo singùlariter, & ab aliis differenter impleri videtur. Ipse namque solus ineffabiliter conceptus & incomprehensibiliter editus, virginalem uterum aperuit non antea connubio reseratum, servans & post partum inviolabile signaculum castitatis „. *Unde quod dicit* adaperiens vulvam, *designat, quòd nihil antea inde intraverat vel exiverat. Et per hoc etiam specialiter dicitur* Masculinus, *quia nihil de femineitate culpæ portavit. Singulariter etiam Sanctus, quia* „ terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non sensit „ (*Ambrosius in Luc. cap. 2.*)

Se ipsum ergo præsentavit, non quia ad hoc teneretur, sed quia, ut idem S. Thomas ad 2. ait: *Sicut Filius Dei non propter se ipsum factus est homo, & circumcisus in carne; sed ut nos per gratiam faceret Deos, & ut spiritualiter circumcidamur: sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo præsentare nos ipsos. Et hoc post Circumcisionem ejus factum est; ut ostendat, neminem nisi circumcisum vitiis dignum esse Divinis conspectibus*: & ad tertium: *Propter hoc ipsum*, inquit, *voluit hostias legales pro se offerri, qui erat vera hostia, ut figura veritati conjungeretur, & per veritatem figura approbaretur, contra illos, qui Deum Legis negant à Christo fuisse in Evangelio prædicatum*: „ Non enim putandum est (*ut Origenes dicit Homil. 14. in Luc.*) quòd filium suum bonus Deus sub Lege inimici fecerit, quam ipse non dederat „.

Legem ergo Primogeniti observavit Christus eo modo, quo alias Leges Mosaicas ex convenientia, & mystica significatione, non ex debito, quasi ei adstrictus esset. Quapropter idem Sanctus Thomas Opusc. 60. cap. 8. ait: *Quia ergo Christus ex muliere natus erat Primogenitus, & voluit fieri sub Lege, hæc Evangelista Lucas circa eum observata fuisse ostendit.* Deinde pergit exponens mysticas hujus Christi oblationis significationes.

XII. Si quæras: Cùm inter legales hostias præcipua esset Agnus, & Christi figura proximior, unde Joan. 1. de eo dicitur *Ecce Agnus Dei*: cur in oblatione, pro eo facta, non fuit oblatus

Agnus

Agnus potiùs, quàm par Turturum aut duo pulli Columbarum, cùm ex Lege Agnus anniculus etiam præscriberetur? Neque paupertate excusari poterant parentes ejus; nam ut supra diximus, jam acceperant munera à Magis, inter quæ erat aurum, quo Agnum emere potuissent.

XIII. Respondet S. Thomas 3.p. q.37. ar.3. ad 4., Christum ita voluisse, ut se pauperem profiteretur: nam *Levit.12. præcipitur, ut qui possent, Agnum pro filio aut filia, simul & Turturem sive Columbam offerrent: qui verò non sufficerent ad offerendum Agnum, duos Turtures vel duos Columbarum pullos offerrent. Dominus ergo* „ qui cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopiâ divites essemus „ *ut dicitur 2. ad Cor.8., pro se pauperum hostiam voluit offerri: sicut & in ipsa Nativitate pannis involvitur, & reclinatur in Præsepio.* Adfuit etiam, pergit Sanctus Doctor, mystica significatio: nam *hujusmodi aves Figuræ congruunt. Turtur enim quia est avis loquax, prædicationem & confessionem Fidei significat; quia verò est animal castum, significat castitatem; quia verò est animal solitarium, significat contemplationem. Columba verò est animal mansuetum & simplex mansuetudinem & simplicitatem significans: est etiam animal gregale, unde significat vitam activam; & ideò hujusmodi hostia figurabat perfectionem Christi, & membrorum ejus. Utrumque etiam animal propter consuetudinem gemendi præsentes Sanctorum luctus designat: sed Turtur, quæ est solitaria, significat secretas orationum lacrymas; Columba verò, quæ est gregalis, significat publicas orationes Ecclesiæ: utrumque verò animal duplicatum offertur, ut sanctitas sit non solùm in anima, sed etiam in corpore.* Hactenùs S. Thomas.

§. II.

De Simeone & Anna.

XIV. SCribit S. Lucas cap.2. v.25. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: & venit in Spiritu in Jerusalem. Et cum inducerent Puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem Legis pro eo; & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis Servum tuum Domine secundùm Verbum tuum in pace:* inde fausta parentibus precatus, Infantem Mariæ restituit, prænuntians, Puerum illum positum esse

esse *in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur*. Deinde ad Mariam conversus ei dixit, futurum, ut ejus animus doloris gladio transfigeretur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Hæc dixit Simeon occasione Præsentationis Jesu in Templo.

XV. De isto Simeone addit Leo Allatius in sua Dissert. de Simeonibus, nimirùm, quòd dum se conferret ad Templum, irradiantem subitâ luce Mariam Matrem vidit: quare per transversum Populum ad illam se conferens, bona plurima precatus est, & simul brachiis complexus Puerum, Divino Spiritu afflatus illud incepit *Nunc dimittis* &c. Post redditum Matri Infantem, statim senem, ut sibi precatus fuerat, obiisse, refert Nicephorus, idemque confirmat Menologium Græcorum ad diem 3. Februarii his verbis: *Cum prophetasset* (Simeon) *de Christi morte, deque Cruce & Deipara, quæ Jesum in Cruce pendentem visura esset, & mœrore conficienda, obdormivit*. Ejusque cadaveri sepulturæ honorem denegasse Sacerdotes Hebræorum, quòd testimonium Salvatori dederit, S. Epiphanius *De vita & morte Prophet.* scribit. Quanta fides hisce additamentis adhibenda sit, judicet prudens.

XVI. Alii, inter quos Galatinus lib. 1. de Arcanis Fidei c. 3., volunt, hunc Simeonem ipsissimum esse Simeonem Justum filium Hillelis (qui fuit paulò ante Nativitatem Christi Auctor Scribarum & Pharisæorum) & præceptorem Gamalielis; à quo S. Paulus instructus est, ut fatetur Paulus ipse Act. 22. v. 3. Eadem habet Genebrardus lib. 2. Chronolog. addens: *In Simeone Spiritum Synagogæ Magnæ, qui erat Prophetico minor, communi major, defeciisse, auctores sunt Talmudici in tractatu Pirke Avoth. R. Moses Ægyptius non tantùm discipulum, sed & Hillelis filium fuisse scribit, Gamalielisque, ad cujus pedes Legem Paulus didicit, præceptorem, imo verò & patrem*. Sed cùm multi fuerint Simeones seu Simones (utrumque enim idem nomen est) dicti *Justi*, sicut fuit Simon Pontifex filius Oniæ cognomento Justus, de quo Ecclesiasticus cap. 50. v. 1., cumque Hillelis discipuli Scribæ & Pharisæi fuerint summè contrarii Christo, non videtur Simeon Hillelis filius & discipulus fuisse Simeon, de quo hìc loquimur.

Addunt alii de hoc Simeone majora, quin supra Fidem; eum nimirùm fuisse unum ex Septuaginta Interpretibus, qui sub Ptolemæo Philadelpho Versioni Legis ex Hebræo in Græcum vacarunt. Ita ex Cedreno Leo Allatius citato loco. Sed

hoc

hoc quàm impossibile sit, ex eo patet, quòd cum Versio ista adornata sit 273. annis ante Christum, & dicti Interpretes non admodum juvenes essent, sequeretur, si iste Simon unus ex illis fuisset, eum supra tercentesimum ætatis suæ annum, cùm de Christo prophetavit, habuisse. Missis ergo ejusmodi fabulosis quorumdam Græcorum additamentis;

XVII. Quod de Simeone apud Interpretes disputatur. primò est, an fuerit Sacerdos, an Laicus. Secundò, an fuerit cæcus. Quoad primum, fuisse Sacerdotem, affirmare videntur, non Vulgus aut Pictores tantùm, ut putat Serry, sed Lyranus, Dionysius Carthusianus, Cardinalis Cajetanus, Toletus, Baronius ad ann. Christi 1. n.4., & alii apud Cornelium à Lapide, addentes Athanasium & Epiphanium. Negant tamen communiùs cum Theophylacto Euthymio & aliis Doctores, cum quibus

XVIII. Dico, Simeonem, de quo loquimur, non fuisse Sacerdotem, sed Laicum. Et potissima ratio est silentium Lucæ, qui cùm in suo Evangelio de Simeone prærogativas & laudes celebret, nihil tamen de ejus Sacerdotio profert, alioquin non omissurus hoc in facto, si revera Sacerdos fuisset, sicut non omisit, cùm de Zacharia loqueretur cap. 1. v. 5. si sed solùm dicit: *Homo erat in Jerusalem; & homo iste justus & timoratus* -- Nec obest, quòd cap. 2. v. 34. dicat: *Et benedixit illis Simeon*, nempe Christi parentibus. Nam legimus in Sacris Litteris, antiquos Patriarchas, qui tamen non erant Sacerdotes, benedixisse filiis suis; Seniores etiam, Patres familias, aliosque etsi laicos, aliqua tamen dignitate præstantes viros, benedixisse; & modò etiam videmus filios à parentibus benedictionem petere. Et ratio est, quia sic benedicere nil aliud est, quam bona fausta & prospera alteri precari, quod quisque etiam Laicus facere potest; & hoc modo Simeon Christi parentibus benedixit, tamquam Prophetico Spiritu bona eventura prædicens. Unde ex quo Simeon benedixerit eis, non infertur, eum Sacerdotalem functionem hoc actu exercuisse.

XIX. Accedit, quòd Simeon accepit Puerum Jesum in ulnas suas, super eum prophetavit & benedixit extra Templum, vel saltem ad fores Templi, quando Maria & Joseph eum in Templum inferebant, ut in Templo sisterent, quod indicant illa verba Lucæ c. 2. v. 27. *Et cum inducerent Puerum Jesum parentes ejus, venit in spiritu in Templum*, & quasi illis occurrens *accepit eum in ulnas suas* &c. qua ratione hæc solemnitas in Ecclesia primò vocabatur à Græcis *Hypapantes*, idest *Occursus*: hinc

tot Græcorum Patrum sermones & Homiliæ *in Occursu Domini*. Rursùs Simeon in spiritu venit in Templum, non stabat in Templo: Sacerdotes autem in Templo manebant; non occurrebant venientibus, sed stabant in interiori parte Templi juxta Tabernaculum, & ibi pueros è manibus parentum excipiebant, & Deo pro munere & officio suo sistebant.

Nec legitur Simeon obtulisse Puerum Jesum Deo, sed solùm, quòd accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, quòd hanc illi gratiam fecisset, ut ante mortem videret Christum Domini. Imo nec poterat eum offerre; nam Puerorum Oblatio in Templo non fiebat, nisi postquam illorum Matres Legi Purgationis satisfecissent, & in semota Templi parte præscripta munera obtulissent: ante enim id temporis censebantur Immundæ, omne Sanctum non tangebant, nec ingrediebantur in Sanctuarium, Levit. 12. Simeon autem totum, ut dicebamus, exercuit, dum parentes ejus Puerum in Templum inducerent, cum nondum Mater ejus Purgationis Legem impleviset, & ad eam implendam adhuc pergeret: & ideò post occursum Simeonis & Annæ prophetissæ subjungit Lucas, quòd *perfecerunt omnia secundùm Legem Domini*. Signum ergo est, quòd ante non perfecerant.

XX. Hinc Ecclesia tam Græca quàm Latina Simeonem vocat quidem Senem, numquam tamen Sacerdotem. Latina quidem in Martyrologio ad diem 8. Octobris his verbis: *Natalis S. Simeonis Senis, qui in Evangelio Dominum Jesum suis in ulnis suscepisse legitur.* Et in Officio Festi Purificationis Simeonem sæpè nominat, nunquam tamen eum Sacerdotem appellat. Græca verò in Menologio ad diem 3. Februarii hæc habet: *Simeon Senex, justus & pius, & ab omni malo se ipsum abstinens, cum Templum frequens adiret* &c. Unde Theophylactus in cap. 2. Lucæ de Simeone: *Non erat*, inquit, *Simeon Sacerdos, sed homo Deum amans, & expectans, quando veniat Christus consolaturus Hebræos*: & Euthymius in quatuor Evangelia cap. 3. *Spiritus Sanctus erat super eum: Spiritus Sanctus Prophetiæ. Non erat autem Sacerdos, ut mihi interim videtur; aliàs enim & hoc omnino manifestasset Evangelista, tanquam magnam Viri dignitatem.* De facto autem Lucas dicit: *Homo erat* (non dicit Sacerdos) *in Jerusalem, cui Nomen Simeon, & homo iste justus*: ac Photius etiam in Amphilochiis quæstionibus qu. 186. ait: *Non erat Sacerdos Simeon, tametsi Sacerdotibus virtutum merito multò præcelleret.* Firmatur hoc etiam ex alto apud ceteros Patres de Sacerdotali Simeonis dignitate silentio. S. Augustinus inter ceteros quater

ad

ad minus de Simeone loquitur, nempè ſerm. 163., aliàs 3. de verbis Apoſt.; ſerm. 277., aliàs 102. de diverſis; ſerm. 298., aliàs 23. ex Sirmondianis; ſerm. 370., aliàs 10. de Tempore: ſemper tamen illum Simeonem Senem, juſtum, nunquam verò Sacerdotem appellat.

XXI. Scio, Adverſarios pro Sacerdotio Simeonis adducere Athanaſium Lib. *De naturali communione eſſentiæ Divinæ*, Epiphanium Lib. *De Vitis Prophetarum*, Cyrillum Hieroſol. *in Homil. de Occurſu Domini*, & S. Auguſt. ſerm. 13. *De tempore*, *qui eſt 9. de Nativit.*, dicentem: *In Templo præſentabatur, & à Simeone Sene, annoſo, probato, Coronato agnoſcebatur*, ubi verbum *Coronato* de Corona Sacerdotali exponunt.

At ſciant, velim, allata teſtimonia ſuſpectæ Fidei eſſe, quia ex ſpuriis dictorum Patrum ſœtibus depromta. Et primò, Opus illud non eſſe partum Athanaſii ex eo evinco, quia inter Opera Athanaſii genuina, imo neque inter ſpuria ſub eo titulo reperire potui. Reperi quidem inter ſpuria Athanaſii Homiliam quandam *in Occurſum Domini*, in qua multa inaudita recenſentur, nimirùm quòd Simeonem extenſis manibus Infantem Deum hominem è maternis ulnis accipere conantem *paululùm Mater cohibuit; nec dum enim clarè noverat, Senem in Spiritu in Templum adveniſſe. Poſt ut Divinum vidit Infantem in ulnis ſubſultantem ſuis, atque in illius inſilire manus contendentem, ſtatim cognoſcit vim Myſterii, manuſque porrigente Sene tradit illum: Accipe, clamans, homo venerabiliſſime, eum, qui in te magis, quàm in me puerperam inſilire feſtinat: accipe illum, qui te magis, quàm Joſeph expetit: accipe illum, qui amicitiæ tuæ, ſuam erga me Matrem poſthabere videtur: accipe, ac à te deſiderato arbitratu tuo fruere. Hæc Deipara, ac in ſenis manibus filium reponit.* Auctor deinde inducit Simeonem in gratias effuſum Puerum Jeſum alloquentem, & Jeſum prolixo ſermone ei prænuntiantem omnia, quæ pro homine facturus & paſſurus erat, & quidem ſigillatim, ut ſuo tempore evenerunt. Quæ omnia, nimirùm Mariæ detrectatio tradendi Puerum Simeoni, conatus Pueri inſiliendi in ejus brachia, allocutio tum Mariæ ad Simeonem, tum Simeonis ad Puerum, tum demum Pueri revelatio facta Simeoni, cùm omni fundamento ſivè Evangelii ſivè Patrum ſivè probatæ Hiſtoriæ careant, commentitia habenda ſunt. Hoc unum ad rem præſentem obſervo, quòd Auctor Simeonem ſemper vocat Senem, nec verbulum facit de ejus Sacerdotio.

Deinde nec Librum de Vitis Prophetarum eſſe Opus S. Epiphanii, nec S. Cyrilli Hieroſolymitani Homiliam de Occurſu

Domini, Critici omnes conveniunt. Sermo autem ille 13. de tempore, olim S. Augustino tributus, modò tanquam illegitimus illius fœtus in Appendicem rejectus est. Quamquam, etsi admitteretur, nihil Adversarii concluderent. Nam quòd ibi Simeon vocetur Senex *Coronatus*, non rectè infertur, eum coronatum fuisse Mitra Sacerdotali, sed potiùs meritis ac virtutibus, ideòque hujus sermonis Auctorem respexisse credendum est ad illud Jacobi 1. v. 12. *Beatus Vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet Coronam vitæ;* vel ad alia Scripturæ loca, in quibus coronati dicuntur, qui nec Sacerdotes, nec Reges erant, Corona scilicet honoris & gloriæ. Nihil ergo est, quod moveat, ut assentiar, Simeonem Senem fuisse Sacerdotem.

XXII. Minùs moveor, ut adhæream secundo, quod nimirùm iste Simeon fuerit cæcus, & Christo in ulnas accepto de repentè factus fuerit videns. Nam primò, si hoc verum esset, Lucas certè de tanto Miraculo non tacuisset, sicut non tacuerat ante aliud de Zacharia parente Joannis, qui ob incredulitatem factus mutus, in Joannis Circumcisione loquelam repentè recuperavit. Deinde si fuisset cæcus, non potuisset Altaris ministerio deservire, cùm tamen, qui eum volunt cæcum, velint simul fuisse Sacerdotem, cùm Levit. 21. v. 18. de Sacerdote legatur: *Non accedet ad ministerium ejus si cæcus fuerit* &c. Imo nec potuisset in Templum ingredi, juxta illud 2. Reg. 5. v. 8. *Cæcus & claudus non intrabunt in Templum*. Dato autem, quòd in Templum introisset cæcus, aliquo eum manuducente indiguisset, ut accederet ad Puerum Jesum, cùm nonnisi post eum in ulnas acceptum visum eum recuperasse dicant: quod Lucas non prætermisisset. Duplici ergo lumine Simeon accessit ad Jesum, & lumine oculorum Corporis, & lumine Prophetico mentis.

XXIII. Nunc de Anna vidua prophetissa pauca dicam; de hac enim S. Lucas cap. 2. à v. 36. completâ narratione eorum, quæ à Simeone gesta & prænuntiata sunt, prosequitur: *Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de Tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum Viro suo annis septem à Virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die; & hæc ipsâ horâ superveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant Redemtionem Israel.* Quomodo autem Anna esset in Templo serviens nocte ac die, diximus supra cap. 3. §. 5. à num. 29. Hujus Sanctæ Viduæ memoria fit in Martyrologio Romano ad diem 1. Septembris his verbis:

Hie-

Hierosolymis Beatæ Annæ Prophetissæ, cujus sanctitatem sermo Evangelicus prodit. In Menologio autem Græcorum ad diem 3. Februarii unà cum Simeone, ubi hæc leguntur: *Similiter & Anna Prophetissa orans idem Oraculum accepit;* quam expleto vaticinio, sicut & Simeonem, statim obiisse dicit: *Similiter & Anna gratias Deo agens, finem vivendi fecit.*

XXIV. De his S. Ambrosius in cap. 2. Lucæ: *Omnis*, inquit, *ætas, & uterque sexus, eventuumque miracula fidem adstruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus expectat.* Et infra: *Prophetavit itaque Simeon, prophetaverat copulata conjugio, prophetaverat Virgo. Debuit etiam Vidua prophetare, ne qua aut professio deesset aut sexus. Et ideo Anna & dispendiis viduitatis & moribus talis inducitur, ut digna planè fuisse credatur, quæ Redemtorem venisse omnium nuntiaret. Cujus merita cum alibi* (Lib. de Viduis) *describserimus, cum viduas hortaremur, hoc loco, quoniam ad alia properamus, non putamus iteranda.*

Et S. Hieronymus Epist. 10., modò 47. ad Furiam, ait: *Volumus scire, quales esse debeant viduæ? Legamus Evangelium secundùm Lucam* „ Et erat, *inquit*, Anna Prophetissa filia Phanuel de Tribu Aser „ *Anna interpretatur* Gratia: *Phanuel in lingua nostra resonat* vultum Dei. *Aser vel in* beatitudinem, *vel in* divitias *vertitur. Quia igitur ab adolescentia usque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus sustinuerat, & non recedebat de Templo Dei, diebus ac noctibus insistens jejuniis & obsecrationibus: idcircò meruit gratiam spiritualem, & nuncupari filia vultus Dei, & ab atavis beatitudine divitiisque censetur.*

XXV. Mitto fabulosam narrationem, quæ apud Antiquos non paucos Traditionis nomen obtinuit, nempè quòd Maria Purgationis Officium impletura in Templum ingressa, non unà cum aliis mulieribus virum passis in Templo precari voluisset, sed altero in loco Virginibus destinato: qua de re cum scandalum Judæi paterentur, eamque loco pellere tentassent, Zachariam Joannis parentem Sacerdotium pro vice sua gerentem partes illius suscepisse, atque ibi manere ac precari jussisse, cùm eam & Dei Matrem & Virginem esse, probè sciret. Quæ demum causa fuerit, cur Zacharias à Judæis Templum inter ac Altare præ livore & invidia fuerit occisus. Et huc trahebant illud Christi Matth. 23. v. 35. *Veniet super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & Al-*

& *Altare*. Mitto, inquam, hanc enim fabulam esse, ostendi supra cap. 6. §. 3., dum de morte Zachariæ patris Joannis agerem.

§. III.

De Festi Purificationis Antiquitate.

XXVI. FEstum hoc, quod *Purificationem* vocamus, à Græcis *Hypapantes* dicitur, quasi *Subobviatio*, vel *Obviam processio* honoris causâ, quia hac die Simeon obviam Christo processit, eum tanquam Messiam in Lege promissum venerando. Quapropter, ut ait Joannes Baptista Casalius de Vet. Sacr. Christian. Ritibus cap. 42., hac die Candelas portamus, ut felici gaudio Simeonis aliqualiter participemus, qui Christum Infantem gestans in ulnis agnovit & confessus est *Paratum ante faciem omnium Populorum Lumen ad revelationem Gentium*. Ejus igitur visibile signum portamus in manibus, quem visibilem ut Simeon gestare non possumus; sacri enim illi Cerei id, quod visibile erat Christi, nobis aptè significant: quia sicut Apis ceram cum melle virginali producit opere, sic Maria Virgo Christum Deum & Hominem genuit, salvâ sui virginitate; Apes namque nec ullo concubitu miscentur, neque libidine solvuntur, nullis partus doloribus concutiuntur, sed subitò magnum filiorum examen emittunt, de foliis & floribus prolem ore suo legentes: quo nil convenientius, hac Purificationis Virginis puerperæ die excogitari poterat.

XXVII. Unde autem ortum in Ecclesia habuerit hujus solemnitatis Ritus, non una est omnium sententia. Baronius in Notis ad secundam diem Februarii dicit, quòd huic Solemnitati Sergius Papa (ut habet Ordo Romanus) addidit Litanias, sic institutas, ut exeunte Clero cum Populo ab Ecclesia S. Adriani fieret processus cum Cereis ad talem usum benedictis ad Basilicam S. Mariæ Majoris. Nec tamen quis putet, Cereorum usum ab eodem Sergio primò institutum; Nam S. Eligius Episcopus Noviomensis, qui ante Sergii tempora vixit, obiitque (ut scribit Sigebertus in Chronic.) anno Domini 665., in sermone, quem in ea solemnitate habuit, pluribus disserit de eo Mysterio Cereorum. Porrò etiam ante Christi adventum Cereorum in singulos distributio à Gentilibus fieri consuevit in Saturnalibus, quæ agebantur mense Decembris, ut tradit Macrobius lib. 1. Saturn. Hinc putamus (sicut de multis aliis contigit) Ritum illum

lum superstitiosum, expiatum ac religiosum redditum, in Dei Ecclesiam esse laudabiliter introductum. Sed quando, & à quo, determinare non possumus: illum esse in Ecclesia antiquum certum est. Imo, ut refert Beda lib. de temp. ratione cap. 10., non tantùm in Festo Purificationis, sed & in aliis ejusdem Dei Genitricis solemnitatibus, distributio Cereorum fieri consuevit. Hæc ex Baronio loco citato.

XXVIII. Causam autem usus Cereorum in hac celebritate, putat Baronius, fuisse Gelasio Papæ, ut Saturnalia & Lupercalia Gentilium Sacra, quarum semina apud Christianos aliqua remanserant, ea à superstitiosis in religiosa transferendo, penitùs eradicaret. Saturnalia erant Festa septem, vel quinque, aut, ut aliis placet, trium dierum in honorem Saturni, qui dies pleni erant lætitiâ epulis & comessationibus; munera ultrò citròque mittebantur. Romani illis diebus Syntheſim, quæ vestis quædam brevis erat, sumebant, & servis discumbentibus inserviebant; Saturni enim ævo omnia communia fuere, nec, quid servus esset, notum fuit, ut apud Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 7. Lupercalia verò erant solemnia quædam Sacra, quæ Romani in Antro quodam sub Monte Palatino in honorem Panis Pastorum Dei celebrabant. Capram Pastores immolabant, dein variis ludis se exercebant: Romulus autem instituisse creditur, ut canis immolaretur: qua re Lupæ nutrici suæ gratias referre videbatur; nam Canis natura adversatur Lupis. Sacerdotes, qui Luperci vocabantur, peracto Sacrificio faciem sibi larvâ tegebant, vel potiùs sanguine fœdebant, & nudi discurrebant circa Urbem veterem, ideſt Palatium. Mulieres etiam, quæ concipere, vel conceptos fœtus edere non poterant, ad Lupercos accedebant, à quibus, ubi loris è tergore hirci sectis cæsæ fuissent, è vestigio gravidæ aut effœtæ efficiebantur. Ad hæc & alia superstitiosa & inhonesta è Romanorum memoria prorsùs delenda, Sacri in solemnitate Purificationis Ritus introducti fuere.

XXIX. Alii tamen volunt, Sacros hosce Ritus non ad abolenda Saturnalia aut Lupercalia, sed potiùs Amburbalia (alia Gentilium Sacra) institutos fuisse: hæc enim à Romanis initio Februarii celebrabantur, cum Saturnalia á 17. die Decembris inchoarentur, Lupercalia autem 15. Kalend. Martii, seu 15. Februarii celebrarentur, ut Lilius Greg. Gyraldus in Hist. Deorum Syntagm. 17. de Celebrit. & Festis, & Alexander ab Alexandro Genial. dierum lib. 4. c. 12. Hujus sententiæ est Innocentius III., qui in Serm. de Purific. hæc habet: *Quid est autem, quòd in hoc Festo cereos portamus accensos? Hoc ex libro Sapientiæ potest conji-*

ci,

ci, ubi legun tur Idololatræ obſcura ſacrificia facientes. Gentiles enim Februarium menſem inferis dedicaverunt, eò quod ſicut putabant, in principio ejus menſis Proſerpina rapta fuerat à Plutone: quam quia Mater ejus Ceres facibus accenſis in Ætbna tota nocte per Siciliam quæſiſſe credebatur, & ipſi ad commemorationem ipſius facibus accenſis in principio menſis Urbem de nocte luſtrabant: unde Feſtum illud Amburbale: *Cum autem Sancti Patres conſuetudinem iſtam non poſſent penitùs exſtirpare, conſtituerunt, ut in honorem B. Virginis Mariæ Cereos portarent accenſos. Et hoc, quod priùs fiebat ad honorem Cereris, modò fit ad honorem Virginis. Et quod prius fiebat ad honorem Proſerpinæ, modò fit ad laudem Mariæ. Ob hoc quoque in Purificatione Virginis Cereos accenſos portamus, ut purificati per Gratiam, cum accenſis lampadibus, quaſi prudentes Virgines, ad nuptias ingredi mereamur.* Ita Innocentius.

XXX. Concordat Rabanus Maurus de Eccleſiæ Cæremoniis lib. 2. cap. 33. dicens: *Eſt quoque Feſtivitas hæc Purificationis incipiente Februario menſe, qui à Februo ideſt Plutone, qui luſtrationum potens à Gentibus credebatur ita vocatus eſſe; luſtrarique eo menſe apud Romanos Civitatem, conſuetudo erat, ut juſta diis manibus ſolverentur; ſed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutavit Chriſtiana Religio, cum in menſe eodem die S. Mariæ plebs univerſa cum Sacerdotibus ac Miniſtris, hymnis & modulationibus devotis per Eccleſias perque congrua urbis loca procedit: datoſque à Pontifice cunctis Cereos in manibus geſtant ardentes* &c. Idem ſentit S. Hildefonſus Epiſcopus Toletanus ſerm. de Purificat. Virginis. Idem alii à Gyraldo in Hiſt. Deorum Syntagm. 17. tit. de Inferorum Sacrif., Durandus lib. 7. c. 7., Beda de Temp., aliique graves Auctores. Præterquamquod ex ipſa accenſione luminum magis cum Amburbalibus, quàm cum Lupercalibus ſimilitudinem habet.

XXXI. Circa tempus verò, quo Purificationis Feſtum celebrari cœptum fuit, duæ ſunt opiniones. Prima eſt Baronii in Notis ad 2. diem Februarii dicentis, hanc Feſtivitatem, quam Græci *Hypapantem*, ideſt *Occurſum* Domini appellant, ſub Juſtiniano Imperatore anno 541. in Oriente celebrari cœptam eſſe; teſtemque affert Nicephorum, qui lib. 17. Hiſt. Eccl. cap. 28. ait, *Imperatorem Juſtinianum inſtituiſſe tum primùm, toto terrarum Orbe Feſto die celebrari Hypapantem, ideſt Occurſum Domini.* Occaſionem autem Sigebertus in Chron. ad an. 542. declarat his verbis *Conſtantinopoli mortalitate magna inſurgente, ſtatuta eſt ſolemnitas B. Mariæ, quæ Græcè* Hypapante, *ideſt* Obviatio *dicitur.*

Altera eſt Bollandi, qui tom. 1. de Actis Sanct. pag. 270. exi-

existimat, ab ipsis Apostolorum temporibus arcessendam esse Purificationis Beatæ Virginis solemnitatem: neque contrarium evinci ex Nicephoro citato; Nicephorus enim dicit, quòd Imperator Justinianus instituit, ut toto terrarum Orbe Hypapantis festivitas celebraretur; *Sicut Imperator Justinus de Sancta Christi Nativitate fecerat*: porrò certum est, Festum Nativitatis Christi primis Ecclesiæ seculis fuisse jugiter celebratum, nec primò celebrari absolutè cœpisse sub Justino: ergo similiter nec Festum Purificationis absolutè celebrari cœpit sub Justiniano, cum idem Baronius citato loco fateatur dicens: *Constat autem, Gelasium Romanum Pontificem, qui annis triginta ante Justiniani tempora Romanæ Ecclesiæ præfuit, hujus diei celebrandæ in Occidentali Ecclesia aperuisse viam, dum Lupercalia* (seu ut diximus Amburbalia) *mense Februario agi solita, Romæ ad ea tempora permanentia, Legibus Ecclesiasticis abrogavit*. Igitur, ipso Baronio testante, ante Justiniani tempora Festum hoc Romæ celebrabatur, cui celebritati, abrogando Gentiles Ritus, majorem aperuit viam Gelasius, idest eam solemnitatem reddidit solemniorem: cujus simile fecit postea Justinianus in Oriente, non eam primò instituendo, sed severiore aliqua sanctione, puta diem Festum, & à servili opere feriatum eam declarando, vel alio solemniore modo, quàm ante, ejus celebritatem præcipiendo. Ceterùm ostendit Bollandus, Purificationis Mariæ, seu Occursus Domini festivitatem, in Palæstina, Phœnicia, Syria, atque Asia reliqua primis Ecclesiæ seculis viguisse. Et in confirmationem affert Methodium, Gregorium Nyssenum, Amphylochium, utrumque Cyrillum, Sophronium & Chrysostomum, qui Sermones seu Homilias in ea Festivitate habuere. Ex quibus censet Bollandus, Festum hoc antiquissimum fuisse in Ecclesia, & circa Apostolorum tempora, quamvis non in omnibus Orbis Ecclesiis, celebrari cœpisse; & succedentibus seculis ad omnes totius Orbis Ecclesias ampliatum, & majori solemnitate auctum ob causas supra recensitas, tum quoad Processionem, tum quoad Candelarum distributionem, quæ modò in usu sunt. Quare concludit, de hujus Festi origine tenendam esse Regulam S. Augustini lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum certissimè creditur*. Utramlibet harum duarum opinionum seligat Lector.

CAPUT XIII.

De Fuga in Ægyptum.

§. I.

Aliqua prænotantur.

1. CUm ea, quæ, ut cap. præcedente narravimus, in Pueri Jesu Præsentatione contigerunt, non in angulis, sed in Templo agerentur, & tam ex Simeonis Cantico, & Prophetici dictis, quàm ex Annæ attestatione jam spargerentur in Vulgus, & ad Herodis aures pervenirent, cujus animo de nato Rege Judæorum ex relatione Magorum timor altè insederat: hisce rumoribus videns, se à Magis, quorum reditum, ut monuerat, fortè adhuc præstolabatur, fuisse delusum, magisque timens, hunc Puerum, de quo tanta vulgabantur, esse Regem Judæorum recèns natum, in furorem actus, ut se eo metu liberaret, necem Infantium Bethlehemitarum imperavit, putans, Puerum illùc, ubi natus erat, traductum. Sed tam atroci facinori per Angelum Joseph monens Deus occurrit: sic enim refert Matthæus cap. 2. v 13. *Qui* (ideſt Magi) *cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usquedum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.*

Neque ex modo loquendi Matthæi, conjungentis secessum in Ægyptum cum discessu Magorum, putet quis, abeuntibus Magis, statim fugam in Ægyptum secutam fuisse: non enim hæc contigit nisi impleto Hierosolymis Purgationis officio, hoc est post quadraginta dies à Nativitate. Si enim statim, vel ante id temporis, Josepho mandatum de fuga in Ægyptum datum fuisset, cum Joseph confestim, & ipsa eadem nocte consurgens illud implevérit, & in Ægypto aliquandiù substiterit, non fuisset locus peragendi Purgationis officium, sistendi Puerum Domino: nec alia, quæ hac occasione in Templo contigisse, cap. præcedente ex Luca cap. 2. narravimus, veritatem habere possent. Unde, ut benè notat Jansenius in Tetrateucho in c. 2. Matth. ad illa verba: *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini* &c. non statim à discessu apparuit, sed interjectâ totâ historiâ Purificationis, imo re-

reversionis in Nazareth, ut videtur indicare Lucas cap. 2. v. 39.: & affert testimonium S. Augustini lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 5., ubi rem istam tractans, ne quis conturbetur, monet: *Sic unumquemque Evangelistam contexere narrationem suam, ut tanquam nihil prætermittentis series digesta videatur; tacitis enim, quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa continuò sequi videantur: sed cum alter ea dicit, quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum, ubi ea potuerit, à quo prætermissa sunt, transilire, ut ea, quæ dicere intenderat, ita superioribus copularet, tanquam ipsa nullis interpositis sequerentur. Ac per hoc intelligitur Matthæus, ubi ait, somnio admonitos Magos, ne redirent ad Herodem, & per aliam viam regressos in Regionem suam, illic prætermisisse, quæ Lucas narravit gesta circa Dominum in Templo, & dicta à Simeone & Anna; ubi rursùs Lucas prætermittens profectionem in Ægyptum, quam narrat Matthæus, tanquam continuam contexuit regressionem ad Civitatem Nazareth.* Hæc Augustinus: qui subinde contexens unam narrationem ex omnibus, quæ de Christi Nativitate, & Infantia vel Pueritia in utriusque Evangelistæ narratione seu dicuntur seu prætermittuntur, post regressum Magorum ponit Præsentationem in Templo impletîs Purgationis diebûs: *Et cum perfecerunt omnia secundùm Legem Domini*, subjungit: *Ecce Angelus Domini* &c. Deinde profectionem in Ægyptum.

II. Hìc petet aliquis: cum posset Deus aliis viis præservare ab Herodis furore Filium suum, cur voluit, ipsum fugere in Ægyptum? Ex hac fuga plerique Infidelium occasionem sumserunt negandi, eum fuisse verum Deum, dicentes: si verus Deus fuit, quid oportuit fugâ vitæ ejus consulere? Et Nestoriani apud Maxentium Dialogo 1. publicare non erubescebant: *Quid potest esse iniquius, quàm ut credatur Deus propter hominem fugisse in Ægyptum?*

III. Si hæc instantia locum haberet, sequeretur, non solùm fugam in Ægyptum, sed omnia alia, quæ Filius Dei secundùm hominem fecit, & passus est, dum permisit, se à militibus capi, ad Tribunalia rapi, flagellis cædi, coronari spinis, cruci affigi, & morti tradi, ejus veræ Divinitati derogasse; magis enim indignum est, Deum hæc prædicta pati, quàm fugiendo declinare persecutorem, quia nondum advenerat tempus, quo pati volebat. Insuper Christus erat Deus, sed erat etiam Homo: se esse Deum monstravit in Nativitate per Angelos & Stellam, se esse autem Hominem, præter cetera, monstrare voluit fugiendo in Ægyptum. Hinc Chrysostomus hom. 8. in Matth. *An*,

inquit, *oportebat, illum incidere in manus Herodis, & captum non interfici? At non putatum fuisset, ipsum accepisse carnem, neque œconomiæ magnitudo credita fuisset. Nam si his ita gestis, postquam multa humano modo dispensata sunt, quidam dicere ausi sunt, carnis assumtionem esse fabulam; quò impietatis non prorupissent, si omnia Divino modo, & secundùm suam potentiam feciisset?* Et Fulgentius serm. de Epiphania: *Dignatus est in Ægyptum fugere, ut postea crucem dignaretur ascendere, facit enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena.* Fugit voluntate non necessitate. Ita idem Fulgentius: *Fugit, non formidine humana, sed dispensatione Divina, fugit, non necessitate, sed potestate.*

Examinandum modo est primò, ex quo loco fugerint Maria & Joseph cum Puero in Ægyptum. Secundò, quanto tempore in Ægypto permanserint. Tertiò, an miracula in Ægypto patrata vera sint.

§. II.

Ex quo Loco fugerint.

IV. IN hoc duplicem invenio sententiam. Prima asserit, ex Bethlehem Sanctos Conjuges cum Puero Jesu fugam arripuisse in Ægyptum. Secunda ex Hierosolymis post Præsentationem in Templo factam. Tertia ex Nazareth, quò, impleto Præsentationis officio, se receperant.

Huic tertiæ sententiæ, ut communiori & probabiliori subscribens, censeo, Sanctos Conjuges post Præsentationem cum Puero Nazareth reversos, nuntio ibi per Angelum à Joseph accepto, inde in Ægyptum transfugisse. Id colligo ex dictis. Mandatum enim de Fuga, & Fuga ipsa in Ægyptum non contigerunt, nisi peracto Purificationis officio, dicente Luca c. 2. v. 39. *Et ut perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reversi sunt in Galilæam in Civitatem suam Nazareth*: ubi verba illa *Ut perfecerunt reversi sunt* denotat, illos reversos esse statim ac perfecta sunt omnia ad Legem Purgationis spectantia. Unde necessariò consequitur, Mandatum Fugæ datum fuisse Nazareth, & ex Nazareth reipsa fugam arripuisse. Non enim ex Bethlehemo fugam arripuerunt statim post Magorum discessum, aliàs Legem Purgationis implere non potuissent: neque post impletam Purgationis Legem; nam, ut dicit Lucas, post eam impletam reversi sunt, non in Bethlehem, quò occasione census profecti erat, & ubi occasione Partus Mariæ Virginis usque ad tempus purgationis

bis manserant, sed in Nazareth Civitatem suam. Neque ex Hierosolymis eadem ratione, quia, ut scribit Lucas, peracto Hierosolymis Purgationis officio, non abierunt statim in Ægyptum, sed reversi sunt in Nazareth Civitatem suam.

Neque dicas, reversionem in Nazareth referri ad tempus, quo ex Ægypto regressi sunt, ut videtur exposuisse Augustinus lib. 2. de Cons. Evangelist. cap. 5. Hæc enim expositio non cohæret verbis supra relatis Lucæ: *Et ut perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reversi sunt in Galilæam in Civitatem suam Nazareth*: quæ indicant, eos peracto Hierosolymis Purgationis officio, inde Nazareth transmeasse. Duplicem ergo regressum parentum Christi in Civitatem Nazareth censeo distinguendum: Unum ex Hierosolymis peracto Purgationis officio: & de hoc loquitur Lucas: Alterum ex Ægypto mortuo Herode; & de hoc loquitur Matthæus cap. 2. v. 23. *Et veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth.*

V. Accedunt aliæ congruentiæ, cur ex Nazareth potiùs, quàm aliunde Joseph fugerit in Ægyptum. Prima, quia decebat, ut antequam in Ægyptum pergerent, essent in loco, in quo parare statim possent viaticum, & alia necessaria ad iter longum peragendum: ad hoc autem nullus locus aptior erat, quàm Nazareth, ubi domum propriam habebant, & bona aliqua, de quibus posset disponere ad iter. Secunda, quia tempus abundè suppetebat ad fugâ se subtrahendum ab Herodis furore. Nam à die 2. Februarii, qua Purgationis officium impletum fuit, usque ad tempus Paschatis, circa quod creditur inchoata cædes Infantium, circa duo menses interfluxerunt.

VI. Sed dices primò: ex illo loco justus est Joseph aufugere, in quo timeri poterat, ne Jesus occideretur ab Herodis satellitibus: nullus autem erat timor, quòd occideretur in Nazareth; illum enim non quæsivit ad necem Herodes in Galilæa; ubi Nazareth erat, sed in Bethleem Civitatem Judææ, & in omnibus finibus ejus: non ergo ex Nazareth, sed ex Bethlehem aufugit.

VII. Respondeo primò, quòd si hic discursus valeret, & si Joseph tunc Bethlehem substitisset, non fuisset necesse, ut in Ægyptum regionem remotam fugeret, cum simpliciter extra Bethlehem, & omnes fines ejus, & etiam Nazareth, à furore Herodis, qui Bethlehem tantùm, & in omnibus finibus ejus pueros jusserat interfici, securus fuisset.

Respondeo igitur secundò: Idcircò Joseph fugere in Ægyptum jussum fuisse cum puero Jesu, quia Herodes non sola Bethlehemiticorum puerorum, quæ fines Bethlehem non excessit, con-

contentus, aliis quibuſque modis & artibus Nati Pueri vitæ inſidiabatur, quàcumque ejus dominatio pateret, quæ non ad Judæam dumtaxat, ſed & ad Galilæam extendebatur; Herodes enim Magnus Regnum Judæorum integrum obtinebat. Quandoquidem diviſio illa in quatuor Tetrarchias (quarum prima, complectens Judæam Hieroſolymam & loca ejus finitima, Samariam & Idumæam, Archalao & filio ejus contigit; Altera nempè Galilæa Herodi Antipæ data eſt; Tertia, nempè Iturea & Traconitis Philippo ceſſit; Quarta nempe Abilina Lyſaniæ conceſſa fuit, ut ex Luca c. 3. & Joſepho l. 10. Antiq. c. 10.) ſolùm poſt Herodis Magni obitum facta eſt.

Accedit quòd non ſolus Herodes, ſed & Scribæ ac Sacerdotes in pueri Jeſu necem conſpiraverant. Unde ſuper illa verba: *Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*: S. Hieronymus in c. 2. Matthæi ait, *Ex loco intelligimus, non ſolum Herodem, ſed & Sacerdotes, & Scribas eodem tempore necem Domini fuiſſe meditatos*. Ejuſmodi autem homines nedum in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, ſed & in Nazareth, & universâ Galilæâ reperiebantur.

VIII. Dices ſecundò: Ex illo loco fugiſſe in Ægyptum Joſeph exiſtimandus eſt, ad quem mortuo Herode cogitabat reverti: atqui cogitabat reverti, non Nazareth Galilææ, ſed in Judæam, nimirùm vel Bethlehem vel Hieroſolymam; quamvis poſtea audiens, ibi Archelaum filium regnare, timuerit illò ire, ſed monitu Angeli ſeceſſerit in Civitatem Nazareth Galilææ, ut dicit Matthæus c. 2. v. 22. & 23. igitur &c.

Reſpondeo tamen, ex eo quòd Joſeph cogitaverit in reditu ab Ægypto ire in Terram Iſrael ſeu Judæam, non ſequi, quòd inde diſceſſerit fugiens in Ægyptum. Quia Matthæus non dicit quòd Joſeph audiens, quòd Archelaus regnaret in Judæa, *timuit illò reverti*, quod dicturus fuiſſet, ſi ex Judæa diſceſſiſſet; ſed *timuit illò ire*. Nec Angelus dixerat Joſeph *Vade in terram Juda*, ſed *vade in terram Iſrael*. Galilæa autem, & Nazareth ſub terræ Iſrael nomine comprehendebatur. Cogitabat ergo Joſeph in Judæam ire, vel quia terra Iſrael, ad quam ex Ægypto pervenerat, vicinior erat Judææ, vel quia in animo habebat cùm Puero Jeſu & Matre ejus Templum adire, gratias ibi acturus Deo pro ejus præſervatione, vel alia de cauſa. Quare ex hoc non concluditur, fugam in Ægyptum ex Judæa arreptam fuiſſe.

§. III.

Quamdiu in Ægypto manserint.

IX. TOt in hac re opiniones invenio, ut ubi certò pedem figere possim, nesciam; maximè quòd ex Matthæo, aut Sacris aliis Monumentis nihil colligi queat. Unde omnes referemus, eam quæ nobis arrideat statuentes.

Primò igitur Epiphanius lib. 1. Panarii post hæresim 20., & lib. 3. hæres. 78. putat, Christum rediisse ex Ægypto anno ætatis suæ quarto, cui accedit Sulpitius Severus lib. 2. Hist. num. 39. Putant enim hi Patres, Christum natum fuisse anno 33. Regni Herodis Magni. Cumque Herodes anno 37. regni sui obierit, & Christus post Herodis mortem ex Ægypto reversus sit, ut ex Matthæo habetur, inde inferunt, eum anno ætatis suæ quarto ex Ægypto rediisse. Epiphanius tamen, qui putat, Christum expleto à Nativitate biennio fuisse à Magis adoratum, & deinde in Ægyptum abiisse, solis duobus annis moram traxisse in Ægypto existimat; Sulpicius verò moram quatuor annorum tribuere videtur.

Secundò, Nicephorus lib. 1. cap. 14. vult, Christum ex Ægypto rediisse tertio ætatis suæ anno. Cumque cap. 3. doceat, fugam Christi in Ægyptum secutam fuisse statim post ejus Præsentationem in Templo, fit, ut in Ægypto tribus tantùm annis moratus sit. Cui consentit Onuphrius Panvinius in Chronico; & habetur in Evangelio Infantiæ n. 26. his verbis: *Exacto verò triennio rediit ex Ægypto.*

Tertiò, Jansenius cap. 11. Concordiæ sentit, Christum ex Ægypto rediisse in fine quinti, vel initio sexti ætatis suæ anni; putat enim, eum natum anno 32. Regni Herodis, qui anno 37. Regni sui obiit. Huic sententiæ adhæsit Beda, qui tamen, cum putet Regnum Herodis 36. solis duravisse, facit Christum natum anno 31. Regni ejus.

Quartò, Ammonius Alexandrinus in Harmonia Evangeliorum sentit, in Ægypto septem annos egisse, quem sequitur Anselmus in cap. 2. Matth. dicens, Christum eo spatio latuisse in quadam Civitate Ægypti, quæ dicitur Heliopolis.

Quintò, Baronius ad ann. 8. Christi num. 13. existimat, quòd Christus redierit ex Ægypto inchoato nono ætatis suæ anno, quem sequitur Suarez 3. p. q. 37. art. 4. disputat. 17. sect. 2.

Sextò, alii, inter quos Serry Exercit. 38. & Perimezzi differ-

sertat. 227. de Christi fuga in Ægyptum, censent, Christum vix integro anno commoratum fuisse in Ægypto.

X. Relictis tamen in sua probabilitate prænarratis sententiis, in hanc ultimam propendo, & censeo, Christum vix anno integro moratum fuisse in Ægypto. Moveor primò, quia Matthæus cap. 2. v. 15. de Mora Josephi in Ægypto dicit: *Et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Versu verò 19. *Defuncto autem Herode: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens, surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri.* Quæ verba videntur indicare, non longum tempus interfuisse inter fugam Josephi in Ægyptum, & mortem Herodis, & proindè reditum Josephi in terram Israel.

XI. Secundò, ut supra cap. 8. §. 1. de tempore Nativitatis Christi n. 4., Christus natus est Regni Herodis an. 36. Mortuus est autem Herodes anno Regni sui 37., ut scribit Josephus. lib. 17. Antiquit. cap. 10., & lib. 1. de Bello Judaico cap. 21. Herodes enim eodem anno, quo stragem Puerorum edixit, ac Filium suum Antipatrum jamdiu carcere detentum jussit interfici, instituto Regni successore Archelao, circa Festum Paschæ tabe consumtus miserè, ut merebatur, interiit. Cumque Josephi fuga in Ægyptum circa medium Februarii contigerit, fit ut mors Herodis vix tertium post mensem secuta sit. In hanc sententiam venit Tillemont. tom. 1. Mem. Hist. de Jesu Christo art. 4., ubi narrata Infantium cæde subjungit „ Herodes quantocyus hujus „ criminis pœnam subiit, & aliorum quoque, quorum conscius „ erat. Mortuus enim est eodem anno ante Pascha, infirmitate, „ ac tabificis doloribus consumtus. Post ejus mortem ejus do„ minium inter tres ejus filios divisum fuit. Archelaus ab Im„ peratore Augusto factus fuit Ethnarcha seu Princeps Jerusa„ lem, omniumque ad eam pertinentium, quæ propriè appel„ lantur Judæa; & insuper Samariæ ac Idumææ. Herodi Anti„ pæ contigit Galilæa, & Philippo Ituræa & Traconitis sub ti„ tulo Tetrarchæ.

XII. Sed dices: si tertio mense post discessum in Ægyptum mortuus est Herodes; si Angelus de ejus morte monuit Josephum, qui *consurgens accepit Puerum & Matrem ejus, & venit in terram Israel* (Matth. 2. v. 2. Igitur vix mensibus quatuor moratus est in Ægypto.

Respondeo tamen, non statim atque Herodes extinctus est, fuisse reversionis mandatum ab Angelo Josephi denuntiatum, sed tunc tantùm, cum Archelaus successit patri suo Herodi in ad-

administratione Regni Judææ: undè subjungit Matthæus: *Audiens autem* (Joseph) *quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ.* Archelaus autem nonnisi post sex circiter menses patri suo Herodi in gubernio Judææ successit, quam sub Tetrarchiæ dumtaxat nomine obtinuit ab Augusto. Quare si sex isti menses addantur aliis tribus, quibus ante Herodis mortem in Ægypto Joseph subsititerat, conficiunt menses ultra novem, & ideò infra annum mansit extra terram suam. Hæc sententia plana esset, si omnes convenirent, Christum esse natum anno 36. Regni Herodis: cum enim ex Josepho certum sit, eum obiisse anno 37. Regni sui, extra dubium esset, moram Christi in Ægypto ad annum integrum non pervenisse; sed cum alii velint, Christum fuisse natum anno Regni Herodis 29., ut Baronius, alii 33., ut Epiphanius, alii 32., alii 31.; hinc orta est sententiarum diversitas circa tempus, quo moram traxit in Ægypto.

XIII. Oppones tamen contra nostram opinionem primò: Luc. 2. v. 41. habetur, quòd post reditum ex Ægypto *ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei Festi... remansit puer Jesus in Jerusalem*: ergo non erat Infans unius anni, quando rediit.

Respondeo, S. Lucam non dicere, quòd post reditum ex Ægypto statim ex Nazareth cœperint per omnes annos Parentes Jesu ire in Jerusalem occasione Festi Paschæ. Deinde dicere *per omnes annos*, non designando per quot annos iverint, antequam Jesus factus esset duodecim annorum. Igitur ex hoc textu non concluditur, quotum ætatis annum ageret Jesus, quando rediit ex Ægypto, nec tertium nec quartum nec quintum nec septimum nec nonum.

XIV. Opponunt secundò, in Evangelio Infantiæ dici, quòd exacto triennio Christus rediit ex Ægypto.

Respondeo verum esse; sed quæ fides habenda sit dicto Pseudo-Evangelio declaravit Gelasius Papa, qui illud ad apocrypha amandavit. Minorem autem fidem meretur in hoc ex modo, quo illud narrat: dicit enim „ quod cùm Judæam attigis„ set, timuit Joseph illam intrare; audiens enim decessisse He„ rodem, & Archelaum filium in locum ejus successisse, metuit, „ & in Judæam abiit, apparuitque illi Angelus Dei, & dixit: „ o Josephe abi in Urbem Nazareth, & ibi subsiste: deinde sub„ dit, ingressi in Urbem Bethlehem videbant ibi morbos pluri„ mos, à quibus Infans Jesus omnes illis detentos sanavit „.

Quomodo enim si Joseph timuit Judæam ingredi, illam intravit? Quomodo monente Angelo, ut iret Nazareth, & ibi subsisteret, ivit Bethlehem? De Miraculis, quæ narrat, ibi ac Hierosolymis à Puero Jesu patratis, cùm alium Auctorem non habeant, dicam commentitia esse. Sed hoc statim.

§. IV.

De assertis Miraculis à Jesu in Ægypto patratis.

XV. PLura in ipso itinere ad Ægyptum Miracula Jesum patrasse, præcitatus Liber Infantiæ narrat. Primum, quòd appropinquans Urbi Magnæ (quæ putatur Alexandria) in qua Idolum erat, & Filius Sacerdotis à Dæmonibus obsessus, fecit Idolum corruere, & Sacerdotis Filium à Dæmonibus liberavit. Secundum, quòd cùm pervenisset ad latibula Latronum, hi audientes ingentem strepitum, quasi Regis advenientis, perterriti fugæ se dederunt, eos, quos expoliatos captivos tenebant, liberos relinquentes; hi autem ad Mariam & Joseph accurrerunt. Tertium, quòd cùm in aliam Civitatem pervenissent, mulier, quæ à Dæmone correpta tot furiis agitabatur, ut à nemine, nec catenis teneri posset, visâ Mariâ statim libera evasit. Quartum, simile de Sponsa, quæ ipsâ nuptiarum die operâ Satanæ effecta muta, suis ulnis Puerum Jesum amplectens ac deosculans, nodum linguæ solutum illicò experta fuit. Quintum de alia muliere, quæ cum lavatum aliquando processisset, à Dæmone sub serpentis forma adeò complicata in omnibus suis membris fuerat, ut super eam singulis noctibus se Dæmon extenderet; hæc admotò Puerò Jesu, & osculis complexò, confestim evasit libera: quæ eadem mulier, cum aquâ, in qua lotus fuerat Puer Jesus, quam reservaverat, puellam leprâ infectam perfudisset, à lepra mundata fuit. Sextum, quòd cùm puella ista à lepra mundata comitem se Mariæ ad aliam Civitatem adjunxisset, ibi inveniens uxorem Principis summo dolore prostratam, quòd prolem, quam diù exoptaverat, infectam leprâ suscepisset, eâdem aquâ, quâ Corpus Pueri Jesu lotum fuerat, Infantem perfusum à lepra liberavit. Septimum, cùm ad aliam urbem advenissent, puella, quæ eis comitem se dederat, videns tres mulieres plorantes, eo quòd eorum frater vi magicæ veneficii conversus esset in mulum, eas consolata jussit, ut assertum mulum adducerent ad Mariam: quod cùm fecissent, Maria dorso muli impositò Puerò Jesu, ejusque Nomine invocatò, formæ humanæ

ut

ut priùs eum restituit, eique Mariâ annuente præfata puella in uxorem data fuit. Octavum, cùm Maria & Joseph inde digressi essent, inciderunt in duos Latrones, quorum uni nomen *Titus*, alteri *Dumachus*. Titus autem suadebat Dumacho, ut eos dimitteret liberos, cui repuguanti, Titus dedit zonam suam in pignus quadraginta drachmarum. Hoc videns Maria precata est Deum, ut ipsum recipiat ad dexteram, eique remissionem peccatorum concedat: & respondens Jesus dixit: *Post triginta annos crucifigent me Judæi Hierosolymis, & duo isti Latrones mecum unà in Cruce tollentur; Titus ad dextram meam, & Dumachus ad sinistram; & ab illo die præcedet me Titus in Paradisum.* Nonum, quòd inde ad Sycomorum digressi sunt, ubi Jesus produxit fontem, in quo Maria tunicam ejus lavit: ex sudore autem, qui à Domino Jesu ibi defluxit, balsamum in illa Regione provenit. Hæc sunt prodigia, quæ in Evangelio Infantiæ leguntur facta à Domino Jesu, dum iret in Ægyptum. Ubi demum concluditur, quòd inde Memphim descenderunt, visôque Pharaone, triennium in Ægypto substiterunt: *Fecitque Dominus Jesus plurima in Ægypto Miracula, quæ neque in Evangelio Infantiæ, neque in Evangelio perfecto scripta reperiuntur.*

Verùm de his Miraculis, quæ asseruntur facta in itinere ad Ægyptum, optandum esset, ut de eis fides haberetur, quòd ab alio Auctore & alio teste confirmarentur. Præcipuè autem octavum de duobus Latronibus Tito & Dumacho, quòd iidem illi fuerint, qui cum Christo in Crucem acti fuerunt, & quòd unus ex illis, nempè Titus, precibus Mariæ, & Jesu prædictione, propterea salvus fuerit, alter verò reprobatus. Quamvis qui ex Latronibus salvus factus est, vulgo credatur fuisse nomine *Dimas*, non Titus: sed hoc etiam ex apocryphis eruitur.

XVI. Nunc ad alia Miracula, quæ à Christo in Ægypto patrata referuntur. Baronius ad an. Christi 1. num. 47. ex Burchardo in Descrip. Terræ Sanctæ p. 2. c. 4. hæc narrat: *Inter Heliopolim & Babyloniam medio fermè loco est hortus... rigatur hortus ille ex parvulo fonte sed ubere; in quo fama est, B. Virginem Jesum parvulum pluries lavisse, panniculosque ejusdem mundasse, cùm esset in Ægypto propter metum Herodis; est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccasse: hæc omnia venerantur à Christianis & Saracenis. Verùm quia fons ille parvulus non sufficiens erat irrigationi totius horti, Saraceni alium profundum fuderunt puteum juxta illum, ex quo quatuor boves per totam aquam extrahunt, sperantes, ex vicinitate fontis Jesu aquam alterius fontis fore virtuosam. At se deceptos animadvertentes, construxerunt canalem, per*

quem transmittunt aquam illam in fontem Jesu, ut sic ex eis mixtis fœcundaretur hortus. Nec eos fefellit opinio; nunc enim sufficienter & virtuosè fœcundatur ex aquis sic mixtis. Hæc Burchardus apud Baronium, qui dicit, asseri ab aliis, qui ea de re scripserunt: addentes, locum illum in magna veneratione à Saracenis haberi, ut ibi lampadem perpetuò ardentem in memoriam Jesu ibi olim habitantis conservent: locumque illum ab incolis Ægyptiis *Mataream* nominari tradunt. Ex quo colligo, hunc esse fontem illum, quem produxit Jesus, ut supra ex Evang. Infantiæ retulimus: nam ibi dicitur: *Produxit Dominus Jesus fontem in Matarea, in quo Diva Maria tunicam ejus lavit.*

XVII. Aliud prodigium refert Sozomenus lib. 5. Hist. c. 21. his verbis: *Sed & arborem quandam Perseam nomine apud Hermopolim Thebaidis fuisse ferunt, cujus surculus aut folium aut corticis exigua portio ægris admota morbos ab eis depulerit. Ajunt enim Ægyptii, Josephum cum præmetu Herodis fugeret, assumto secum Christo, & Sancta Maria Deipara, Hermopolim venisse: cumque jam ingressurus esset, ad ipsam Civitatis portam, arborem illam admodum proceram, adventum Christi ferre non valentem, ad solum usque inflexisse se, & Christum adorasse. Et hæc quidem de ista arbore, sicut à multis accepi, hoc loco commemoravi: ceterùm existimo, aut hoc signum fuisse Divinæ præsentiæ; aut arborem, quæ ob proceritatem & pulchritudinem Gentilium more à civibus colebatur, uti par erat, concussam esse sua sponte, cùm Dæmon, qui in ipsa adorabatur, adveniente hujusmodi superstitionum eversore, contremuisset; cunctaque Ægyptiorum simulacra adventu Christi commota esse juxta vaticinium Esaiæ. Fugato autem Dæmone, ad perpetuam rei gestæ memoriam permansit arbor, morbis eorum, qui crederent, medelam afferens. Et horum quidem testes Ægyptii ac Palæstini, singula, quæ apud ipsos gesta sunt, confirmantes.* Hæc Sozomenus. Hoc idem refertur, quamvis strictiùs, in Vitis PP. lib. 2. cap. 7., quod opus Evagrio tribuitur.

XVIII. Hôc existimat Baronius ibid. n. 44., impletum fuisse, quod de everſione Idolorum Domino ingrediente Ægyptum prædixerat Isaias cap. 19. v. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus*: in cujus confirmationem affert Eusebium lib. 6. Demonstr. Evang. c. 20., Athanasium lib. de Incar. Verbi, & Auctorem (sub Origenis nomine) Homiliæ 3. in diversa Evangelii loca. His videtur consentire S. Cyrillus Hierosol. Catech. 10.

XIX. Verùm hæc materialem saltem & visibilem simula-

cro-

erorum eversionem Dominô in Ægyptum ingrediente probare non videntur, sed ad summum invisibilem, nimirùm Dæmonum simulacris insidentium terrorem, prævidentium se suo tempore inde ejiciendos. Locum Isaiæ S. Hieronymus intelligere videtur de ingressu Domini in mundum per carnem assumtam, ait enim: *Quidam totam hanc Prophetiam ad Salvatoris tempora referunt, quando ingressus est super nubem levem, ideſt corpus humanum, quod ex Virgine assumserat, nullo humanæ commixtionis semine prægravatum; sive quod à nube levi portatus sit, ideſt corpore virginali: & ad ingressum ejus omnes Dæmones contremuerint, tuncque prima Idolorum ruina fuerit, præsentiam Domini ferre non sustinens.* Ubi nihil de ingressu Pueri Jesu in Ægyptum Herodis sævitiam fugientis, nihil de eversione sensibili simulacrorum ad ejus ingressum tunc secuta, sed solùm tempore prædicationis secutura.

In eodem sensu loquitur Eusebius citato loco, dicens: *Iii, qui priùs incolebant Ægyptum, vitiosi prævique Dæmones per multa secula in simulacris latitantes, animasque Ægyptiorum omni superstitionis errori addicentes ac subjicientes, cùm sensissent, novam quandam divinamque virtutem ad se accessisse, illicò commoti sunt, ac fluctuationem ac perturbationem in se ipsis pertulerunt, corque ipsorum & vis intelligendi intrinsecùs in ipsis convicta sunt, cessarantque, ac fugata sunt ab ea virtute, quæ visum effugiens illos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione aburebat. Et tunc quidem invisibiliter Dæmones talia passi sunt, cum Salvator noster Jesus Christus in Ægyptum cum visibili corpore pervenit: At verò postquam planè jam Ipsius Evangelium ad Ægyptios, sicut ad reliquas Gentes perlatum est, & invisibilis ejus virtus unâ cum ejus Apostolis adfuit, quæ latenter illos adjuvaret, & unâ cum illis rem negotiumque gereret, ... hìc jam tum Ægyptiis, sicut etiam reliquis Gentibus seditio bellumque intestinum exortum est, cùm alii quidem ab errore colendi plures Deos recederent, & ad Christi Dei Verbum concurrerent, alii verò è contrario hos ipsos oppugnarent ... adeò ut fratres à fratribus disjungerentur, & doctrinæ Christi causâ etiam carissimos sibi gladiis transfigerent: ait enim Oraculum: „ Et excitabuntur Ægyptii contra Ægyptios, & bellum geret homo contra fratrem suum, & homo contra proximum suum„.* Ita exponit Eusebius Isaiæ prænarratum vaticinium, non de visibili eversione simulacrorum, Jesu ingrediente Ægyptum, sed de invisibili commotione Dæmonum in simulacris latitantium, præsentientium, se Evangelii prædicatione esse suo tempore exterminandos.

XX. Ea-

XX. Eadem est mens S. Athanasii lib. citato de Incarnat. Verbi Dei n. 36., ubi comparans ingressum Jesu in Ægyptum cum ingressu Abrahæ & Moysis: *Quis justorum*, inquit, *aut Regum in Ægyptum descendit, ejusque adventu Ægyptiorum Idola corruerunt? Abraham quidem illuc descendit, at nihilominus Idololatria ibidem viguit; illic & Moyses natus est, sed eadem, quæ antea, permansit errantium superstitio.* Quibus patet, S. Athanasium non loqui de materiali eversione Idolorum, sed de formali Idololatricæ superstitionis, quæ post ingressum Christi in Ægyptum, prædicatô ibi Evangeliô secutura erat: quod postea n. 37. clariùs exprimit, his verbis: *Hic ille est, qui priusquam in corpore appareret, victoriam de adversantibus Dæmonibus reportavit, ac de Idololatria triumphavit. Hinc ergo omnes undique Gentes patrium morem & Idolorum impietatem detestati, sum jam spem in Christum collocant, seque ei adsiscunt, uti vel oculis licèt adspicere: Neque enim unquam aliàs Ægyptiorum impietas dissoluta est, nisi cum Dominus omnium, veniens in nube, vectus corpore illuc ivit, Idolorumque errorem evertit, & omnes ad se ipsum, & per se ipsum ad Patrem convertit.* Non ergo de eversione materiali Idolorum Ægypti in adventu Christi secuta, sed de eversione generali Idololatriæ, non solùm in Ægypto, sed toto Orbe secutura successu temporum, loquitur Athanasius.

In eundem sensum conspirat Homil. 3. citatus Pseudo-Origenes, ait enim: *Fuge in Ægyptum, ut fugiant de Ægypto, qui ibi sunt Dæmones, & appropient ibidem Angeli Sancti, qui Deum consequuntur, qui Sanctis jungantur: ut pro multitudine Templorum atque abominationum multarum multitudo exuperet Ecclesiarum; pro Idolorum turbis turbæ abundent Fidelium atque colentium Dominum; pro vitiis & erroribus multis multa castitas multaque Sanctitas superabundet, multaque Virginitas.* Quæ certè ingrediente Jesu corporaliter in Ægyptum secuta non sunt.

XXI. Hanc Ægyptiacæ Idololatriæ eversionem nedum Prophetæ Sancto Spiritu edocti prænuntiarunt, sed etiam Trismegistus Dæmone ipso suggerente prædixit: unde apud S. Augustt. lib. 8. de Civit. Dei cap. 33. ajebat: *Futurum tempus est, quo appareat, Ægyptios incassum pia mente Divinitatem sedula Religione servasse, & omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur*: super quæ S. Augustinus: *In quo*, inquit, *videtur hoc tempus prædicere, quo Christiana Religio quantò est veracior atque sanctior, tantò vehementiùs & liberiùs cuncta fallacia figmenta subvertit; ut gratia verissimi Salvatoris liberet hominem ab eis Diis, quos facit homo, & ei Deo subdat, à quo factus est homo.*

Non

Non ſtatim tamen in Ægypto Idololatria corruit: nam in eo Idololatriam ejuſque Templa ac Simulacra ad annum Chriſti 389. perſeveraſſe, fatetur Baronius ipſe ibidem n. 93. &c.; ubi Canapi, Iſidis, ac Serapidis fana adhuc extantia à Theodoſio Imperatore everſa narrat, & in loco, ubi Serapidis fanum erat, extructam Baſilicam, in quam Reliquiæ S. Joannis Baptiſtæ tempore Juliani Apoſtatæ diſperſæ, ſed collectæ & ad S. Athanaſium perlatæ per Theophilum Alexandrinum, illatæ fuerunt. Ruit ergo ex omni parte opinio, quòd ingrediente Domino in Ægyptum Idola corruerint, cum per quatuor ferè ſecula poſt perdurarint. Scio, reſponderi, non omnia quidem, quæ tunc erant in Ægypto ſimulacra corruiſſe, ſed de his aliqua. Verùm, cùm hoc non ſatis firmo aſſeratur documento, & Iſaias generaliter dicat *Commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus*; probabilius videtur, Chriſto in Ægyptum adveniente, commota fuiſſe omnia commotione ſpirituali & inſenſibili, ut ſupra dicebam, non verò ſenſibili ſimulacrorum ruinâ.

XXII. Sunt, qui prodigioſam illam ſimulacrorum everſionem non contigiſſe, ex eo probare velint, quia Chriſtus nullum Miraculum in pueritia feciſſe narratur, imo primum fuiſſe illud converſionis aquæ in vinum in nuptiis Canæ, quia dicit S. Joannes cap. 2. v. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ.* Ita ſentit S. Jo: Chryſoſt. Homil. 21. aliàs 20. in Joan. Quia, ſi Miracula, quæ Jeſus ſpatio trium ferè annorum operatus eſt, eum adeò celebrem reddiderunt non in Judæa tantùm, ſed & in Syria & ultra, *multò magis ſi adhuc Puer Miracula edidiſſet, non potuiſſet tanto tempore latere: majorî quippe admirationi fuiſſent Miracula à Puero facta, cùm maximè tempus & duplex & triplex, imo ampliùs fuerit. Verùm nihil aliud Puer fecit, niſi id tantùm, quod Lucas enarrat, duodennem ipſum ſediſſe in medio Doctorum audientem, & interrogatione ſua admirandum viſum fuiſſe. Alioquin autem jure ac meritò non cœpit in puerili ætate Miracula edere; putaſſent enim rem illam vere phantaſma eſſe: nam ſi de illo jam viro id multi ſuſpicati ſunt, multò magis id credidiſſent, ſi admodum juvenis ſigna feciſſet; & invidia permoti ipſum citiùs & ante conſtitutum tempus in crucem egiſſent.* Quòd repetit Homil. 23. aliàs 22. In hanc ſententiam venit S. Thomas in cap. 2. Joann. Lect. 1. dicens: *Ex quo falſa eſt hiſtoria de Infantia Salvatoris, in qua recitantur multa Miracula facta à Chriſto adhuc Puero exiſtente. Si enim hoc verum eſſet, non utique Evangeliſta diceret*,, Hoc fecit initium ſignorum Jeſus,,.

XXIII. Verùm diſtinguendum eſſe cenſeo inter Miracula facta

cta à Deo in teſtimonium Jeſu, quòd ipſe eſſet, qui venturus erat ad ſalvandum genus humanum Altiſſimi Filius; & alia facta ab ipſo Jeſu in carne aſſumta humanâ voce ac imperiô, ad comprobandum ſe eſſe talem, qualem ſe prædicabat. Unde Lucæ 7. Joanni per Diſcipulos ſuos petenti: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Reſpondit Jeſus v. 22. *Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur* &c. Miracula ergo prioris generis negari non poteſt facta à Deo fuiſſe, Jeſu adhuc Puerô, imo nondum natô; Miraculum enim ac prodigium inauditum fuit, quòd Jeſus conciperetur in utero Virginis ſine opera Viri; quòd ſalva Matris Virginitate uterô clausô ſine dolore naſceretur; quòd vix natus denuntiatus Paſtoribus fuerit; & quòd, ſtellâ monſtrante viam, Magi ad eum adorandum excitati fuerint: Miraculum etiam fuit, quòd duodennis, nullîs ſtudio litterîs comparatîs, Synagogæ Doctores quæſitis atque reſponſis in admirationem traxerit; & quòd in Jordane baptizatô cœli aperti ſint, & vox Patris fuerit audita, quæ omnia ante celebratas in Cana nuptias contigere, & ab Evangeliſtis narrantur. At Miracula ſecundi generis, quæ nimirùm humanâ voce ac imperiô Jeſus fecit, de quibus, ut ſupra, à ſe factis renuntiavit Joanni, ante nuptias Canæ nulla fecille, probabilius judico; cùm de facto nulla ab Evangeliſtis narrentur, etſi in Libro apocrypho Infantiæ Salvatoris aliqua recenſeantur. Et in hoc ſenſu cenſeo, locutos SS. Joannem Chryſoſtomum & Thomam, imo & S. Joannem cap. 2., ubi non dicit: *hoc initium ſignorum factum eſt in Jeſu* ſeu *de Jeſu*; ſed *hoc initium ſignorum fecit Jeſus*, ideſt propriô factô ac voce, in confirmationem ſuæ doctrinæ, de quô infra cap. 20. §. 2. num. 24. An autem omnia Miracula, quæ ad præſentiam Jeſu, ſive in Ægypto ſivè alibi, in Pueritia vel Infantia facta in lib. Infantiæ referuntur, ſint ut commenta rejicienda, judicio pii ac prudentis relinquo. Hoc mihi ea ſuſpecta reddit, quòd teſte nullo, Auctore nullo, ineptâ ac inſulsâ narratione referantur.

* * * *
* * *
*

CA-

CAPUT XIV.

De Puerorum Cæde ab Herode imperata.

§. I.

Tempus, quo ejusmodi cædes indicta fuit, & cæsorum numerus.

1. DE hac quatuor inquiremus: Primum, quo tempore ab Herode imperata fuerit: Secundum, quotus fuerit occisorum numerus: Tertium, an eo numero censendus veniat ipse Herodis filius bimulus: Quartum, an Pueri Bethlehemitæ ferro necati veri Martyres censendi sint.

Circa primum fuere non pauci, qui eam Puerorum stragem ab Herode indictam fuisse senserunt biennio dumtaxat post Christum natum; quorum aliqui ad biennium cædem dilatam idcircò putant, quòd Magos nonnisi biennio post Christi Natale Bethlehem adventarint, & horum Dux est S. Epiphanius hæres. 51. Alii verò censent quidem, Magos paulò post Christi Natalem diem adventasse, dilatam tamen ad biennium usque Puerorum cædem autumant; tum quòd variorum criminum Herodes apud Cæsarem accusatus Romam pergere coactus fuerit, ut objecta dilueret: tum quòd variis terroribus agitatus à cura interficiendi Pueros destiterit. Hujus opinionis Auctorem faciunt aliqui Eusebium lib. 1. Historiæ cap. 8., sed nisi oculus me fefellit, nihil tale apud Eusebium citato loco reperi: quin imo de Herode dicit, quòd *Postquam Michææ vaticinium comperit, qui in Bethlehem nascituram esse prædixerat, statim omnes Pueros adhuc lactentes in Bethlehem, & in conterminis locis, à bimis usque ad recentissimè natos, secundum tempus, quod à Magis diligenter inquisierat, uno edicto interfici jubet.* Interea Jesu Divinò monitu asportatò in Ægyptum, subjungit, pœnam ob hoc facinus Herodi inflictam, *& quo pacto è vestigio nullâ morâ interpositâ adhuc superstitem ultio Divina corripuit*: & infra: *Quæliter verò post insidias adversùs Servatorem reliquosque Infantes comparatas, statim immi sso cœlitus morbo, quasi verbere ad mortem adactus est.* Inde ex Josepho narrat atroces cruciatus, quibus Herodes tandem desperatè vitam finivit. Hic nihil de itinere Herodis Romam ad diluendas accusationes; sed potiùs de cæde Infantium statim à Magorum discessu secuta, de pœna, & demum Herodis morte.

II. Censeo igitur, Infantium stragem non fuisse ad biennium ab Herode dilatam; nec quia Magi solùm post biennium à Christi ortu adventarint, nec quia Herodes aliò distractus eam distulerit. Priorem asserti partem superiùs cap. 11. §. 4. tractavi, & tanquàm Evangelio Matthæi consonam statui: ait enim c. 2. v. 1. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam*. Quòd si solùm post biennium à Christo nato venissent, incongruè loqueretur Matthæus, dicens: *Cùm natus esset Jesus, ecce Magi ab Oriente venerunt*; quia tò *Ecce* designat rem, quæ paulò post succedit. Conferantur aliæ rationes locò supra citatò à nobis allatæ.

Posteriorem autem partem indicat idem Matthæus dicto cap. 2. v. 16. ubi Magis, ut eis indixerat, non comparentibûs ait: *Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes Pueros, qui erant in Bethlehem* &c. Illicò ergo compertâ illusione mandavit Herodes occidi omnes Pueros: atqui illusionem infra non multos dies à discessu Magorum detegere poterat, cum sexto tantùm milliario distet Bethlehem Hierosolymis, & maximè se illusum cognoscere potuit ex iis, quæ post Præsentationem in Templo de Puero Jesu tota Civitate vulgabantur. Num ergo credibile est, hominem furore percitum, & ad sævitiem pronum, qualis erat Herodes, ad biennium vindictam distulisse?

III. Neque causa dilationis refundi potest in navigationem, quam coactus fuit Romam suscipere Herodes ad diluendas accusationes coram Cæsare contra ipsum datas. Nam constat quidem apud Eruditos, Herodem postquam Rex Judææ fuit à Romanis declaratus, Romam ter navigasse, sed constat etiam, trinam illam navigationem ante Natale Christi ab eo fuisse susceptam. Etenim prima Herodis navigatio in Italiam seu Romam contigit anno Urbis Romæ Conditæ 737.; ideòque Christi Natale, quod contigit anno Romæ conditæ 749., duodecim annis præcessit. Secunda navigatio Herodiana Romam evenit anno Urbis Conditæ 742. ut notat de Cœnotaphiis Pisanis Dissert. 2. Cardinalis Norisius; ideòque septem circiter annis Natale Christi antecessit. Tertia verò navigatio, ut observat idem Norisius, contigit anno Urbis Conditæ 746., & consequenter triennio ante Christi Natale. Quamvis autem de anno determinato hujus tertiæ navigationis propter Josephi de ea silentium non una sit omnium sententia, conveniunt tamen omnes, eam Christi Natale præcessisse.

Tandem cùm, ut diximus, Herodes post Natale Christi, & Ma-

& Magorum adventum, vix quinque menſibus ſuperſtes fuerit, & ſub vitæ finem acerbiſſimis doloribus vexatus fuerit; quomodo poſt Chriſti Natalem diem potuit veniſſe Romam, ut ſe ſe coram Cæſare purgaret, & Infantium cædem ad biennium differre?

IV. Hinc Baronius ad ann. Chriſti 1. n.48. quamvis velit, Herodem bis tantùm Romam navigaſſe, rejicit tamen ut commentum opinionem illorum, qui dixerunt, idcircò Pueros bimulos ab Herode Rege fuiſſe occiſos, quod tunc temporis accuſatus à filiis Herodes Romam abire compulſus fuerit, nec niſi poſt biennium in Palæſtinam redierit. Hoc idem tanquam commentum repudiat Spondanus in Epitome Annalium Baronii ad ann. 1. Chriſti n.11. his verbis: *Sed quod nonnulli ſcripſerunt, idcircò bimulos juſſos occidi, quòd tunc temporis Herodes Romam abierit accuſatus à filiis, neque uſque ad biennium in Palæſtinam redierit; hoc ex Joſepho falſum convincitur, cujus teſtimonio exploratum habetur, cùm Herodes toto tempore Regni ſui Romam ſæpiùs conceſſerit, filiorum ſuorum causâ; nullam ejuſmodi ipſius profectionem aptari poſſe tempori Natalis Chriſti.*

Quis autem inſit verbis Evangelicis ſenſus, quòd Herodes *occidit omnes Pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus à bimatu & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis*, in quo ſtat oppoſitæ ſententiæ fundamentum, jam ſupra cap.11. §.4. n.29. &c. expoſuimus. Quæ non eſt, cur hic repetamus.

V. Supereſt ſcrupulus de S. Thoma, qui 3.p. q.36. a.6. ad 3. videtur admittere ut probabile, cædem Infantium poſt biennium à Chriſti ortu, contigiſſe, ſive quia *Stella Magis apparuit per biennium ante Nativitatem Chriſti: & tunc præmeditantes, & ſe ad iter præparantes, à remotiſſimis partibus Orientis pervenerunt ad Chriſtum tertiadecima die à ſua Nativitate. Unde & Herodes ſtatim poſt receſſum Magorum, videns ſe ab eis illuſum, mandavit occidi Pueros à bimatu & infra, dubitans, quòd Chriſtus natus eſſet, quando ſtella apparuit, ſecundùm quod à Magis audierat* (& hanc dicit eſſe opinionem Auctoris Oper. Imperf. in Matth. Homil.2., & S. Auguſtini ſerm. de Epiphania olim 35. de tempore, modò 132. in Appendice, quæ opera à Criticis ſpuria reputantur) *Alii verò dicunt, ſtellam apparuiſſe primò, cùm Chriſtus natus eſt; & ſtatim Magi viſâ ſtellâ iter arripientes, longiſſimum iter in tredecim diebus peregerunt, partim quidem adjuti Divina virtute, partim autem Dromedariorum velocitate. Et hoc dico, ſi venerunt ex extremis partibus Orientis. Quidam tamen dicunt, eos veniſſe de Re-*

gione propinqua, unde fuerat Balaam, cujus doctrinæ sectatores fuerunt. Dicuntur autem ab Oriente venisse, quia terra illa est ad Orientalem partem terræ Judæorum. Et secundùm hoc Herodes non statim recedentibus Magis, sed post biennium Pueros interfecit: vel quia dicitur interim accusatus Romam iviſſe, vel aliquorum periculorum terroribus agitatus, à cura interficiendi Puerum interim destitisse, vel quia potuit credere,, Magos fallacis ſtellæ apparitione deceptos poſtquam non invenerunt, quem natum putaverant, erubuiſſe ad ſe redire „ *ut Auguſt. dicit lib. 2. de Conſenſu Evangeliſt. c. 11. Ideò autem non ſolùm bimos Pueros interfecit, ſed etiam infra, quia ut Auguſtinus dicit in quodam ſerm. Innocentium* „ Timebat, ne Puer, cui ſidera famulantur, ſpeciem ſuam paulò ſupra ætatem vel infra transformaret. Hæc S. Thomas.

VI. Sed ex his, ut ſupra cap. 11. §. 4. n. 27. obſervavimus, manifeſtè apparet, S. Doctorem non aſſertivè ſed recitativè & problematicè loqui, referendo opiniones, quæ ſuo tempore verſabantur, & oſtendendo, nullam earum intento ſuo officere. Non enim ibi agebat de tempore, quo cædes Infantium ſecuta fuit, ſed oſtendere volebat, ordine convenienti Nativitatem Chriſti fuiſſe manifeſtatam. Quia verò opponebatur, quòd cùm Magi ſolùm poſt duos annos à Chriſti Nativitate ad Chriſtum pervenerint; videtur Chriſti Nativitas inconvenienter poſt tantum tempus Gentilibus manifeſtata: propterea ſcopus S. Thomæ eſt (quidquid ſit de tempore, quo Herodes Infantes occidit) oſtendere, admiſsâ quâcumque opinione, Magos paucos poſt dies à Chriſto nato Bethlehem adventaſſe; ideòque ejus Nativitatem convenienti ordine etiam Gentilibus fuiſſe manifeſtatam, ideſt ſtatim, non poſt biennium.

VII. Circa ſecundum, nempè numerum Infantium in Herodiana ſtrage cæſorum, refert Janſenius Yprenſis in c. 2. Matth. quòd, fuiſſe numero quatuordecim millia legunt Æthiopes in Miſſa, quam ſibi relictam à Matthæo dicunt, & Græci notant in Kalendario (in Menologio tamen numerum non exprimunt.) Ceterùm cùm nec Evangeliſta Matthæus nec Veterum Patrum quiſpiam hunc numerum indicarint, nil certi ſtatui poteſt: eò vel maximè, quòd tantus numerus Puerorum ſpatio biennii, natus Bethlehem & in omnibus finibus ejus, incredibilis reddatur; nam Bethlehem viculus erat, imo Caſtellum, ut habetur Joan. 7. v. 42., & fines anguſtiſſimos habebat; unde Michææ 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda.* Non videtur autem credibile, in tam parvo terræ ſitu, tam brevi temporis ſpatio, quatuordecim millia Puerorum in lucem prodiiſſe, ul-

ultra ferè totidem, si non plures, puellas, quæ non fuerunt occisæ; nam Herodis timor de masculis, non de feminis erat, quia Rex, quem formidabat, masculus esse debebat, non femina. Insuper ex Pueris sivè masculis, intra illud biennium natis, per naturalem mortem plures è vivis excesserant. Quæ quidem omnia incredibile faciunt, quatuordecim millia Puerorum fuisse in illa strage occisa. Fateor ergo ingentem fuisse Puerorum occisorum numerum, sed pro conditione loci.

§. II.

An inter Pueros occisos fuerit Herodis filius bimus.

VIII. Occasionem huic dubio præbuit Macrobius quarti seculi Scriptor, qui lib. 2. Saturnalium cap. 4. dicit: *Cùm audisset Augustus, inter Pueros, quos Herodes Rex Judæorum intra biennium jussit occidi, filium quoque ejus occisum esse, ait, melius esse Herodis porcum esse, quàm filium.* Hinc æstimatum est, in numero bimulorum jussu Herodis occisorum fuisse ipsius quoque filium à Cæsare computatum.

IX. Sed hoc sine fundamento cogitari ostendo. Primò, quia ex Scriptoribus, qui aliunde ferocissimi illius tyranni Herodis sævitiam atris coloribus depingunt, qui inauditâ feritate tres suos adultæ ætatis filios, Alexandrum, Aristobolum, & Antipatrum necavit, nullus memoriæ unquam prodidit, eum in hac Infantium Bethlehemiticorum laniena filium suum bimulum occidisse.

Secundò: quando Herodes Innocentium stragem indixit ac executus est, senio jam confectus erat, septuagesimum quippe annum agebat, dum obiit Josepho teste: non potuit ergo ante biennium genuisse filium, quem postea jusserit occidi.

Tertiò: ratio, quæ ad cædem Puerorum Bethlehemiticorum promovit Herodem, fuit, quia cùm à Magis & ex Scriptura didicisset, natum fuisse Bethlehem novum Regem Judæorum, timuit, ne Regnum Judææ à familia sua eriperetur: ratio autem hæc locum habere non potuit in filio suo bimulo, qui potiùs Judææ Regnum in familia sua conservasset: nihil ergo erat, cur in filium suum bimulum, si eum habuisset, desæviret.

Quartò: Herodes, Matthæo teste, jussit occidi tantùm Pueros à bimatu & infra, qui erant in Bethlehem & in omnibus finibus ejus. Verisimile autem non est, filium illum Herodis bimulum natum fuisse Bethlehem, & non in Regia seu Hieroso-

solymis, & Bethlehem nutritum ac educatum: unde nullo fundamento asseri potest, eum unà cum Bethlehemiticis Pueris trucidari Herodem voluisse.

X. Baronius tamen ad an. 1. Christi n. 50., ex Macrobii verbis supra relatis colligere se, putat, in generali Infantium Bethlehemiticorum laniena etiam filium suum bimulum Herodem concluisse. At salvâ Annalium Parenti reverentiâ, id ex Macrobio non colligitur: ut enim observat Episcopus Abrincensis Daniel Huetius Demonstr. Evangelic. Propos. 9. c. 15., Herodis filius, qui tempore Bethlehemitici infanticidii jussu Herodis à Macrobio notatur occisus, non fuit filius ejus infans & bimulus, sed jam adultus, nempe Antipater, quem fugam è carcere meditantem pater ipsius Herodes quinto ante suum obitum die interfici jussit, ut refert Josephus lib. 17. Antiquit. cap. 10. Cùmque postea rumor confusus (ut solet) de cæde Infantium & Antipatri ad Augustum perveniset, re nondum accuratè exploratâ, nec discrimine locorum, aut facinoris modô causîsque adhuc perceptîs, memor, jam ab Herode duos filios suos prius interfectos Alexandrum & Aristobolum, audiens ab Herode necatum etiam tertium, melius esse, dixit, Herodis porcum esse, quàm filium.

XI. Neque contrarium ex Macrobio colligitur. Quando enim scribit, Herodis filium inter Pueros Bethlehemitas fuisse occisum, non est sic intelligendum, quasi ille Herodis filius fuerit unus de Pueris illis, sed quòd eodem circiter tempore, quo Pueri illi interfecti sunt, & hic quoque Herodis filius, nempè Antipater, jussu ejusdem interfectus sit. Neque est novum, quòd particula *inter*, qua utitur Macrobius, dum ait *inter Pueros* interdum non adnumerationem, sed tempus designet: sicut si dicam, *hoc contigit mihi inter loquendum*, idest *tempore, quo loquebar*. Sic Cicero ad Quintum Fr. *Hæc inter cœnam Tyroni dictavi*; & Philip. 2. *Inter cœnam hoc illi accidit*, idest *temporæ cœnæ*. Ita ergo dum Macrobius ait, *inter occisos ab Herode Pueros, filium quoque ejus occisum*, solùm significat, quòd eo tempore, quo occisi sunt Pueri Bethlehemitæ, occisus itidem fuit *Antipater* Regis Herodis filius, quamvis ex eorum bimorum Infantium numero non esset, utpotè ætate grandævus, & aliâ longè de causâ jussu patris Herodis fuerit è vita sublatus.

XII. Quæri hic solet, an inter Pueros quæsitos ad necem fuerit Joannes Baptista, & an Zacharias pater ejus, propterea quòd illum prodere noluerit, fuerit in Templo jussu Herodis occisus. Sed quia de hoc egi cap. 6. §. 3. num. 31. &c., ubi ut probabi-

bilius negativè utrumque resolvi, ideò ad ibi dicta studiosum remitto.

XIII. De prænarrata Infantium cæde movere scrupulum quis poterit, quòd Josephus Herodis gesta accuratè describens, de ea nec verbum in sua historia fecerit. Sed viro Christiano omnis scrupulus cessare debebit, quòd S. Matthæus, qui Spiritu Sancto afflatus suum Evangelium scripsit, eam refert, & insuper omnes circumstantias & causas, quæ ad dictam necem Herodem excitarunt; nempè adventum Magorum quærentium Regem natum; examen vaticiniorum jussu Herodis factum, quòd natus esset Bethlehem; Herodis instantiam Magis, ut diligenti facta interrogatione de Puero ad se redirent, quibus non redeuntibus Herodem fuisse iratum, & majori suspicione accensum: quæ omnia in homine truculento, ut erat Herodes, qui nec suis filiis pepercerat, causæ sufficientes erant, ut, ad liberandum se à timore unius, in omnes pueros desæviret.

XIV. Josephus tamen hoc siluit, sed infidelî silentiô, ne scilicet tam barbaræ stragis narratione Herodis famæ, cui adulabatur, detraheret; & maximè quia Josephus in iis, quæ de Herode scripsit, secutus est Nicolaum Damascenum, qui, ut omnes probè norunt, laudes Herodis, cui amicus erat, & quem in Cæsaris gratiam restituerat, potiùs celebrandas, quàm historiæ veritatem describendam susceperat. Talem fuisse Nicolaum Damascenum, notat Hugo Grotius in Epist. ad Peirescium, quæ est 264. his verbis: *Venio ad scribendi genium. Pleraque scripsisse Nicolaum in gratiam Potentum, quibus amicis utebatur, notat Josephus, quæ in illis culpari poterant, obvolvisse silentio; quæ aliquid laudis recipiebant, ea liberalissimè prædicasse, & ultra historiæ morem.* Cum ergo Infantium carnificina res esset Herodi maximè culpabilis, non mirum, si eam silentio obvolvit; & consequenter etiam Josephus Nicolai exscriptor. Sed quamquam Nicolaus & Josephus eam præterierint, perpetua tamen Ecclesiæ Traditio & Patres Innocentium stragem, quam Matthæus narrat, agnoverunt.

*****

§. III.

§. III.

An Pueri Bethlehemitæ ab Herode occisi sint veri Martyres.

XV. DE hoc aliqua dixi tom. 2. in 3. p. Tract. de Bapt. qu. 2. dub. 2. §. 2. n. 9., & dub. 5. §. 2. n. 9. &c. Et quidem Infantes, pro Christo ab Herode occisos, fuisse veri nominis Martyres, dubitare nefas est: eos enim ut tales semper agnovit Ecclesia, & Patres celebrarunt, S. Irenæus (Pater secundi seculi) lib. 3. contra Hæres. cap. *16.*, aliàs 18. de Christo, ait: *Propter hoc & Pueros eripiebat, qui erant in Domo David, benè sortiti illo tempore nasci, ut eos præmitteret in suum Regnum, ipse Infans cum esset, Infantes hominum Martyres paravit, propter Christum, qui in Bethlehem natus est Judæ in Civitate David interfectos secundùm Scripturas.* S. Cyprianus tertio seculo Epist. *56.* adhortatoria ad Martyrium: *Christi*, inquit, *Nativitas à martyriis Infantium statim cœpit, ut ob nomen ejus, à bimatu & infra qui fuerant, necarentur. Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad Coronam* &c. S. Augustinus lib. 3. de lib. Arbitr. cap. 23. *Non enim frustra etiam Infantes illos, qui, cùm Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia*: idem dicit Sermone 373., aliàs *66.* de diversis cap. 3., & Serm. 375. aliàs *9.* ex Viguerianis, his verbis: *Ante Martyres sanguine sunt effecti, quàm possent ore Dominum confiteri. Et has primitias Christus misit ad Patrem: venit Infans, & ierunt Infantes: Infans ad nos, Infantes ad Deum.* Idem S. Petrus Chrysologus, aliique subsequentium seculorum Patres.

XVI. Quo autem jure Infantes illi titulo Martyrum donentur, inter Theologos controvertitur. Cùm enim Martyrii laurea detur propter meritum; & meritum sit in voluntaria & libera Traditione corporis pro Christo, ejusque Confessione; & præfati Infantes, utpotè rationis & libertatis usum nondum adepti, omni caruerint merito & voluntaria oblatione in sanguinis effusione, non magis videntur dici posse Martyres, quàm animalia, quorum Sanguis Deo offerebatur in Sacrificium.

XVII. Propterea, ut pondus hujus difficultatis declinarent, censuerunt aliqui, in infantibus illis acceleratum fuisse usum rationis; ita (ut loco supra citato diximus) refert S. Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 1. ad primum, *Quòd quidam dixerunt, quòd in-*

no-

nocentibus acceleratus est miraculosè liberi arbitrii usus; ita quod etiam voluntariè martyrium passi sunt; sed hoc, ait S. Thomas, nulla Scripturæ auctoritate comprobatur, nec Patrum testim onio asseritur: quin imò S. Augustinus dicto serm. *66.* de diversis (nunc serm. 373.) beatos illos parvulos alloquens: *Non habebatis quidèm* (ait) *ætatem, qua in Christum passurum credueretis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis*: quod serm. 375. supra relatis verbis confirmat. Si ergo non non aliud habebant, quod darent pro Christo, quem nondum porant confiteri, præter carnem, non habebant usum liberi arbitrii. Apertiùs autem Chrysologus serm. 152., qui est de Innocentibus, dicens: *In parvulis quæ voluntas quod arbitrium, ubi captiva fuit & ipsa natura?* & serm. sequenti: *Verè, fratres, isti sunt Gratiæ Martyres, confitentur nascentes, nescientes pugnant, vincunt insciі, moriuntur inconscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.*

Alii alteram ineuntes viam dixerunt, pueros illos, ab Herode occisos, fuisse purgatos vitio originis & sanctitate donatos, beneficio Circumcisionis. At nec isti in stadio currunt; non enim hìc quæritur, an illi pueri sancti sint, sed an sint veri Martyres; nec Ecclesia colit illos dumtaxat ut Sanctos, sed ut Martyres: Martyres autem ob solam Circumcisionem esse non poterant. Deinde nec ii omnes antea circumcisi putandi sunt, quàm necarenturstum quia nonnullos fuisse occisos ante octavum diem, verisimile est; tum quia in ea generali strage multos quoque Gentilium filios fuisse trucidatos, improbabile non est: hi autem beneficio Circumcisionis Martyres dici non poterant.

XVIII. Dicendum ergo cum S. Thoma citato loco, quòd *Martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti: nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occisis propter Christum meritum Martyrii Christi operatur ad palmam Martyrii consequendam. Unde Augustinus dicit in serm. 66. de diversis, quasi eos alloquens,,* Ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam parvulis baptismum prodesse non æstimat Christi.

Hinc S. Bernardus in serm. sanctorum Innocentium: *An verò*, inquit, *de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævos sibi pueros, Puer ille, qui natus est nobis, non contra*

nos, propter se paterentur occidi, quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret? ut quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumciso, nunc verò baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem: sic nihilo minus pro eo susceptum martyrium illis sufficeret ad sanctitatem. Si quæris eorum apud Deum merita, ut coronarentur, quære & apud Herodem crimina, ut trucidarentur. An fortè minor Christi pietas, quàm Herodis impietas; ut ille quidèm potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare? Sit ergo Stephanus martyr apud homines, qui martyrii habuit voluntatem & opus. Sit Joannes martyr apud Angelos, qui habuit sine opere voluntatem; sint etiam Martyres infantes isti, in quibus fuit sine voluntate opus. Ita discurrit Bernardus. Et quidèm si baptismus, qui solùm est repræsentatio Passionis Christi sine voluntate suscipientis dat salutem, multò magis mors pro Christo, quæ est realis imitatio mortis Christi, etiam sine voluntate eam patientis coronabit.

Imo plus pueris illis contulit martyrium, quàm aliis pueris conferat baptismus. Nam in pueris illis licèt non fuerit id quod est formale in merito, nempè libera acceptatio mortis propter Christum ob liberi arbitrii defectum, fuit tamen id quod est in merito materiale, nempè opus bonum & arduum, hoc est profusus sanguis & data pro Christo vita: ideoque ipsos Ecclesia colit, eorumque Reliquias veneratur, non autem pueros post baptismum mortuos, aut eorum exuvias.

Mitto ea, quæ contra dicta objici possunt, cum soluta maneant loco citato ex tomo 1. in 3. par. Tract. de Bapt. quæst. 2. dub. 5. §. 2.

XIX. Quæri hìc solet, an Martyres etiam dicendi essent ceteri quique Pueri, ab alio fortè Tyranno in odium Fidei ac pro Christo interemti. In quo Joannes de Vitriaco lib. 1. Hist. Occid. cap. 36. negativam tenet sententiam, volens hoc fuisse speciale privilegium Puerorum ab Herode pro Christo nato interfectorum, nec extendi ad alios, qui non baptizati ab aliquo infideli tyranno in odium Fidei & pro Christo occiderentur.

XX. Communior tamen est sententia affirmativa; non enim apparet fundamentum restringendi gratiam Christi ad solos Infantes ab Herode occisos, eamque denegandi aliis, si fortè ab alio Tyranno in odium Fidei occidantur; cùm eadem ratio sit de omnibus. Præterea, ut benè observat Estius in 4. dist. 4. §. 21., si Martyrium seu mors illata pro Christo non sufficit Infanti, quia est sine voto & voluntate Baptismi; non ergo erunt tria distincta baptismata, scilicet Fluminis, Flaminis & Sanguinis, sed

duo

duo tantum Fluminis & Flaminis. Baptismus enim Sanguinis sub Baptismo Flaminis comprehendetur, utpotè votum Baptismi necessariò includens. Imo Baptismus Sanguinis non erit Baptismus in rigore, sed erit ut alia præclara virtutum opera, nempè actus Fortitudinis, quæ ut ad salutem profit, requirit vel Baptismum vel Votum Baptismi. Sicut ergo Baptismus Fluminis, quia est Repræsentatio Passionis Christi, facit Infantes Filios Dei, etsi Baptismi Fluminis Votum non habeant: ita Baptismus Sanguinis, quia est realis imitatio mortis Christi, faciet Infantes Martyres Dei, quamvis Votum Baptismi Fluminis non habeant. Ut enim dicebamus ex Bernardo, Martyres alii sunt voluntate & opere, ut Stephanus: alii voluntate, & non opere, ut Evangelista Joannes: alii opere, licèt non voluntate, ut Infantes pro Christo occisi.

XXI. Quapropter Patres tantùm efficaciæ ad salutem tribuunt Martyrio quantùm Baptismo. Licèt enim Baptismus necessarius sit ei, qui illum suscipere potest, ei tamen, qui non potest, quia morte à Tyranno prævenitur, Martyrium ei pro Baptismo est. De hoc videri potest S. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei cap. 7., lib. 4. de Bapt. contra Donat. cap. 22., lib. 1. de Anima & ejus Origine c. 9., & Epist. 108. modò 265., Tertullianus item lib. de Bapt. cap. 16. ait: *Est quidem nobis etiam secundum Lavacrum unum & ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus habeo, inquit, Baptismo tingi, quùm jam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam & sanguinem, sicut Joannes scripsit, ut aqua tingeretur, sanguine glorificaretur. Proinde ut nos faceret ex aqua vocatos, sanguine electos, hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit.* Et Cyprianus Epist. 73., quæ est ad Jubajanum, dicit, Catechùmenos, qui ante Baptismum apprehensi fuerint & occisi, non *privari Baptismi Sacramento, utpotè qui baptizentur glorioßissimo & maximo sanguinis Baptismo, de quo & Dominus dicebat habere se aliud Baptisma baptizare. Sanguine autem suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari, & Divinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad Latronem in ipsa passione credentem & confitentem loquitur, & quòd secum futurum sit in Paradiso pollicetur.* Ex quibus tantæ efficaciæ apparet esse Baptismum Sanguinis, ut si quis in Fidei Confessione deprehensus, nondum baptizatus, subitò rapiatur ad mortem, etsi tunc nec de Baptismo cogitet, nec proinde de eo Votum habeat, & pro Fide moriatur, adhuc verè Martyr Christi habendus sit, quia vitam pro Christo reverà dedit. Unde de nullis Martyribus non baptizatis legimus, quòd in ipso certamine positi,

siti, & jam morituri, Baptismi desiderium expresserint. Ex quibus conficitur, quòd Infantes si pro Christo occidantur, verè Martyres sint, etsi pro eo statu nullum Baptismi Votum habeant nec habere possint.

XXII. Neque obstat primò, quòd Martyrium includat Caritatis actum, quem Infantes habere non possunt. Nam dico, quòd Martyrium includit Caritatis actum, vel corde vel opere, non tamen semper corde. Infantes autem non possunt quidem elicere actum Caritatis corde, quia usu rationis carent, quia tamen quod non possunt facere corde, moriendo pro Christo, faciunt opere, ideò etsi non habeant Caritatis actum, moriendo tamen pro Christo, dant ei Caritatis effectum. Nam ut dicitur Joan. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

XXIII. Neque obstat secundò, quód ad Martyrium requiratur Confessio Fidei Matth. 10. v. 32. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: & ad Rom. 10. v. 10. *Ore autem confessio fit ad salutem*: Infantes autem Christum confiteri non possunt. Nam Martyrium requirit quidem confessionem Fidei, sed vel oris vel operis; si enim quis compellatur adorare, vel thus adolere Idolo, & iste nihil ore loquens, quia vel non vult, vel non potest quia mutus, & propterea occidatur, Martyr erit, quia opere confitebitur Christum, licèt non ore. Sic Infantes, qui nec loqui, nec intelligere possunt, si opere Christum confiteantur amittendo vitam pro ipso, veri Martyres erunt. Sed ad præsens ista sufficiant.

CAPUT XV.

De Christi Gestis, ac Vitæ ratione in Pueritia usque ad Annum Trigesimum.

§. I.

Quomodo Puer Jesus profecerit, & quas de his fabulas narret Liber Infantiæ.

I. DE Christo Domino post ejus reditum ex Ægypto usque ad annum ætatis suæ trigesimum, quo baptizatus est, nihil dicunt Evangelistæ. Solus Lucas c. 2. v. 40. dicit: *Puer autem crescebat & confortabatur, plenus Sapientia; & Gratia Dei erat in illo; & ibant parentes ejus per omnes annos in Je-*

Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi &c., inventus est à Parentibus in Templo sedens in medio Doctorum interrogans illos: itaut stuperent omnes, qui audiebant super prudentia & responsis ejus. Cetera autem, quæ Christus in infantia, pueritia, adolescentia & juventute sua peregit, alto & sacro silentio Evangelistæ obtexerunt, quia non curiositati nostræ, sed utilitati, institutioni, non vanitati consulere voluerunt. Hæc ergo, quæ Lucas narrat & certa sunt, priùs discutiam, deinde ad alia, quæ vel suspectæ vel non adeò certæ fidei sunt, pertransibo.

II. Dicit ergo primò Lucas, quòd *Puer crescebat & confortabatur plenus Sapientia; & Gratia Dei erat in illo*: & v.52. addit: *Et Jesus proficiebat Sapientia, & ætate, & Gratia apud Deum & homines*. Ex his Photinus, Nestorius, aliique ab Ecclesia damnati blasphemarunt, Christum fuisse purum Hominem. Sed respondetur, Lucam dicere, quòd Christus Puer crescebat, & proficiebat Sapientiâ & Gratiâ, non quia habitus Sapientiæ & Gratiæ unà cum ætate in eo augerentur, sed quia crescente ætate crescebant effectus & opera, quibus Sapientiam suam & Gratiam manifestabat. Ita S. Thomas 3.p. q.7. ar.12. ad 3. *In Sapientia*, inquit, *& Gratia aliquis potest proficere dupliciter: Uno modo secundùm ipsos habitus Sapientiæ & Gratiæ augmentatos. Et sic Christus in eis non proficiebat: Alio modo secundùm effectus, in quantùm scilicet aliquis sapientiora & virtuosiora opera facit; & sic Christus proficiebat Sapientia & Gratia, sicut & ætate, quia secundùm processum ætatis perfectiora opera faciebat, ut se verum Hominem demonstraret, & in his, quæ sunt ad Deum, & in his, quæ sunt ad homines*. Quo sensu ad Colossi. v.6. Verbum Dei dicitur fructificare & crescere, quia crescebat conversio Gentium, & Act.6. v.7. *Et Verbum Domini crescebat & multiplicabatur numerus Discipulorum* &c.

III. Ita exponit Athanasius Orat.4. contra Arianos n.53. dicens: *Ita enim corpore ætate crescente in illo quoque crescebat major Divinitatis explicatio, omnibusque ostendebatur Templum Dei ipsum esse, & Deum esse in corpore*. Nazianzenus Orat.20. in laudem S. Basilii de Christi profectu: *Proficiebat enim*, inquit, *ut ætate, ita etiam Sapientia: non quòd hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo, quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit?) sed quòd hæc paulatim detegerentur & elucerent*. Ita Cyrillus Alexandr. lib.3. contra Nestorium, Theodoritus lib.5. Hæretic. fabul. cap.13., Damascenus lib.3. Fidei cap.12.

uno

Uno verbo: omnes Patres asserunt, hunc Christi profectum in Sapientia & Gratia fuisse solius demonstrationis & manifestationis.

IV. At quæres: In quibus ergo Puer Jesus, crescente ætate, Sapientiam & Gratiam manifestabat?

Si consulas Auctorem Libri Infantiæ, plura tibi prodigia sed fabulosa narrabit, imò Domino Jesu prorsùs indigna. Dicet primò, cuidam mulieri fuisse filium nomine Judam à Satana vexatum, qui quoties à Satana corripiebatur, quosque præsentes dentibus appetebat; &, si solus esset, suas ipse manus & membra morsu vexabat. Hunc Mater ejus ad Mariam adduxit, eo tempore, quo Jacobus & Joses, ut cum ceteris Infantibus luderent, Jesum domo egressi abduxerant. Accedens ergo Judas obsessus, & ad dexteram Jesu assidens, dentibus eum appetebat, & quia attingere non poterat, latus ejus dextrum percutiebat, ita ut Jesus ploraret; eademque horâ fugit ab eo Satanas cani rabido similis. Hic autem Puer, qui Jesum percussit, & ex quo Satan exivit, fuit Judas Iscariotes, qui illum Judæis prodidit; & idem ejus latus, in quo Judas ipsum percusserat, Judæi lanceâ confixerunt.

Dicet secundò, quòd Jesus factus septennis cum aliis Pueris inveniebatur, qui ludentes varias ex luto formas fingebant, asinos, boves, volucres, & similia. Quibus omnibus figuris præcipiente Jesu, ut suo quæque motu incederent, ita factum est. Unde boves & asini incedebant & revertebantur, aves volabant, & jussæ consistebant, ac cibum & potum de manu ejus accipiebant.

Dicet tertiò, quòd Jesus cum aliis Pueris ludens & discurrens ad officinam cujusdam tinctoris, in qua erant plurimi panni tingendi, præteriens omnes illos pannos sustulit. Reversò autem tinctore, & de Jesu conquerente, quòd omnes perdidisset, respondit Jesus: cujuscumque panni colorem mutare volueris, ego mutabo, statimque pannos educens, singulos eo colore imbuit, quem tinctor desiderabat.

Dicet quartò, quòd quotiescumque Joseph in sua fabrili arte aliquid longius aut brevius, aut minùs rectum fecisset, Jesus manum suam versùs illud extendens, ad rectam formam & mensuram statim redigebat. Quod etiam accidisse narrat in solio, quód jussu Regis Hierosolymorum Josephus fabricaverat, quod cùm à debita mensura deficeret, illud Jesu unà cùm Josepho è lateribus trahente, paruit solium, & ad debitam mensuram stupentibûs omnibûs redactum fuit.

Di-

Dicet quintò, quòd cùm Jesus in plateam, ubi erant Pueri ludentes, advenisset, hi viso illo aufugerunt. Cùmque Jesus ad portam cujusdam domus accessisset, rogavit mulieres ibi stantes, quò Pueri illi abiissent: & respondentibus illis, neminem ibi adesse, dixit Jesus: Hi quos in fornace videtis, quinam sunt? cùmque ei dicerent, hædos esse triennes, exclamavit Jesus: Huc exite, ò hædi, ad Pastorem vestrum: & confestim egrediebantur Pueri hædis similes, & circa ipsum exsultabant. Obstupescentibus autem mulieribus, & Jesum rogantibus, ut Pueros illos in pristinum statum restitueret, dixit Jesus, adeste ò Pueri, ut abeamus & ludamus: & extemplo adstantibus hisce feminis, hædi immutati sunt, & in formam Puerorum redierunt.

Dicet sextò, quòd mense Adar congregavit Jesus Pueros, eosque tanquam Rex disposuit: straverant enim vestes suas in terra, ut super eas consideret, coronam è floribus capiti ejus imposuerant, & satellitum instar à dextris & à sinistris coram ipso stabant, omnesque transeuntes eum adorare vi compellebant. Dum hæc gerebantur, accidit, ut in lectica portaretur Puer, qui cùm è perdicis nido ova manu extrahere voluisset, serpentis morsu è medio nidi erumpentis exanimis factus fuerat. Cùmque qui Puerum portabant accessissent ad locum, in quo Jesus more Regis sedebat, Pueri, qui illum circumstabant, eis dicebant: salutate Regem: atque invitos ad Jesum traxerunt. Qui interrogavit eos, quare illum Puerum sic gestarent? & audiens quòd serpens eum ad mortem momordisset, mandavit, ut secum irent cum Puero ad locum, ubi erat serpens. Quò cùm pervenissent præcepit serpenti, ut venenum, quod Puero insinuaverat, exsugeret; quòd cùm serpens feciisset illicò crepuit. Puer autem valetudini restitutus, factus fuit postea Christi Discipulus, & hic est Simon Cananites, seu Cananæus, de quo Matth. 10. vers. 4.

Dicet septimò, quòd, cùm Jacobum (quem facit Joseph filium) colligentem ligna vipera momordisset, Jesus locum, in quo vipera momorderat, afflans, illicò sanavit. Rursùs cùm Jesus versaretur inter Pueros, qui in tecto ludebant, eorum quidam ex alto decidens statim expiravit. Fugientibus ceteris, cùm solus Jesus in tecto remansisset, culpatus à propinquis defuncti fuit, quòd ipse è tecto præcipitem dedisset. Negans verò Jesus, nec tamen illis acquiescentibus, dixit, rogemus Puerum ipsum, qui veritatem fatebitur. Tunc descendens stetit super caput mortui, & voce magna inquit, *Zeinuxe*, quis te præcipitavit? tunc respondens mortuus dixit, non tu me dejecisti, sed *Dina*

me

me è tecto deturbavit. Quo audito omnes, qui aderant, Miraculum celebrarunt.

Hæc & alia narrat Fabulator, non solùm non vera, sed nec verisimilia, quia mixta nugis puerilibus, nec majestatem Jesu decentia. Ignoscat igitur Lector, si hisce in anilibus jocis eum plus æquo detinuimus.

§. II.

De annua Visitatione Templi.

V. Dicit Lucas supra laudatus, quòd ex Ægypto reduces parentes Jesu ibant per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Hoc præceperat Deus Exodi 23. v. 14. *Tribus vicibus per singulos annos mihi Festa celebrabitis*, hoc est Pentecostes seu Hebdomadarum, Tabernaculorum, & præcipuè diei solemnis Paschæ, & ter in anno masculi in hisce diebus debebant se sistere Domino: unde v. 17. dicitur: *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Unde feminæ ab hoc præcepto eximi videbantur. Quod repetitur Deuteron. 16. v. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, & solemnitate Tabernaculorum.* In hujus ergo præcepti implementum, per omnes annos Puerum Jesum deferebant Jerusalem parentes ejus, & quamvis Maria Virgo istâ Lege non teneretur, pro sua tamen pietate Virum ac Filium comitabatur. Estò autem præceptum esset, ter singulis annis Templum adire, tolerabatur tamen, ut saltem semel, si aliquos itineris longitudo aut aliud insuperabile impedimentum excusasset; & quia iter è Galilæa Hierosolymam usque tridui erat, hinc semel per singulos annos Parentes Jesu ad Templi Visitationem, nimirùm *In die solemni Paschæ*, ut exprimit Lucas, se conferebant.

VI. Hic tamen exurgit difficultas non modica. Quomodo enim credibile est, parentes Jesu voluisse quotannis eum Hierosolymam ducere, ubi sciebant regnare Archelaum, qui Patris sui Herodis crudelitatis non minùs, quàm auctoritatis hæres erat, & qui facilè eum poterat comprehendere, & morti tradere? Et augetur: nam, ut supra diximus ex Matthæo, Joseph postquam in Ægypto monitus ab Angelo de morte Herodis accepit mandatum, ut reverteretur in Terram Israel, cogitavit ire in Judæam, quæ Israelis potissima pars erat; audiens tamen, quòd

quòd in Judæa regnaret Archelaus pro Herode patre suo, timens illò ire, mutavit consilium, & secundùm Angeli monitum in Galilæam secessit. Si igitur Josephus in Judæam venire renuit, eó quòd ibi regnaret Archelaus, sed Nazareth se recepit; num credibile est, eum singulis annis cum Puero Jesu & Virgine Matre voluisse è Nazareth, ubi se receperat, venire, non solùm in Judæam, sed Hierosolymam Regiam Archelai Sedem, qui decem annis ab obitu patris regnavit in Judæa, ac tanto periculo Puerum Jesum singulis annis exponere?

VII. Hanc difficultatem sibi proponit, & solvit S. Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 10. his verbis: *An ad hoc aliquis dicit, quomodo ergo, sicut Lucas narrat, ibant parentes ejus per omnes annos pueritiæ Christi in Jerusalem, si Archelai timore illuc prohibebantur accedere?* Ecce difficultatem. At ecce Augustini solutionem: *Hoc mihi dissolvere non esset difficile, nec si aliquis Evangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat, ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent, mox reversuri, ubi tamen aliis diebus habitare metuerent: ut nec solemnitate prætermissâ essent irreligiosi, nec continuâ mansione conspicui. Cum verò etiam de Regno Archelai, quàm fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoque intellectus patet, ut quod Lucas dicit, per omnes annos eos ascendere solitos in Jerusalem, tunc accipiamus factitatum, cùm jam non timeretur Archelaus. Quòd si Archelai Regnum aliquantò diuturnius ulla præter Evangelium prodit historia, cui fides habenda videatur, illud quod superiùs dixi sufficerit, quòd ita timebant parentes pueri habitationem in Jerusalem, ut tamen propter Dei timorem Festivitatem solemnem non prætermitterent, in qua latere facillimè possent: neque enim incredibile est, captatis temporibus opportunis vel dierum vel horarum, accedere homines ad ea loca, in quibus esse formidant.* Hæc Augustinus.

Quibus duplici solutione difficultati occurrit. Prima, Josephum ex Ægypto revertentem timuisse quidem in Judæam ire propter Archelaum ibi regnantem, ut in ea sedem suam, ac domicilium figeret, sic enim Regem Archelaum diù latere non potuisset: non timuisse tamen per singulos annos ad paucos dies Hierosolymis hospitari, recurrente præsertim solemnitate Paschali, ad quam undique tanta Judæorum confluebat multitudo, ut Maria & Josephus cùm Puero Jesu, sub pauperum forma accedentes, in tanta Populi multitudine discerni facilè non possent. Altera est, quòd si non constet ex aliqua historia, Regnum Archelai fuisse diuturnum, explicari posset Lucas, eos per singulos

annos solitos fuisse ascendere in Jerusalem, quibus nimirùm non ampliùs regnabat Archelaus: verùm quia ex Josephi probatæ fidei Historia lib. 17. Antiquit. cap. 15. habetur, Archelai Principatum decennio durasse, post quod apud Cæsarem propter ejus tyrannidem à Primatibus tam Judæorum quàm Samaritanorum accusatus, Principatu privatus, & in Viennam Galliæ relegatus fuit; Ideò prior solutio amplectenda est.

VIII. Magis autem confirmare posse puto, quòd Joseph & Maria potuerint cùm Puero Jesu absque ullo timore, etiam regnante Archelao, singulis annis pergere Hierosolymam, ex eo quòd nec Judæi nec Archelaus ampliùs cogitarent de Jesu, nec ea, quæ de ipso dixerant Magi, & occasione Præsentationis in Templo evulgata fuerant, eos ampliùs movere, ac super eo vigili observatione poterant continere. Cùm enim Herodes, ut se ab omni suspicione liberaret, generalem omnium Infantium cædem executus fuisset, nec ipsis notum esset, Fugâ in Ægyptum, ab illa Jesum fuisse elapsum, facilè sibi persuadere poterant, in illa etiam Puerum Jesum fuisse occisum. Et hoc eò vel maximè, quòd de eo post reditum ex Ægypto nihil ampliùs audierant, nec quidquam mirabile ab eo patratum apud eos pervenerat, cum apud parentes suos privatam vitam, sicut ceteri Pueri, ageret. Undè prodigia ab eo in Infantia & Pueritia edita, & in Libro Infantiæ conficta, supra rejecimus. Adeòque alieni erant Judæi, ut de eo aliquid magni cogitarent, quin potiùs cum se conspicuum reddere cœpit, eum vocarent per contemtum filium fabri, ut Matth. 13. v. 55., & Marci 6. v. 3.: operante hoc Divinâ Providentiâ, quousque adveniret tempus, quo quis esset manifestaretur palam.

IX. Nec dicas, anno duodecimo ætatis suæ, dum venit in Templum, se manifestasse coram Doctoribus, ut dicemus: ergo tunc saltem Archelaus poterat de eo suspicari: sed respondeo, falsum esse suppositum, quod scilicet tunc Archelaus rerum summâ adhuc potiretur. Nam cum Archelaus Herodi patri in Principatu successerit, vix anno post Christum natum, ut supra ostendi: cùm decennio solùm Principatum tenuerit, fit ut anno ætatis Christi undecimo à Principatu dejectus fuerit, & consequenter, quòd cùm Christus factus esset annorum duodecim, à timore Archelai liber esset. Sed de hoc statim.

***

§. III.

De Disputatione Christi in Templo.

X. TErtium, quod refert S. Lucas est, quòd cùm factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus parentibus ejus Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, illis insciis, remansit Puer Jesus in Jerusalem. Existimantes autem illum esse in comitatu, post iter unius diei, requirebant eum inter cognatos & notos; & non invenientes reversi sunt in Jerusalem, ubi tandem eum invenerunt in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, stupentibus omnibus, qui audierant, super prudentia & responsis ejus. Matri autem conquerenti, respondit Jesus: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Subditque Evangelista: *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.*

XI. Post triduum ergo quæsitum invenerunt Maria & Joseph Puerum Jesum *in Templo*, in aliquo scilicet Templi loco ad docendam Legem, seu disputandum destinato. Non enim solùm in Synagogis, sed in loco etiam aliquo Templi Disputatio de Lege habebatur: undè Paulus Act. 24. cap. 12. ait: *Et neque in Templo invenerunt me cùm aliquo disputantem.* Invenerunt *sedentem in medio Doctorum*, idest inter Doctores, non cùm illis occupando locum Doctoris, sed instar Discipuli inter Doctores hinc inde in subselliis considentes. Ut enim ex Ambrosio (seu veriùs Ambrosiastro in cap. 14. 1. ad Cor.) dicit Henno in Tract. de præcipuis vitæ Christi Mysteriis, in tres classes dividebantur assistentes: primam occupabant Seniores in Cathedris, de quibus fuit locutus Christus dicens Matth. 23. v. 6. *Amant primas Cathedras in Synagogis*; secundam non adeò venerabiles, in sedibus inferioribus; tertiam tenebant Discipuli ad eorum pedes in *mattis*, idest Storeis, & hanc voluit tenere Christus. Unde invenerunt ipsum, non docentem, sed *audientem & interrogantem eos*; quia licèt omnes docere posset, discipuli tamen ratione ætatis personam gerere voluit: quare (inquit S. Gregorius 3. p. Reg. Pastoralis cap. 25.) *Vigilanti consideratione pensandum est, quòd cùm Jesus annorum duodecim dicitur in medio Doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur, ne infirmus docere quis audeat, si ille Puer doceri interrogando voluit, qui per Divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis Doctoribus ministravit.*

O' utinam Christum audientem & interrogantem elati quidam ac superbi imitarentur, qui Spiritum Dei ad intelligendas Scripturas se habere gloriantes, neminem, nec Ecclesiam audire volunt, sed omnes docere præsumunt, ac neminem interrogare, ut discant veritatem, sed à se ipsis solis veritatem expetendam volunt: Sacram Scripturam cùm pietate legamus, sed ne ejus sensum privato spiritu assequi præsumamus. Quæ non intelligimus, oremus Deum ut intelligamus. Doctores interrogemus, audiamus Ecclesiam, cui Spiritus Sanctus verum Scripturarum sensum revelavit, Christum audientem & interrogantem sequamur, ac docibiles Dei simus: *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & Sapientiæ illorum ex corde conjungere: ut omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis non effugiant à te* (Ecclesiastici 6. v. 35.

Christus tamen sic Doctores audiebat, ut eos etiam interrogaret, ideſt quæstiones ex iis, quæ audierat, excitaret, ut, cum servatâ decentiâ discere velle videretur, eos doceret. Ut enim ait in hunc locum Origenes, ex uno doctrinæ fonte manat interrogare ac respondere sapienter; & ejusdem scientiæ est scire quid interroges, quidve respondeas. Unde Jesus servare voluit hîc præceptum, quod per Ecclesiasticum cap. 32. v. 12. adolescentulis dederat: *In multis esto quasi insciens, & audi simul tacens & quærens.... & pro reverentia accedet tibi bona gratia*. Ita autem contigisse narrat S. Lucas v. 47. *Stupebant autem omnes, qui eum audierant, super prudentia, & responsis ejus. Et videntes admirati sunt*. De quo autem tunc esset disputatio, Evangelista tacet. Probabile est, fuisse de Prophetarum Oraculis ac Prophetiis, præcipuè de tempore adventus Messiæ, ne inopinata eis accederet ejus manifestatio; sed ut pararet animos eorum ad ea, quæ postea adultus dicturus erat, & miraculis comprobaturus.

XII. Cur autem solùm post triduum à parentibus Jesus inventus fuerit, non fuit casus, sed Mysterium, inquit Ambrosius lib. 2. in cap. 2. Lucæ his verbis: *Post triduum reperitur in Templo, ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis, in sede cœlesti, & honore Divino Fidei nostræ se resurrecturus offerret, qui mortuus credebatur*. Invento autem Jesu, Maria conquesta est: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*; ideſt, cur nobis insciis hîc remansisti, qui tui amore dolore torquebamur? quæ verba arguentis non sunt, sed amantis, cui respondit Christus: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?* Ideſt, non erat, cur tam anxiè me quæreretis: cogitare poteratis,

tis, me hìc remansisse, ut negotia Patris mei, ad quæ missus sum, implere inciperem. Quibus parentes non reprehendit, ut quidam voluere, sed monet & docet potiùs, causam, cur ab eis recesserit, fuisse, ut mandata cœlestis Patris impleret (quod ipsi ignorabant) & propter quam etiam parentes sunt relinquendi, ut ipse in Evangelio sæpiùs dicturus erat.

XIII. Sed dices primò: saltem excusari non possunt parentes Jesu, quod non adverterint absentiam illam Pueri Jesu triumdierum: & rursùs eam factam fuisse ea de causa, ut Patris opus impleret.

Lutherus serm. in Dom. 1. Epiphan. vult, dolorem Mariæ fuisse, quia putavit suâ culpâ se amisisse Jesum, & Centuriatores Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. cap. 1. comparant Evam cùm Maria in hoc, quòd, sicut illa amisit Deum; ita ista Salvatorem. Dicunt tamen, quòd illa peccavit, quia sciens & volens amisit Deum: ista non peccavit, quia insciens & nolens amisit Jesum. At indigna est hæc comparatio. Nam Maria amisit quidem Jesum corporis præsentiâ, non tamen spiritus & cordis: nec de sua culpa timere poterat, quia factum hoc consiliò Dei, non suâ negligentiâ evenit. Nec enim parentes Jesu, quamvis scirent, Christum facturum omnia, quæ Patris sui erant, tenebantur scire, singula, quæ faciebat, illius generis esse; ita ut illud non advertentes culpabiles fierent; maximè cum nihil tale toto antecedenti pueritiæ tempore experti fuissent. Dolor ergo eorum non ex timore culpæ, sed ex amore processit.

Quod verò dicitur: *Et non intellexerunt*: quidam referunt, non ad Parentes Jesu, sed ad Auditores, qui stupebant super prudentia, & responsis ejus. Quidam ad solum Joseph, & hoc per Synedochen: verìus tamen ad utrumque videtur referendum; non ita tamen, ut ignorarent Mysterium, nempè Jesum esse Filium Dei missum à Patre ad salutem hominum, sed ut adhuc ignorarent modum, quo ista in particulari complenda essent. Quare ex reverentia Jesu hoc loco non ausi sunt eum de his interrogare, sed tempus opportunum prudenter expectarunt: undè supra v. 19. & 52. Lucas dixerat: *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*.

***

§. IV.

§. IV.

Quod vitæ institutum tenuerit Jesus in Pueritia & Adolescentia.

XIV. CUm de hoc præter jam dicta nil aliud legatur in Evangel. Luc. 2. v. 51., nisi quòd post Disputationem in Templo *Descendit cùm eis in Nazareth, & erat subditus illis*, ideſt Mariæ & Joseph, nihil nisi divinando dicere possumus. Et in primis Miracula, quæ Auctor libri Infantiæ ab ipso in Infantia & Pueritia patrata narrat, quæ tanquam fabulas & nugas Gelasius I. in Romano Concilio proscripsit, supra rejeci. Qua ratione etiam S. Joannes Chrysostomus Miracula alia, quæ à Christo in Pueritia edita suo seculo spargebantur, Homil. 16. modò 17. in Joann. repudiat, dicens: *Hinc palam est, signa illa, quæ à Christo in Pueritia facta feruntur, falsa & à quibusdam conficta esse. Nam si à puero Miracula edidisset, Joannes non illum ignoravisset, nec reliqua multitudo opus habuisset Doctore, qui illum indicaret. Nunc autem ipse ait, se ideò venisse, ut manifestaretur in Israel.*

XV. Marcosii seu Marcitæ Valentini Discipuli, quos irridet S. Irenæus lib. 1. contra Hæres. c. 17. modò 20., spargebant, quòd *Dominus cùm Puer esset, & disceret litteras, cùm dixisset Magister ejus, quemadmodum in consuetudine est, dic A, responderit A. Rursum cùm Magister jussisset dicere B, respondisse Dominum: tu prior dic mihi quid est A, & tunc ego dicam tibi quid est B.* Hoc hauserant ex libro Infantiæ, ubi idem commentum narratur. Imo additur, quòd cum Magister tali responso indignatus manu Jesum verberasset, statim manus ejus exaruit, & mortuus est. Hos etiam confutant Judæi ipsi Joann. 7. v. 15., qui cum audirent Christum docentem, *mirabantur dicentes. Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Super quæ S. Augustinus Tract. 29. in Joan. *Et unde*, inquit, *admiratio? Quia multi noverant, ubi natus, quemadmodum fuerit educatus, nunquam eum viderant litteras discentem, audiebant autem de Lege disputantem, Legis testimonia proferentem, quæ nemo posset proferre, nisi legisset, nemo legere, nisi litteras didicisset: & ideò mirabantur.* Quomodo ergo frequentavit scholas Christus, si litteras non didicit? aut quomodo litteras non didicit, si scholas frequentavit? sed apage nugas.

XVI. Circa vitæ institutum, quod servavit Christus ante Baptis-

ptiſmum & Prædicationem, voluerunt quidam, Chriſtum toto illo tempore nulli Arti Mechanicæ operam dediſſe, ſed oſtiatim mendicando vixiſſe. Ita ſenſerunt Michael à Cæſena & Guilelmus Ochamus. Sed hæc ſententia nulla probabili ratione nititur: etſi enim dem, quòd Chriſtus majoris humilitatis ergo oſtiatim aliquando mendicare voluerit, non dabo tamen, eum mendicitatis ſtatum fuiſſe amplexum, ut continuò victum quotidianum non aliter, quàm oſtiatim mendicando, ſibi comparârit. Non enim magis ante Baptiſmum ſtatum mendicitatis Chriſtus amplexus fuiſſe credendus eſt, quàm poſt ſuſceptum Baptiſmum: nemo autem dixerit, Chriſtum poſt ſuſceptum Baptiſmum ſtatum mendicitatis profeſſum fuiſſe, cùm legamus Joan. c.4. v.8., Diſcipulos Chriſti iviſſe in Civitatem, non ut mendicarent, ſed *ut cibos emerent*: & Joan.13. v.29. cùm Chriſtus dixiſſet Judæ, *quod facis, fac citiùs*: dicit Evangeliſta, quòd *quidam putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei Jeſus: eme, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis ut aliquid daret*. Chriſtus ergo aliquid ſaltem in communi cùm Apoſtolis poſſidebat, cujus quaſi depoſitarius erat Judas, de quo tanquam re ſua diſponere poterat, ſivè ad victum, ſivè in eleemoſynas; De alieno enim quis niſi injuſtè diſponere nequit: ubi S. Auguſtinus Tract.62. in Joan. *Habebat ergo*, inquit, *& Dominus loculos, & à Fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta, ubi intelligeremus, quod præcepit, non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, ut nihil pecuniæ ſervetur à Sanctis, ſed ne Deo pro iſta ſerviatur, & propter inopiæ timorem juſtitia deſeratur*.

Quare cùm præfati Michael Cæſenas & Ochamus cùm aliis pertinaciter contenderent, Chriſtum & Apoſtolos, nec in particulari, nec in communi aliqua bona habuiſſe, ſed omni planè caruiſſe dominio, hanc doctrinam ceu erroneam & hæreticam confixit Joannes XXII. anno 1323. in Extravag. *Ad Conditorem* &c., *Cùm inter nonnullos* &c. *Et quia quorumdam* &c. De quo videri poterit Odoricus Rainaldus in Annal. ad annum 1323. Cùm igitur poſt Baptiſma mendicitatis ſtatum oſtiatim quærendo victum profeſſus non ſit, veroſimile non eſt, eum per 30. ferè annos, antequam ad Baptiſmum accederet, mendicando citra ullum operis exercitium quotidianum victum ſibi paraſſe. Nec tamen propterea diffiteor, Chriſtum pauperem vitam egiſſe, quod multa Evangelii loca ſatis indicant, imo & ipſum aliquando ex emendicatis cibis victitaſſe; ſed dico, eum mendicitatis

tatis conditionem ubique, & semper ex statu non servasse. Hoc apertè dicit Basilius in Constitutionibus Monasticis cap. 4. his verbis: *In prima quidem ætate subditus parentibus omnem laborem corporalem leni ac obedienti animo cùm ipsis sustinuit. Cùm enim homines illi essent, justi quidem & pii, sed pauperes, & rebus ad vivendum necessariis non admodum instructi (cujus rei testis est præsepe, quod venerando partui inservivit) erant, ut verisimile est, laboribus corporis assiduis dediti, sic, ut hæc ratione res necessarias sibi compararent. Jesus autem, ut ait Scriptura, his subjectus, laboresque unà cùm ipsis perferendo, obedientiam suam prorsùs declaravit.*

XVII. Alii voluerunt, Christum toto tempore ante Baptismum nulli operi mechanico vacasse, sed unicè secretam ac solitariam vitam ducendo, orationi & contemplationi. Ita Paulus Burgensis ad cap. 6. Marci, Barradas in cap. 2. Lucæ, Simon de Cassia lib. 4. de Vita Christi cap. 2., sed etsi Christum privatæ vitæ plurimam partem contemplationi ac orationi dedisse, dubitandum non sit, difficile tamen creditu est, eum triginta ferè annos solitudini indulsisse, ut socialem vitam nunquam egerit, aut Artem aliquam Mechanicam exercuerit, tum ut patri fabro, cui se subjiciebat, adjumento esset, ac suæ & parentum inopiæ subveniret; tum ut humilitatis & modestiæ exemplo esset.

XVIII. Propterea probabilius censeo, Christum suæ pueritiæ & adolescentiæ annis usque ad trigesimum, artem fabrilem in adjutorium Joseph patris exercuisse. Colligo ex Evangelio Matth. 13. v. 55., ubi à Judæis vocatur fabri filius: *Nonne hic est fabri filius?* imo etiam faber, Marci 6. v. 3. *Nonne hic est faber filius Mariæ?* Idem sentiunt Patres infra referendi: undè Cajetanus: *Hìc habemus*, inquit, *unde satis fiat curiosis quærentibus, quid fecerit Christus ad trigesimum usque ætatis annum; vacabat enim fabrili exercitio.* Et hac ratione, ut supra, indignabantur Judæi, quòd Filius fabri & faber, qui nec litteras didicerat, eos docere vellet.

At quia *Fabri* nomen genericum est, & indifferenter significans operarium sivè in ligno sivè in auro aut argento aut ferro sivè in lapide, ideò dividuntur Patres in statuendo, quam ex istis fabrilem artem Joseph, & proinde Christus exercuerint. Fabrum Murarium, vel Aurificem fuisse vult Hugo. Fabrum Ferrarium voluere Hilarius in cap. 14. Matth. dicens *Sed planè hic* (Christus) *fabri erat filius ferrum igne vincentis*. Idem sentire videtur Theophilus Antiochenus in Matth. docens, in Evangelicis verbis indicari Deum Patrem *rigida mentium spiritus igne mollire*. Consentire videtur Ambrosius lib. 3. in Luc.

Sed,

Sed, ut puto, fabrum quidem dicit, sed an ferrarius, an lignarius fuerit non determinat: nam asserens fuisse typum, quòd Christi pater fuerit faber, dicit quidem, *quod Pater Christi igne operatur & spiritu*, quæ ferrarii ars est; sed addit etiam: *Et tanquam bonus animæ faber vitia nostra circumdolat, citò securim admoveus arboribus infœcundis secare doctus eximia, culminibus servare sublimia*: porrò circumdolare, securim admovere, secare, fabri lignarii est. Quidquid autem sit; fabrum ferrarium fuisse Joseph, sentiunt etiam Chrysologus serm. 48., & Beda in c. 6. Marci.

XIX. Communior tamen sententia est, Joseph fuisse fabrum lignarium, & proinde Christum huic fabrili arti operam dedisse. Hoc primus omnium tradidit S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo pag. mihi 316. his verbis: *Et cùm ad Joannem veniisset Jesus, & Josephi fabri lignarii filius haberetur, informis videlicet, quemadmodum Scripturæ annuntiaverant, apparens, faberque adeò & ipse putaretur esse; fabrilia namque, cùm in hominibus esset, faciebat opera, aratra & juga conficiens; per hæc & justitiæ docens signa, & vitam non otiosam.* Pro hac sententia afferuntur Chrysost. Homil. 30. in Matth., Basilius in Ascæticis, Auctor Oper. Imperf. in Matth., S. Thomas in cap. 13. Matth., Lyranus, & Bollandus ad diem 19. Martii, Joseph fuisse fabrum lignarium ostendit: ex quo fit, ut Christus ipse dum domi versaretur, ei in hac arte adjumento fuerit: & ideò ubi apud Matthæum à Judæis dicitur *Fabri Filius*, apud Marcum dicitur *Faber*. Id confirmat historia, quam referunt Sozomenus lib. 6. c. 2., & Theodoritus lib. 3. Hist. cap. 23., nempè quod Antiochiæ Vir erat quidam probus, & qui diù Pueris informandis operam impenderat utilem, à quo Libanius Sophista vir Æthnicus, & Juliani Apostatæ familiaris, cùm per irrisionem postulasset: *Quidnam ageret Fabri Filius?* nempè Christus: *Iste Divinâ repletus Gratiâ id, quod brevi futurum erat, prædixit: Loculum enim, inquit, fabricatur hujus universi Conditor, quem tu Fabri Filium per ludibrium appellas.* Cujus dicti veritatem paucis post diebus comprobavit eventus; nam Julianus Apostata in expeditione contra Persas, ictus sagittâ divinitùs in ipsum jactâ, animam tot sceleribus fœtidam efflavit, & in Loculo jacens advectus fuit.

XX. Virginem quoque Deiparam aliquâ arte suo sexui propriâ victum sibi comparasse, credibile est. Propterea à Tertulliano lib. de Spectaculis c. 30. *Quæstuaria*, hoc est artem ad quæstum exercens, appellatur, & S. Hieronymus Epist. 1., nunc 5. ad Heliodorum de Christo loquens: *Hic est ille*, inquit, *Opera-*

rii & Quæstuariæ filius. Quam autem specialiter coleret, non est certum. Lanariam enim scribit Anselmus, Indusiariam Epiphanius, textricem, ex lana scilicet lino serico & bysso, Hieronymus. Sed hæc divinando dicuntur.

CAPUT XVI.

De Joannis Baptistæ Ministerio.

§. I.

Tempus, quo Joannes Baptista cœpit Ministerium.

I. DICIT S. Lucas cap. 3. v. 1. *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam... sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem Regionem Jordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Quibus Evangelista initium Ministerii Joannis à tempore Imperatoris, Præsidis, & Sacerdotis designat. Difficultas tamen non contemnenda exurgit: quomodo eo tempore, quo factum est Verbum Domini ad Joannem, potuerint esse duo Principes Sacerdotum Anna & Caiphas: cùm apud Judæos unus tantùm semper fuerit Princeps Sacerdotum, seu Summus Sacerdos; neque ulla ratio adsit, cur ab hac consuetudine tunc recesserint.

Nihilominùs estò secundùm Legem Dei unus tantùm deberet esse Princeps Sacerdotum, seu Summus Pontifex, nec nisi eo mortuo vel amoto posset alter succedere; tempore tamen Christi, quo apud Judæos omnia corrupta fuerant, & Summum Sacerdotium venale evaserat, introductum erat, ut plures essent Summo Sacerdotio insigniti: qui tamen non simul, sed alternis annis, seu vicibus eo fungerentur. Hoc indicatur Jo: 11. v. 51., ubi de Caipha dicitur: *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit*. In quæ S. Joann. Chrysost. Homil. 64., aliàs 65. in Joan. ait: *Quid sibi vult illud*,, cùm esset Pontifex anni illius?,, *Cum aliis hic quoque mos corruptus erat. Non enim ultra toto vitæ tempore sed anno uno Sacerdotium gerebant, ex quo venales facti erant Principatus*. Et S. Augustinus Tract. 49. in Joann. *Potest autem*, inquit, *movere, quomodo dicatur Pontifex anni illius, cùm Deus unum constituerit Summum Sacerdotem, cui mortuo unus succederet. Sed intelligendum est, per ambitiones & contentiones inter*

ter Judæos postea constitutum, ut plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent. Nam & de Zacharia hoc dicitur; factum est autem cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in Templum Domini. Hinc apparet, plures eos fuisse, & vices suas habuisse: nam incensum non licebat ponere, nisi Summo Sacerdoti. Et fortè etiam unum annum, plures administrabant, quibus alio anno alii succedebant, ex quibus sorte exibat quis, ut incensum poneret. Ita Augustinus, qui est in sententia, quòd Zacharias Joannis Baptistæ parens fuerit unus de Summis Sacerdotibus. Posito ergo quod tunc Summum Sacerdotium non ampliùs gereretur per unum, sed per plures, qui vel alternis annis, vel eodem alternis vicibus illud administrarent, cùm dicit Lucas *Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha factum est Verbum Domini super Joannem*, sensus est, quòd eo anno isti duo Summo Sacerdotio per vices fungerentur, vel quod eo anno unus, ideſt Anna, qui primo loco ponitur, illud administraret, cui subsequenti anno Caiphas succederet. Et hoc benè concordat, quòd post tres alios annos, nempè anno Passionis Christi, Pontifex anni illius esset Caiphas.

II. Parum dissimiliter sentit Eusebius lib. 1. Hist. cap. 10.; vult enim, Lucam intendisse illis verbis *Annâ & Caiphâ* concludere totum tempus prædicationis Joannis & Christi, quod incœpit à Pontificatu Annæ, & desiit in Pontificatu Caiphæ: sic enim ait: *Refert porrò Divina Scriptura, totum prædicationis suæ tempus sub Anna & Caipha Pontificibus illum exegisse: id scilicet significans, temporis spatio, quo illi Sacerdotium administrarunt, universam Christi Prædicationem terminatam fuisse. Cùm ergo ab Annæ Pontificatu exorsus ad Caiphæ Pontificatum decere perstiterit, vix hoc temporis intervallo quadriennium integrum continetur. Quippe cum jam inde ab illis, quibus dixi temporibus aboliti prope essent Ritus, Legesque Sacrorum, simul Sacerdotium perpetuum & hæreditarium esse desierat; nec quæ ad cultum Dei pertinent ritè agebantur: sed à Præsidibus Romanis alii subinde atque alii Sacerdotes constituti, non plus quàm anni spatio munus illud gerebant. Certè Josephus* (lib. 18. Antiquit. c. 3.) *Ab Anna ad Caipham quatuor continuo ordine Sacerdotes fuisse . . , narrat his verbis: Valerius Gratus, cùm Annæ Sacerdotium ademisset, Ismaelem Baphi filium in ejus locum promovit. Quo non multò post remoto, Eleazarum supradicti Annæ filium Sacerdotem designavit. Interjecto deinceps anni spatio, cùm huic honorem abrogasset, Simoni Camithi filio Sacerdotium tradidit, qui in eo munere non ultra an-*

num perfunctus, mox Josephum, cui etiam Caiphæ nomen fuit, successorem accepit. Proinde universum Prædicationis Dominicæ tempus non totos quatuor annos complecti manifestum est, quorum spatio totidem Sacerdotes ab Anna usque ad promotionem Caiphæ annuum singuli Sacerdotium administrarunt. Hactenùs Eusebius.

III. Non latet, fuisse, qui voluerint, Caipham eo anno, quo Joannes suum iniit Ministerium, fuisse Summum Sacerdotem, Annam tamen fuisse ejus Vicarium. Sed hæc opinio rejicitur optimo jure à Patre Graveson Dissert. 11. de Myst., & Ann. Christi quæsito 1. 3 tum quia S. Lucas Annam præponit Caiphæ, tum hìc c. 3., tum c. 4. Act. Apost. v. 6. *Et Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali.* Quòd si Annas fuisset tantùm Vicarius Caiphæ, nec illum vocasset *Principem Sacerdotum*, nec illum præposuisset Caiphæ: præposterus enim ordo est præponere Vicarium suo principali: nec illum Principem Sacerdotum appellasset, sed potiùs Principis Sacerdotum Vicesgerentem. Secundò, ut ait Valesius in Notis ad lib. 1. cap. 10. Eusebii, Josephus, qui in suis Antiquitatum Libris universos Judæorum Pontifices accuratè percensuit, perpetuos illos Vicarios nunquam commemoravit. Unius dumtaxat meminit in lib. 17. cap. 8., qui appellatur Josephus Ellemi filius, qui in spatium unius diei creatus est Pontifex, ut vice Matthiæ Pontificis, qui nocturnam pollutionem passus fuerat, sacra faceret. Ex quo apparet, perpetuos Vicarios Summi Pontificis nullos tunc fuisse: nam si Matthias Pontifex hujusmodi Vicarium habuisset, nil opus erat ob nocturnam illam pollutionem subitò Vicarium illi constituere. Hæc igitur opinio, quæ Theodorum Bezam auctorem habet, & quam amplectuntur Scaliger in Prolegomenis ad Chronicon Eusebii, & Casaubonus in Exercitat., omni fundamento caret.

IV. Censet ergo laudatus Valesius, quem sequitur Graveson loco supra citato, non eos solos dictos fuisse Principes Sacerdotum, qui Summo Sacerdotio actu fungebantur, sed eos etiam, qui Summo Sacerdotio ante defuncti erant, & postea destituti, vel exauctorati. Josephus autem lib. 18. Antiquit. c. 3. inter Summos Sacerdotes Judæorum recenset *Ananum*, & hunc putant fuisse eum, quem *S. Lucas Annam* nominat, qui cùm esset socer Caiphæ, & paulò antea Pontificatum strenuè gessisset, summamque apud Judæos auctoritatem obtineret, à S. Luca cùm Caipha conjungitur. De hoc Anano seu Anna P. Calmet in Dictionario Sacræ Scripturæ hæc habet „ *Ananus* „ filius Seth Summus Sacerdos Judæorum in Evangelio dictus

An-

„ *Annas*. Ad eam dignitatem post Joazar filium Simonis as-
„ sumtus post undecim annos Ismaeli filio Phabi illam remisit,
„ quamvis titulum & negotiorum administrationem retinue-
„ rit. Hinc quo tempore S. Joannes Ministerium suum incœ-
„ pit, Annas & Caiphas Sacerdotio præfuisse perhibentur. Ad
„ hunc Annam veluti Caiphæ Pontificis socerum Jesus Chri-
„ stus, simul ac comprehensus fuit, adductus est. Omnium suæ
„ nationis felicissimus habitus fuit, teste Josepho lib. 20. Anti-
„ quit. cap. 8. ; siquidem ipse compluribus annis Summus Sacer-
„ dos quinque filios ad eandem dignitatem evectos habuit,
„ quod nemini adhuc contigerat. Verba Josephi sunt: *Seniorem istum Ananum* (fuit enim alter Junior ejus filius secta Sadducæus Summus Pontifex) *ajunt fuisse omnium felicissimum, ut qui filios habuerit quinque, omnes potitos Summi Dei Pontificio, cùm priùs ipse ad satietatem hac dignitate esset perfunctus; quod ad eam ætatem nulli ante Summorum Pontificum contigerat*. Sive ergo primam, nempe Augustini vel Eusebii, sive hanc postremam Lector amplectatur sententiam, veritatem Evangelii salvabit.

§. II.

Joannis Ministerium quod & quale fuerit.

V. JOannis Baptistæ Ministerium fuisse Præcursoris Christi, una omnium sententia est: Præcursor autem ille est, qui non à longè, sed aliquem propè venturum, seu jam venientem præcurrit, parando vias & alia necessaria. Sic Præcursores exercitus dicuntur illi, qui præcurrunt ejus vicinum adventum, parant vias, & quæ militibus necessaria sunt præparant. Hoc ergo Joannis officium fuit, Christum venientem præcurrere, eumque quasi digito monstrare, & homines prædicatione & Baptismo Pœnitentiæ ad eum Legemque Gratiæ dignè suscipiendam præparare. Colligitur ex Lucæ cap. 3. v. 3. *Et venit* (Joannes) *in omnem Regionem Jordanis prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro Sermonum Isaiæ Prophetæ* (c. 40. v. 3.) *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*: & Joan. 1. Joannes ipse interrogatus à Judæis, quis esset? respondit se non esse Christum, nec Eliam, neque Prophetam, & urgentibus illis ut diceret, quis esset? respondit v. 23. *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta*: sed illis non aquiescentibus & dicentibus: *Quid ergo baptizas, si non es Christus, neque Elias ne-*

neque Propheta? Munus suum apertè indicans v.26. *Respondit eis Joannes, dicens: ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescistis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*: quod repetit apud Matth. cap. 3. v.11., & Marci 1. v.7. Super quæ S. Augustinus Tract.4. in Joan. *Non vobis*, inquit, *videtur præconis esse dicere: Exite, facite viam? nisi quod præco: Exite, dicit; Joannes dicit: Venite. A judice repellit præco, ad Judicem vocat Joannes: imo vocat Joannes ad humilem, ne Judex sentiatur excelsus.*

VI. Quæri potest, an Ministerium Præcursoris pertineat ad Vetus, an verò ad Novum Testamentum. Moderni quidam Acatholici dixerunt, in Præcursoris munere cessasse Legem Veterem, & à Joanne inchoasse Legem Novam; unde Baptismo suo Gentes Ecclesiæ membra faciebat; sed hoc est facere Joannem auctorem Legis gratiæ, & eum declarare Christum, contra id, quod ipse dixerat: *Non sum ego Christus.*

Hinc probo primò contrarium: In eo Vetus Lex cessavit, in quo fuit impleta, & in quo consummatæ sunt figuræ, quas continebat, & demum quem venturum Prophetæ prænuntiaverant; sed Lex non fuit impleta in Joanne, sed in Christo, qui dixit Matth.5. v.17. *Nolite putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere sed adimplere.* In Joanne non sunt consummatæ figuræ, sed in Christo, ut consideranti patebit, nec de Joanne Prophetæ prænuntiaverunt, quód esset futurus Novæ Legis conditor, sed solùm quod esset præparaturus viam ad eam. De eo enim Isaias cap.40. dicit *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, & Malachiæ 3. v. 1. *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator, quem vos quæretis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Debebat ergo Joannes parare viam, & statim venire Dominator & Angelus Testamenti, nempè Christus Messias, quem Judæi sibi promissum volebant; & ideò de Baptista dicitur Joan.1. v.7. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*: & v.15. Joannes testimonium perhibet de se ipso, & clamat dicens: *Hic erat, quem dixi; qui post me venturus est, ante me factus est, qui prior me erat. Et de plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Porrò cùm nomine Gratiæ & Veritatis ut à Lege Veteri distinctæ veniat Lex Novi Testamen-

menti, hæc à Christo lata est, ipso Joanne teste.

VII. Solus ergo Christus fuit Novi Testamenti Auctor & Legislator. Solus ipse mandavit obedire præceptis suis, non Joannis. Unde Joan. 13. v. 34. ait *Mandatum novum do vobis*: & cap. 14. v. 15. *Si diligitis me, Mandata mea servate*: & Matth. ultimo v. 20. mittens Discipulos ad omnes Gentes dixit *Docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Ipse solus *Christus* (ait Paulus ad Galat. 3. v. 13.) *nos redemit de maledicto Legis factus pro nobis maledictum*: & cap. 4. postquam dixit, quòd in Veteri Lege *cùm essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes*, subjungit v. 3. *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum ... ut eos qui sub Lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* &c.

VIII. Probo secundò: nam si Joannes Legem Veterem abrogasset, vel aliquid de ea immutasset, id ei objecissent Judæi, sicut frequenter objecerunt Christo, & etiam Paulo Act. 21. & 26. Cùm ergo id nunquam Joanni objecerint, argumento est, quòd Joannes præparaverit quidem Judæorum corda ad suscipiendum Christum, & ejus Legem, Veterem tamen non abrogaverit, nec Novam inchoaverit.

IX. Joannes ergo erat confinium & limes Veteris Testamenti ad Novum ducens. Ita eum vocat S. Augustinus serm. 293., aliàs 5. ex Viguerianis dicens: *Videtur ergo Joannes interjectus quidam limes Testamentorum duorum Veteris & Novi. Nam eum esse, ut dixit, quodammodo limitem Dominus ipse testatur dicens*,, Lex, & Prophetæ usque ad Joannem Baptistam,, (Lucæ 16. v. 16.) *Sustinet ergo personam vetustatis & præconium novitatis: propter personam vetustatis, de senibus nascitur: propter personam novitatis, in visceribus matris Propheta declaratur ... Jam ibi designatus erat, designatus antequam natus: cujus Præcursor esse ostenditur, antequam ab eo videretur*: & lib. 3. contra duas Epist. Pelag. cap. 4. dicit, Vetus Testamentum duravisse *usque ad ipsum Joannem Baptistam, quasi præteritæ dispensationis limitem quendam, qui Mediatorem ipsum non aliquâ umbrâ futuri, vel allegoricâ significatione, vel ullâ propheticâ prænuntiatione venturum esse significans, sed digito demonstrans, ait*,, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi,,.

S. Augustinum sequitur S. Thomas 3. p. q. 38. a. 1. ad 2. dicens: *Joannes non solùm fuit Propheta, sed*,, plusquam Propheta,, *ut dicitur Matth. 11., fuit enim terminus Legis & initium Evangelii. Et ideò magis pertinebat ad eum verbo & opere inducere homi-*

nes

nes ad Legem Christi, quàm ad Observantiam Veteris Legis. Fuit tamen initium Evangelii, non ut condens Evangelium, sed ut demonstrans Auctorem Evangelii præsentem, & disponens homines ad illud susciendum. Quare idem S. Thomas ibidem ad primum dixerat, *quòd Baptismus Joannis non erat per se Sacramentum, sed quasi quoddam Sacramentale disponens ad Baptismum Christi. Et ideò aliqualiter pertinebat ad Legem Christi, non autem ad Legem Moysi*: ait autem, quòd *aliqualiter pertinebat ad Legem Christi*, non tanquam ejus præceptum, aut pars in ea manens, sed tanquam dispositio, eâ adveniente transiens, & ideò adveniente Baptismo Christi cessavit Baptismus Joannis, sicut adveniente formâ cessat dispositio ad illam. Hoc si advertere voluissent Calvinus & alii, non dixissent, eundem fuisse Baptismum Joannis ac Christi. Sed de hoc infra.

X. Hinc conficitur, Joannem fuisse initium Novæ Legis, non intrinsecum, & quasi Auctorem, sed extrinsecum; quatenus ab ipso cœpit prædicari & promitti Regnum Cœlorum; de quo non in Veteri sed in Novo Testamento fit mentio: & cœpit demonstrari Christus, qui Novi Testamenti est Conditor. Unde fuit sicut Lucifer, initium scilicet diei & finis noctis, & quasi interstitium inter Legem & Evangelium. Audiatur Tertullianus lib. 4. cap. 33. contra Marcionem sic discurrens: *Quasi non & nos limitem quendam agnoscamus Joannem, constitutum inter Vetera & Nova, ad quem desineret Judaismus, & à quo inciperet Christianismus..... Nam & si probavimus, & Vetera transitura & Nova successura prædicari à Creatore, si Joannes Antecursor & Præparator viarum Domini Evangelium superducturi, & Regnum Dei promulgaturi; & ex hoc jam, quòd Joannes venit, ipse erit Christus, qui Joannem erat subsecuturus ut Antecursorem; & si desierunt Vetera interstite Joanne, non erit mirum, quod ex dispositione est Creatoris.* Erat ergo Joannes medium, Novum Testamentum cum Veteri uniens, non unum abrogans & alterum instituens.

§. III.

De Baptismate Joannis.

XI. DIcit Lucas cap. 3. v. 2. *Factum est Verbum Domini super Joannem in deserto; & venit in omnem Regionem Jordanis prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* De hoc Joannis Baptismate quæri potest: Primò, an fuerit à Deo. Secundò, an in eo Gratia daretur. Tertiò, quando ces-

cessaverit. Quartò, an baptizati Baptismo Joannis essent postea Baptismo Christi baptizandi.

XII. Circa primum, Baptismum Joannis fuisse à Deo traditum Joanni, & Deo revelante ab ipso prædicatum, satis indicant verba Lucæ supra citata, nimirùm quòd Verbum Domini factum super Joannem fuerit hoc, ut veniens in omnem Regionem Jordanis prædicaret Baptismum, & baptizaret. Quod Joannes ipse testatus est, cùm Joan. 1. v. 33. ait: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*: qui autem misit Joannem fuit Deus: unde priùs v. 6. dicitur: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes*. Dicit tamen S. Thomas 3.p. q. 38. ar. 2. *Quòd in Baptismo Joannis duo possunt considerari; scilicet ipse Ritus baptizandi, & effectus Baptismi. Ritus quidem baptizandi non fuit ex hominibus, sed à Deo, qui familiari Spiritus Sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius Baptismi fuit ab homine, quia nihil in illo Baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset. Unde non fuit à solo Deo, nisi inquantùm Deus in homine operatur*. Et in 4. dist. 2. q. 2. ar. 1. qu. 3. ait: *Joannes suum Baptisma instituit præcepto Divino. Unde patet, quòd institutio ipsius fuit à Deo per auctoritatem, ab ipso Joanne per ministerium*.

XIII. Neque opponas: si Baptismus Joannis fuit ab ipso solùm per Ministerium, non deberet dici *Baptismus Joannis*: sicut quia Baptismus Novæ Legis est ab homine solùm per Ministerium, non dicitur Baptismus hominis, puta Petri & Pauli, sed Christi. Respondet enim S. Thomas loco citato ex 3.p. ad 1. *Quòd per Baptismum Novæ Legis homines interiùs per Spiritum Sanctum baptizantur, quod facit solus Deus. Per Baptismum autem Joannis solum corpus mundabatur aquâ: unde dicitur Matth. 3.* „Ego baptizo vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto„: *Et ideò Baptismus Joannis denominatur ab ipso, quia scilicet nihil in eo agebatur, quod ipse non ageret. Baptismus autem Novæ Legis non denominatur à Ministro, qui principalem Baptismi effectum non agit, scilicet interiorem emundationem*.

XIV. Si quæras, an Baptismus Joannis haberet aliquam materiam, in qua conferretur, & formam seu verba, sub quibus daretur.

Respondeo, habuisse quidem materiam, tum remotam nempe aquam, tum proximam nempè exteriorem corporis ablutionem; non habuisse tamen formam seu verba, sub quibus conferretur. Prima pars est certa ex Scriptura, quæ quoties lo-

quitur de Joannis Baptismate, semper dicit, Joannem baptizasse in aqua: quod habetur Matth. 3. v. 6. *Et baptizabantur ab eo in Jordane*, & repetit Marcus cap. 1. v. 5.: & Joannes cap. 3. v. 23. dicit, quòd Joannes *erat baptizans in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic*. Ex quo sequitur, materiam proximam fuisse ablutionem, quia abluendo aquâ baptizabat; baptizare enim est abluere.

Secunda pars probabilior est. Nam Scriptura, dum Joannem baptizantem proponit, nulla verba, quibus in actu baptizandi uteretur, nobis exhibet. Nec enim invocabat Spiritum Sanctum, seu sub ejus Nomine baptizabat; tum quia Joannes ipse hoc negat Matth. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua.... ipse autem vos baptizabit in Spiritu Sancto*; tum quia Act. 19. baptizati à Joanne interrogati, num accepissent Spiritum Sanctum, respondérunt v. 2. *Neque si Spiritus Sanctus est audivimus*. Nec invocabat Trinitatem; tum quia si invocasset Trinitatem, nominasset Spiritum Sanctum: & ideò baptizati ab ipso non potuissent dicere: *Neque si Spiritus Sanctus est audivimus*; tum quia invocatio expressa Trinitatis primò fuit præscripta à Christo post Resurrectionem, Matth. ultimo: eam ergo non potuit adhibuisse Joannes. Nec invocabat Christum, seu in Nomine Christi venturi baptizabat, quia sic baptizasset Baptismo Christi, non suo; imo sub hac eadem forma debuisset Christum ipsum baptizare, dicendo *Ego te baptizo in Nomine Christi*, quod dici nequit. Dum enim baptizabat, prædicabat quidem Christum, & baptizandos hortabatur, ut crederent in eum, ut habetur Act. 19. v. 4. dicens: *In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum*. Sed hæc verba proferebantur à Joanne per modum Catechismi, & concionis, non per modum invocationis. Verba autem, quæ in Sacramentis adhibentur ut forma, non sunt concionatoria, sed invocatoria & consecratoria: quod ostendi tom. 2. in 3. p. Tract. de Sacram. in gen. q. 2. dub. 2. §. 2. contra Lutheranos & Calvinistas.

XV. Circa secundum, an Baptismus Joannis gratiam justificantem conferret, moderni Hæretici affirmant, volentes Baptisma Joannis non minùs contulisse gratiam, quàm nostrum: & hoc secundùm eorum falsa principia, quibus statuunt, Baptisma nostrum non aliter conferre gratiam, nisi excitando Fidem, qua justificamur; Baptisma autem Joannis potuisse excitare Fidem in Christum, cùm ad hoc conferretur, nimirùm ut crederent in eum, nemo negare potest; sed hoc refutavi generaliter tom. 2. in 3. p. Tract. de Sacram. in genere qu. 2. dub. 2.

ubi

ubi ostendi, nostra Sacramenta immediatè causare gratiam.

XVI. Baptismum ergo Joannis gratiam non contulisse, præter dicta præfato tom.2. in 3.p. de Bapt. q.1. dub.1., ostenditur primò, quia erat Baptismus tantùm in aqua, non autem in Spiritu Sancto, ipso Joanne teste Matth.3. v.11. *Ego baptizo in aqua in pœnitentiam*, ideſt excitando ad pœnitentiam: *Ipſe* (Chriſtus) *baptizabit vos in Spiritu Sancto*, ideſt conferendo vobis gratiam Spiritus Sancti: *Quapropter* (inquit S. Auguſtinus lib.5. de Baptiſmo cap.10.) *quamquam ita credam, baptizaſſe Joannem in remiſſionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata, re ipſa verò in Domini Baptiſmo id fieret* &c. Unde S. Thomas 3.p. q.38. ar.3. ait: *Tota doctrina & operatio Joannis præparatoria erat ad Chriſtum: ſicut Miniſtri & inferioris Artificis eſt præparare materiam ad formam, quam inducit principalis Artifex* ,,. *Gratia autem conferenda erat hominibus per Chriſtum, ſecundùm illud Jo.1.* ,, Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt: *Et ideò Baptiſmus Joannis gratiam non conferebat, ſed ſolùm ad gratiam præparabat tripliciter. Uno quidem modo, per doctrinam Joannis, inducentem homines ad Fidem Chriſti: alio modo, aſſuefaciendo homines ad Ritum Baptiſmi Chriſti: tertio modo, per pœnitentiam præparando homines ad ſuſcipiendum effectum Baptiſmi Chriſti.* Quod conſequitur ſupradictâ cùm S. Thoma art.2. præcedente, nimirùm quòd effectus Baptiſmi Joannis fuit ab homine, quia nihil in illo Baptiſmo efficiebatur, quod non eſſet ab homine: ſi autem gratiam contuliſſet, effectus illius non eſſet ab homine, ſed à ſolo Deo; nec diceretur Baptiſmus Joannis, ſed Chriſti: ſicut hac ratione noſter Baptiſmus non dicitur Baptiſmus Petri aut Pauli, ſed Chriſti, quia hic eſt, qui dando gratiam ſolus interiùs baptizat.

XVII. Secundò oſtendo, rationes in contrarium enervando. Ideò Baptiſmus Joannis gratiam contuliſſet, vel quia Marci 1. vocatur Baptiſmus *Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*; vel quia ut habetur Matth. 3. & Marci 1. baptizandi à Joanne confitebantur peccata ſua; confeſſio autem peccatorum ordinatur ad remiſſionem peccatorum, quæ fit per gratiam. Sed hæc non evincunt: ergo &c. Minor probatur pro prima parte ex Divo Thoma loco citato ad primum, qui ex Beda ſuper illud Marci 1. obſervat, ibi duo dici: unum, *fuit Joannes in deſerto baptizans*; & hoc intelligitur de Baptiſmo, quem Joannes conferebat, & hic ſolùm inducebat ad pœnitentiam: alterum, *& prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*; & hoc intelligi debet de Baptiſmo Chriſti, per quem peccata remittun-

tur, quem Joannes dare non poterat, sed solùm prædicabat, dicens: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto*. Quòd si de solo Baptismo Joannis ibi sermo sit, potest dici, quòd prædicabat Baptismum Pœnitentiæ, ideſt inducentem in pœnitentiam, quæ ducit homines in remissionem peccatorum; vel cùm S. Hieronymo in dictum Caput Marci 1. *Gratia datur, qua peccata gratis dimittuntur: quod autem consummatur per Sponsum, initiatur per paranymphum*, scilicet per Joannem: *Unde dicitur* (ait S. Thomas) *quòd baptizabat & prædicabat Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum; non ideò quia hoc ipse perficeret, sed quia præparando ad hoc homines disponebat*. Pro secunda etiam parte min. dicit S. Thomas ibidem ad 2. *Quòd illa confessio peccatorum non fiebat ad remissionem peccatorum, per Baptismum Joannis exhibendam; sed consequendam per pœnitentiam consequentem, & per Baptismum Christi, ad quem pœnitentia illa præparabat*.

XVIII. Hoc idem testatur Tertullianus lib. de Baptismo cap. 10. de Joannis Baptismo, dicens: *Divinum quidem eum Baptismum fuisse, mandatu tamen, non & potestate, quòd & Joannem à Domino missum legimus in hoc munus, ceterùm humanum conditione. Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate*. Et infra: *Agebatur itaque Baptismus pœnitentiæ quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quòd prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, in futuram remissionem enuntiatum est. Si quidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur; & hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat*. Hæc & quidem acutè Tertullianus. Jure igitur Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 1. anathemate ferit eum, qui dixerit, *Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi*: unde Augustin. in Enchirid. cap. 48. *Non enim renascebantur, qui Baptismate Joannis baptizabantur, à quo & ipse* (Christus) *baptizatus est, sed quodam præcursorio illius Ministerio, qui dicebat*, Parate viam Domino, *huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur*.

XIX. Quo ad tertium: quandonam Baptismus Joannis cessaverit: Voluerunt quidam, Christo baptizato, Baptismum Joannis statim cessasse, fortè moti dicto Augustini Tract. 4. in Joan. *Baptizatus est Christus, & cessavit Joannis Baptisma*. Sed S. Thomas 3. p. q. 38. ar. 5. sentit, Baptismum Joannis non debuisse Christo baptizato statim cessare. Primò, quia ut Chrysostomus dicit Homil. 28. in Joan. (modò 29.) quòd Joannes *Baptizabat tantùm in eum, qui post se venturus erat, ut in eum credere*

derunt. Qui igitur hoc prædicabat, quomodo Discipulorum Christi præstantiam demonstrasset, si à Baptismate destitisset? Nam è contrario visum fuisset, ipsum ex invidia, vel ira cessare. Persistendo autem hæc firmiora declarabat. Secundò addit idem Chrysostomus, quòd si Joannes cessasset à baptizando, Christo baptizante, Discipulos suos in majorem zelum immisisset; nam *digniores Jesu Discipulos declarasset, si illis incipientibus, ipse destitisset. Cur ergo baptizabat? Ne Discipulos suos in majorem invidiam & contentionem conjiceret.* Tertiò, quia persistens in baptizando, suos Auditores mittebat ad Christum: *Non enim* (ait Chrysost. ibi) *sibi gloriam comparabat, sed Auditores ad Christum mittebat.* Tandem quia non debuit Præcursor cessare, donec Veritas demonstraretur; ut autem dicit S. Thomas citato loco ad 1., *Nondum Christus erat plenè manifestatus, eo baptizato; & ideò adhuc necessarium erat, quòd Joannes baptizaret.*

XX. Igitur ob ejusmodi causas Joannes baptizare non destitit, etiam postquam Christum baptizaverat, imo nec postquam Christus cum Discipulis suis cœperat baptizare: dicitur enim Joan. 3. v. 22. *Post hæc venit Jesus & Discipuli ejus in terram Judææam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.* Super quæ S. August. Tractat. 13. in Joan. *Sed dicet aliquis: sufficiebat ergo, ut baptizaret Dominum Joannes: quid opus erat, ut alii baptizarentur à Joanne? Et hoc diximus; quia si solus Dominus baptizaretur à Joanne, non deesset ista cogitatio hominibus, quòd meliorem habebat Baptismum Joannes quàm Dominus. Dicerent enim: usque adeò magnus erat Baptismus, quem habuit Joannes, ut solus Christus illo fuerit dignus baptizari. Ergo ut ostenderetur melior Baptismus, quem daturus erat Dominus, & ille tanquam servi intelligeretur, ille tanquam Domini, baptizatus est Dominus, ut præberet humilitatis exemplum: non solus autem baptizatus est ab eo, ne Baptismus Joannis melior Baptismo Domini videretur.* Quibus patet, quàm falsò tribuatur Augustino, quòd baptizato Christo Baptismus Joannis statim cesslaverit.

XXI. Quando autem cessaverit Baptismus Joannis, dicit S. Thomas ar. 5. citato ad 2. *Quòd baptizato Christo cessavit Baptismus Joannis, non tamen statim, sed eo incarcerato. Unde Chrysost. Homil. 28. seu 29. in Joan. dicit*,, Æstimo propter hoc permissam esse mortem Joannis, &, eo sublato de medio, Christum maximè prædicare cœpisse, ut omnis multitudinis affectio ad Christum transiret, & non ultra his, quæ de utroque erant, sen-

ten-

tentiis scinderentur ,,. Unde citato c. 3. Joan. postquam dictum fuit, quòd *Joannes erat baptizans in Ænnon*, subditur v. 24. *Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem*: ex quo colligitur, Joanne misso in carcerem, ejus Baptismum cessasse: & S. August. Tract. 4. in Joan. *Multi autem*, inquit, *baptizati sunt Baptismo Joannis, baptizatus est Dominus Baptismo Joannis, & cessavit Baptismus Joannis; inde jam missus est in carcerem Joannes; deinceps nemo baptizatus invenitur illo Baptismate*.

XXII. Peculiaris tamen est Tertulliani opinio lib. de Bapt. cap. 11., Joannis Baptismum etiam post ipsum continuasse, imò Discipulos Christi eodem Baptismo Joannis, non verò Christi baptizasse, quia nondum habuerat efficaciam per Passionem & Resurrectionem ejus, ait enim: *Itaque tingebant Discipuli ejus ut Ministri, ut Joannes ante Præcursor, eodem Baptismo Joannis, ne qui alio putet, quia nec extat alius, nisi postea Christi, qui tunc utique à discentibus dari non poterat, utpotè nondum adimpletâ gloriâ Domini, nec institutâ efficaciâ lavacri per passionem & resurrectionem: quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine surrectione ipsius*. Sed hoc admitti non potest: nam si Discipuli Christi baptizabant, ut Ministri ejus, non ut Ministri Joannis; ergo baptizabant Baptismo Christi, quia qui facit ut Minister, facit opus sui principalis, non alterius. Deinde Joan. 3. v. 22. dicitur, quòd *venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judææam, & illic commorabatur cum eis, & baptizabat*, vel per se vel Discipulos suos: ergone Jesus baptizabat Baptismo Joannis, non suo? Dominus Baptismo servi? Rursùs Apostoli & Judas ipse ante passionem fuerunt baptizati, & ad Cœnam Eucharisticam admissi, fuerunt mundi; ergo jam & Baptismo Christi initiati, & proinde Baptismus Christi ab eis etiam conferebatur, & efficaciâ pollebat. De hoc August. Epist. 44. (aliàs 163.) cap. 5. *Numquid ergo fas erat, ut Baptismo Joannis baptizaret Sponsus, ideſt Baptismo amici vel servi? Deinde quomodo poterant Eucharistiam accipere nondum baptizati? aut quomodo Petro volenti, ut totum se lavaret, responderit*,, Qui lotus est semel, non eum oportet iterum lavari, sed est mundus totus?,, *Perfecta enim mundatio, non in Joannis, sed in Domini Baptismo est, si eo se dignum qui accipit præbeat*. Sed de hoc dixi tomo 2. in 3. p. de Baptismo q. 3. dub. 1. §. 2., quò studiosum remitto.

* * *

§. IV.

§. IV.

An baptizati Baptismo Joannis essent postea baptizandi Baptismo Christi.

XXIII. AB hoc dubio breviter me expediam, cùm de eo egerim tom. 2. in 3.p. de Bapt. q. 1. dub. 1. §. 2. & 3. contra Calvinum, & alios sui similes, volentes, idem fuisse Joannis Baptismа ac Christi. De hoc agit S. Thomas 3.p. q. 38. ar. 6. ubi præmittit, quòd secundùm opinionem Magistri in 2. dist. libri 4. Sentent. *Illi, qui baptizati sunt à Joanne, nescientes, Spiritum Sanctum esse, ac spem ponentes in illius Baptismo, postea baptizati sunt Baptismo Christi: Illi verò, qui spem non posuerunt in Baptismo Joannis, & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credebant, non fuerunt postea baptizati, sed impositione manuum ab Apostolis super eos factâ, Spiritum Sanctum receperunt.*

XXIV. Sed ait S. Thomas: *Hoc quidem verum est quantùm ad primam partem, quòd multis auctoritatibus confirmatur: sed quantùm ad secundam partem est penitùs irrationabile quod dicitur. Primò quidem, quia Baptismus Joannis neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, sed erat solùm in aqua, ut ipsemet dicit Matth. 3. Unde baptizatis fides & spes, quam habebant in Christum, non poterat hunc defectum supplere. Secundò, quia quando in Sacramento omittitur aliquid, quod est de necessitate Sacramenti, non solùm oportet suppleri quod fuerat omissum, sed oportet totaliter innovari. Est autem de necessitate Baptismi Christi, quòd fiat non solùm in Aqua sed etiam in Spiritu Sancto, secundùm illud Joan. 3.* „ Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei„: *Unde illis, qui tantùm in Aqua baptizati erant Baptismo Joannis, non solùm erat supplendum quod deerat (ut scilicet daretur eis Spiritus Sanctus per impositionem manuum) sed erant iteratò totaliter baptizandi.* Ita S. Thomas. Unde Augustinus Tract. 5. in Joan. *Qui baptizati sunt*, inquit, *à Joanne, non eis suffecit: baptizati sunt enim Baptismo Christi, quia non Baptismus Christi erat Baptismus Joannis.*

XXV. Sed dices, quòd Act. 19. baptizati à Joanne, fuerint à Paulo rursùs baptizati Baptismo Christi, fuit, quia interrogati, an Spiritum Sanctum accepissent credentes? responderunt: *Neque si Spiritus Sanctus est, audivimus.* Ergo si confessi essent, se accepisse per fidem Spiritum Sanctum, dum Joannis Ba-

Baptiſmum ſuſceperant, eos Paulus iterum non baptizaſſet Baptiſmo Chriſti.

Reſpondet S. Thomas ar. 6. citato ad 4. *Quod non eſt tota cauſa, quare illi fuerunt baptizati poſt Baptiſmum Joannis, quia Spiritum Sanctum non cognoverant, ſed quia non erant Baptiſmo Chriſti baptizati.* Eos ergo baptizavit Paulus Baptiſmo Chriſti, non quia dixerunt, ſe non credidiſſe in Spiritum Sanctum, nec de eo audiviſſe (ut enim dicit idem S. Thomas in 4. diſt. 2. q. 2. ar. 4. ad 2. *Inſufficientia fidei non poſſet eſſe cauſa, quare aliqui baptizarentur, ſed quare inſtruendi eſſent, ſicut & nunc fit*), ſed quia dixerunt, ſe baptizatos fuiſſe Baptiſmo Joannis, & non in Nomine Jeſu. Unde ſubditur: *His auditis, baptizati ſunt in Nomine Domini Jeſu.* Qui de hoc plura videre voluerit adeat, quæ ſupra me dixiſſe indicavi tom. 2. in 3. p. Tract. de Bapt. q. 1. dub. 1. §. 2. & 3. Superfluum enim eſſet hìc eadem reperire.

CAPUT XVII.

De ſuſcepto à Chriſto Baptiſmate.

§. I.

Cur Chriſtus Baptiſma ſuſceperit, & quale.

I. JOANNE baptizante, & ad ejus Baptiſmum Populo confluente, ſcribit Matthæus cap. 3. à v. 13. *Tunc venit Jeſus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum dicens: ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens autem Jeſus dixit ei: Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Tunc dimiſit eum. Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de Aqua.* Hic ergo quæritur, cur voluerit Chriſtus baptizari, & quali Baptiſmo fuerit baptizatus.

II. Circa primum S. Thomas 3. p. q. 39. ar. 1. varias tradit ex Patribus rationes, cur voluerit Chriſtus baptizari, primò ex Ambroſio lib. 2. in cap. 3. Lucæ *Baptizatus eſt Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, Baptiſmatis jus haberent. Et ideò qui ad Chriſti lavacrum venerit, peccata deponit.* Nam ut ait S. Chryſoſtomus Homil. 2. in Joann. *Nunquam Aqua Baptiſmi purgare peccata credentium poſſet, niſi tactu Dominici corporis fuiſſet ſanctificata.* Tunc ergo Aqua accepit ſanctificandi vim, ut in Nomine Chri-

Christi ablueret à sorde peccati: & ideò sentit S. Thomas, ut suo loco ostendi, quòd tunc Christus suum Baptisma instituit, dando Baptismo Joannis, quod ei deerat.

Secundò, ut eo humilitatis exemplo nos hortaretur ab Baptisma suscipiendum: *Quid enim* (inquit Ambrosius in Lucam loco citato) *tam Divinum ad Populos provocandos, quàm ut nemo refugiat lavacrum Gratiæ, quando Christus lavacrum Pœnitentiæ non refugit? Nemo se dicat exsortem esse peccati, quando Christus venit ad remedium peccatorum. Si pro nobis Christus lavit, imò nos in Corpore suo lavit, quantò magis nos nostra delicta lavare debemus?*

Hinc tertiò baptizari voluit, ut ad ita faciendum nos provocaret. Et ideò ipse Matth. 3. dicit: *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*; Nam ut ibidem dicit Ambrosius: *Quæ est justitia, nisi ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo? Quæ est justitia, nisi ut quia carnem suscepit, non quasi Deus sensum aut ministerium carnis excluderet, sed quasi homo carnem vinceret, ut vincere me doceret?*

III. Totum hoc expressit S. Bernardus serm. 1. de Epiphania his verbis: *Baptizari vis Domine Jesu? Ad quid enim, aut quid tibi opus fuit Baptismate? Nunquid sano opus est medicinâ, ac mundatione mundo? unde tibi peccatum, ut Baptisma sit necessarium? Numquid à Patre? at Patrem quidem habes sed Deum, & æqualis es illi Deus de Deo, lumen de lumine: nam in Deum peccatum cadere non posse, quis nescit? An verò ex Matre? nam & Matrem habes, sed Virgo est: quod ergo peccatum ex ea trahere potuisti, quæ te sine iniquitate concepit, salvâ integritate peperit? quam maculam habere potes sine macula?* „ Ego, *inquit Joannes* à te debeo baptizari, & tu venis ad me? „ *Magna utraque humilitas, sed nulla comparatio; quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo?* „ Sine modò (*inquit Dominus*) decet enim sic nos implere omnem justitiam „ . . . *Acquievit Joannes, & obedivit: baptizavit Agnum Dei, & aquas lavit. Nos abluti sumus, non ille, quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ.* Et antea Nazianzenus Orat. 39. in sancta lumina dixerat: *Baptizat Joannes: Jesus accedit: fortasse ut ipsum quoque, à quo baptizatur, sanctitate afficiat, procul dubio autem ut totum veterem Adam in aquis sepeliat.*

IV. Ex his concluditur cum S. Thoma ibidem ad primum; *quòd Christus non fuit baptizatus, ut ablueretur, sed ut ablueret.* Rursùs ex eodem ad secundum: *Quòd Christus non solùm debebat implere ea, quæ erant Veteris Legis; sed etiam inchoare ea, quæ sunt Novæ Legis: & ideò non solùm voluit circumcidi, sed etiam*

baptizari. Neque ex eo quòd erat primum baptizans, sequitur non potuisse baptizari, sicut nec primum alterans potest alterari. Nam ut dicit S. Thomas ibidem ad tertium: *Christus est primum baptizans spiritualiter; & sic non est baptizatus, sed solùm in Aqua.*

V. Quali autem Baptismo fuerit Christus baptizatus, an scilicet suo an Joannis; respondet S. Thomas 3.p. q.39. ar.2. baptizatum fuisse Baptismo Joannis; & probat primo ex Augustino Tract.13. in Joan. dicente: *Baptizatus Dominus baptizabat, non eo Baptismate, quo baptizatus est.* Unde cum ipse baptizaret Baptismo proprio, consequens est, quòd non fuerit baptizatus suo Baptismate, sed Joannis. Hoc autem fuisse conveniens, docet S. Thomas primò: *Propter conditionem Baptismi Joannis, qui non baptizavit in Spiritu, sed solùm in Aqua. Christus autem spirituali Baptismate non indigebat, qui à principio suæ conceptionis Gratiâ Spiritus Sancti repletus fuit.* Et hæc est ratio Auctoris Oper. Imperf. in Matth. sub nomine Chrysostomi Hom.4. *Secundò, ut Beda dicit* cap.4. in Marcum „ baptizatus est Baptismo Joannis, ut Baptismo suo Baptismum Joannis comprobaret „ *Tertiò, sicut Gregorius Nazianz. dicit Orat.39.* „ Accedit Christus ad Baptismum Joannis sanctificaturus Baptismum „. Ita S. Thomas: cui addi potest ex August. Tract.5. in Joan., hoc voluisse Christum, ut suos redderet promtiores ad suscipiendum Baptismum suum: *Sic enim cognoscunt servi, quanta alacritate debeant currere ad Baptismum Domini; quando ipse non dedignatus est suscipere Baptismum servi.*

VI. Nec obest, quòd Baptismus Joannis fuerit Baptismus Pœnitentiæ, quâ Christus non indigebat. Nam ut docet S. Thomas ibidem ad primum: *Christus baptizari voluit, ut nos exemplo suo induceret ad Baptismum. Et ideò ad hoc ut esset efficacior ejus inductio, voluit baptizari Baptismo, quo manifestè non indigebat, ut homines ad Baptismum accederent, quo indigebant; unde Ambrosius dicit super Lucam cap.3.* „ Nemo refugiat lavacrum Gratiæ, quando Christus lavacrum Pœnitentiæ non refugit „.

VII. Neque de hoc est dubitandum, cùm Matthæus id apertè dicat cap.3. verf.13. *Tunc venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo*, Baptismate nimirùm, quo Joannes baptizabat. Unde S. Hieronymus in hunc locum ait: *Triplicem ob causam Salvator à Joanne accepit Baptismum. Primùm, ut quia homo natus erat, omnem justitiam & humilitatem Legis impleret. Secundò, ut Baptismate suo Joannis Baptisma comprobaret. Tertiò, ut Jordanis Aquas sanctificans, per de-*

scen-

scensionem Columbæ, Spiritus Sancti in lavacro credentium monstraret adventum: tunc enim Aquæ vim sanctificandi accepere, & tunc aliqualiter cœpit Baptismus Christi.

§. II.

De Tempore, & Loco, in quo Christus baptizatus fuit.

VIII. NOmine temporis, quo baptizatus est Christus, venire potest Annus Mensis ac Dies, & rursùs Annus sive seculi sive ætatis ejus. In quo utroque assignando cùm dissentiant Critici, tot enascuntur scrupuli, ut ferè nihil certi statui posse videatur.

Videretur posse colligi Annus Seculi, quo baptizatus est Christus, ex Anno Imperii Tiberii Cæsaris. Cùm enim dicat Lucas c. 3. v. 1., quòd Joannes Baptista prædicare cœpit *Anno Quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris*; & non multò post eodem Capite referat Christum jam baptizatum, videtur non multum temporis intercessisse inter initium Prædicationis Joannis, & Baptizationis Christi: maximè quia cùm Joannes baptizato Christo prosecutus sit alios baptizare, videtur Christum baptizasse non in fine, sed paulò post initium, vel saltem in medio suæ prædicationis.

IX. Sed cùm Lucas, sive alius Evangelista, nullo verbo expresserit, Baptismum Christi contigisse eodem Anno 15. Imperii Tiberii, aut fortè sequenti: & cùm Christus ad Joannem non accesserit, antequam hic paraset ei plebem perfectam, in quo perficiendo quantum temporis insumserit, nullibi scriptum legimus; ideò dubitatio non cessat, imo augetur magis. Nam cùm duplex annus in Imperio Tiberii distingui soleat, unus Imperii Augustalis seu Augustæi, qui incœpit ab Augusti morte, quando solus Tiberius rerum potiri cœpit; alter Proconsularis, qui tunc cœpit, quando Tiberius cum Augusto communiter cœpit administrare, in cujus Epocha assignanda dissidium est, volentibus quibusdam, ejus initium à biennio ante Augusti mortem, aliis à triennio, aliis à quadriennio repetendam esse; propterea incertum relinquitur, an Lucas locutus sit de anno quinto decimo Imperii Augustalis Tiberii, an verò Proconsularis, & hoc dato, à quo anno ejus Imperii initium sumendum sit: ex quo etiam sequitur, incertum esse annum ætatis, quo Christus baptizatus fuit.

X. Censeo tamen, probabiliorem, ac S. Lucæ Evangelio,

necnon Traditioni Ecclesiæ magis consonam esse sententiam, quam inter ceteros sequitur Graveson de Myst. & ann. Christi Dissert. 10. nimirùm Christum fuisse baptizatum anno ætatis suæ incipiente trigesimo, anno decimosexto Imperii Tiberii, hoc est anno vigesimo sexto Æræ vulgaris (quæ, ut notant Chronologi, quatuor fermè annos post Christi Nativitatem inchoat) id primò indicant verba Lucæ cap. 3. *Cùm autem baptizaretur omnis Populus, & Jesu baptizato & orante, apertum est cœlum ... Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Hæc postrema verba nostram sententiam Evangelio consonam produnt; nam si Christus, cùm baptizatus fuit, *erat incipiens quasi annorum triginta*: ergo quando accessit ad Baptismum trigesimum annum non expleverat, & multò minùs trigesimum tertium, ut alii volunt.

XI. Scio, Adversarios responsuros primò, verba illa Lucæ *Et Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*, referri non ad annum ætatis Christi, quo accessit ad Baptismum, sed ad Ministerium Christi, quasi tunc inciperet palam prodire, & manifestari tanquam Messias. Secundò illam particulam *Quasi* non esse semper diminutivam aut designativam, sed interdum permittere aliquid addendi libertatem: sicut licet apud Matth. cap. 17., & apud Marcum cap. 9. legatur, Christum *post dies sex* ab institutoformone esse transfiguratum, Lucas tamen cap. 9. refert id factum *post dies octo*.

XII. Sed prima responsio eos non juvat; tum quia Lucas illud verbum *erat incipiens* profert post hæc alia: *Et Jesu baptizato & orante*: loquitur ergo de ætate, qua fuit baptizatus, non de ea, qua cœpit ministerium. Deinde cùm ex Matthæo Marco & Luca constet, Christum suæ prædicationis ministerio vacare cœpisse eo dumtaxat anno, quo à Joanne in Jordane baptizatus fuit, si fatentibus ipsis Adversariis, ineunte tantùm anno ætatis suæ trigesimo prædicationis ministerium exorsus est, sequitur, illo eodem anno fuisse baptizatum.

Secunda autem responsio minùs eis favet; quis enim non videt, quantum violentiæ inferat verbis Lucæ? Quidquid enim sit, an particula *Quasi* interdum relinquat extendendi libertatem, non eam tamen relinquit in casu præsenti, ubi conjungitur cum particula *incipiens*. Quis enim mediocriter intelligens, audiens hæc verba *Erat incipiens quasi annorum triginta*, putabit, sibi relictam libertatem ad annos ultra triginta ea verba extendendi?

XIII. Confirmant hanc sententiam Concilia, & Patres: Concilium Neocæsariense anno 314. celebratum Can. 12. sanxit:

ait, *Ut nullus ordinetur Presbyter ante annos triginta, etiamsi fuerit homo valde dignus, quia Dominus Jesus Christus in anno trigesimo & baptizatus est, & cæpit docere.* Ex Patribus idem sentiunt Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judæo, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Irænæus lib. 2. adversùs hæres. cap. 22. (aliàs 39.), Eusebius Cæsariensis lib. 1. Hist. 10., Hieronymus in cap. 1. Ezechiel, ubi ait, quòd illis verbis Ezechielis *Et factum est in tricesimo anno* secundùm anagogem præfiguratur Dominus atque Salvator, qui triginta annos natus venit ad Baptismum, quæ in homine perfecta ætas est: & repetit inferiùs, ostendens, mense Januario hoc fuisse, de quo suo loco statim sermo erit. Item Augustinus lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 28. de Christo ait: *Et annorum quidem ferè triginta baptizatum esse, retinemus auctoritate Evangelicæ.* Christum ergo anno ætatis ferè trigesimo baptizatum fuisse, Augustini ætate auctoritate Evangelicâ certum tenebatur.

XIV. Subscribit S. Thomas 3. p. q. 39. ar. 3., ubi allato testimonio Lucæ 3., dicit, quòd Christus convenienter fuit in trigesimo anno baptizatus, tribus rationibus, quarum potissima est: Quia Christus baptizabatur, quasi ex tunc incipiens docere & prædicare; ad quod requiritur perfecta ætas, qualis est triginta annorum. Unde legitur Gen. 41., quòd triginta annorum erat Joseph, quando accepit regimen Ægypti. Similiter etiam 2. Reg. 5. legitur de David, quòd triginta annorum erat, cum regnare cœpisset. Ezechiel etiam in trigesimo anno cœpit prophetizare, ut habetur Ezechiel primò. Hæc pace eorum, qui aliter sentiunt, certa esse judico, quia Evangelio conformia.

XV. Verùm quia supra dixi, Christum baptizatum fuisse anno ætatis suæ trigesimo ineunte, & sexto decimo Imperii Tiberii, dubium non leve emergit, an annus sextus decimus Imperii Tiberii sumendus sit pro anno Augustali, an pro anno Proconsulari. Quidam volunt sumendum esse pro anno Augustali: cum Eusebio enim & aliis volunt, Christum natum esse anno Imperii Augusti quadragesimo primo jam completo & eodem imperante vixisse annis quatuordecim & mensibus aliquot (siquidem Augustus legitur imperasse annis 56.) cui cùm Tiberius statim successerit; anno autem Tiberii quintodecimo Joannes baptizare cœperit, nec multò plus quàm per annum baptizaverit; consequens est, Christum anno trigesimo inchoato fuisse baptizatum, & consequenter circa finem anni sextidecimi Imperii Tiberii: maximè si supponamus cum S. Thoma 3. p. q. 39. ar. 3. ad 4., Christum nec de primis à Joanne baptizatis fuisse, nec de ultimis.

Alii

Alii, inter quos Graveſon citato loco, volunt, annum quintumdecimum Imperii Tiberii fuiſſe annum Proconſularem incipientem, ut ſupra, non à morte Auguſti, ſed ab aſſumto unà cum eo Imperio. Hoc multis probat eruditus Auctor, & ab objectis in contrarium tuetur. Sed quia mens mea non eſt hìc Chronologum agere, ideò ad eum remitto Lectorem, ut eam, quæ ſibi magis arriſerit, opinionem de anno Tiberii amplectatur, dummodo certum habeat, Chriſtum anno trigeſimo inchoato baptizatum fuiſſe.

XVI. Ex dictis facilè colligi poteſt; ab initio prædicationis Joannis ad Baptiſmum Chriſti integrum fermè annum effluxiſſe; & proinde cùm initium prædicationis Joannis anno quintodecimo Tiberii ab Evangelio conſignetur; Baptiſma Chriſti ejuſque prædicationis initium anno 16. Imperii ejuſdem affigendum eſſe. Non enim Chriſtus ad Baptiſmum acceſſit priùs quàm baptizaretur omnis Populus; hoc enim dicit S. Lucas cap. 3. v. 21. *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis Populus, & Jeſu baptizato* &c. Ad baptizandum verò totum Populum vix minùs anno integro opus erat: præcipuè quia Joannes priuſquam baptizaret, ſua prædicatione ad pœnitentiam præparabat. Hoc enim indicavit Paulus Act. 13. v. 24. *Prædicante Joanne ante faciem adventus ejus Baptiſmum Pœnitentiæ omni Populo Iſrael. Cum impleret autem Joannes curſum ſuum* &c. Quibus indicatur, Joannis miniſterium non parvo tempore duraſſe. Accedit etiam, quòd ſi Chriſtus anno decimoquinto Tiberii baptizatus fuiſſet, cùm mortuus fuerit anno decimonono ejuſdem Imperii, ut fert communior ſententia, jam Chriſtus poſt ſuſceptum Baptiſma, non quatuor tantùm, ſed quinque Paſchata celebraſſet: Chriſtus autem, ut ſuo loco ex Scriptura oſtendetur, non quinque, ſed quatuor tantùm Paſchata celebravit poſt Baptiſma. Igitur &c.

XVII. Statuto anno Baptiſmi Chriſti, de Menſe & Die videndum ſupereſt. Juxta perantiquam & conſtantem Sanctorum Patrum ſententiam (ſi unicum excipias Epiphanium in hæreſi *Alogorum*, volentem, Chriſtum fuiſſe baptizatum die 8. Novembris) fuit Chriſtus baptizatus Menſe Januarii, & quidem Die Sexta. Hoc profitetur, & ſingulis annis canit Eccleſia hac eadem die, quæ hac potiſſimum de cauſa ab antiquis *Theophania* dicta eſt, ideſt *Dei Apparitio*, quia hac die triplex Dei Manifeſtatio celebratur, nimirùm Gentilibus Magorum adoratione, Judæis Divina Patris voce Jeſum ſuum Filium eſſe ſtatim poſt Baptiſma conteſtante, & Diſcipulis primo in nuptiis Canæ patrato miraculo. Neque obſtare poteſt durior & aſperior anni tempeſtas, qua-

lis

lis mense Januario esse solet, ne dicatur, tunc Baptisma per immersionem, quale tunc erat in usu, fuisse collatum: qui enim consideraverit Judæam esse regionem temperatissimam, & in ea hiemem clementissimam, omnem super hoc scrupulum deponet. Ceterùm mense Januario revera baptizatum fuisse Christum, testantur Origenes homil. 1. in Ezechiel, Clemens Alexandr. lib. 1. Strom., S. Hieron. in c. 1. Ezech., ubi ait, *Quòd in trigesimo ætatis suæ anno Dominus ad Baptisma venerit in quarto mense, qui apud nos vocatur Januarius, & est in anni primus exordio.* Quo verò ad Diem mensis, Sextam Januarii fuisse, ferè omnes consentiunt; quamvis Clemens Alexandr. citato loco dicat, aliquos Christi Baptisma diei Sextæ, aliquos Decimæ Januarii assignare: universa tamen Ecclesia tam Latina quàm Græca sextam diem Christi Baptismo consecratam celebrat. Imo ut notat Tillemont ad an. Christi 30. ex S. Joan. Chrysostomo, Græci consueverant ea die aquam in ampulla positam ad annum & ultra servare, quin corrumperetur: quod ab ipsismet Hæreticis pro miraculo habetur.

XVIII. Circa Locum, in quo baptizatus est Christus, certum est, eum baptizatum fuisse in Jordanis fluvio. Verùm, cùm S. Joannes cap. 1. v. 28. loquens de Christo à Joanne baptizato dicat *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*, excitatur controversia, quomodo hæc potuerint in Bethania trans Jordanem fieri; Nam Bethania, quæ Marthæ & Magdalenæ Castellum erat, non trans Jordanem, sed cis Jordanem sita erat, juxta Hierosolymam stadiis ferè quindecim, ut legitur Joan. 11. v. 28. Propterea prisci Ecclesiæ Patres, Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Epiphanius, Euthymius, Theophylactus, relicta Vulgata Versione, loco *Bethania* legerunt *Bethabara*, quæ Civitas trans Jordanem est, ad quam Judæi primò venientes ex Ægypto Jordanem trajecere duce Josue: quod Critici aliqui recentiores approbant, volentes, incuriâ Scriptorum mendum in Vulgatam irrepsisse, ponentium *Bethania* pro *Bethabara*. Ex his Calmet in suo Dictionarto V. *Bethabara*. Tamen ut Versioni Vulgatæ debitus honor servetur, dicendum cum aliis, ultra Bethaniam Castellum Marthæ & Magdalenæ, alteram etiam Bethaniam trans Jordanem fuisse, quæ perinde etiam Bethabara diceretur. Utroque autem nomine, ait Serry Exerc. 45., & Bethaniam & Bethabaram Civitatem illam potuisse nuncupari, eò quòd solitus illic Jordanis trajectus esset, paratæque semper illic essent naviculæ, quibus viatores fluvium trajicerent: & consentiunt nomina; nam *Bethania* Hebraicè so-

nat

nat *Locus Navis*, *Bethabara verò Locus Transitus*: vel mysticè Bethania *Domus obedientiæ*, Bethabara *Domus Præparationis*.

XIX. Audiendus est S. Thomas in cap. 1. Joan. Lect. 13. circa finem sic dicens: *Cùm Bethania sit in monte Oliveti, quod est juxta Jerusalem (sicut dicitur Joan. 11. & Matth. 16.) quomodo dicit, quòd facta sunt trans Jordanem, qui multum distabat ab Jerusalem? sed dicendum secundùm Origenem, & Chrysostomum, quòd non debet dici* Bethania, *sed* Bethabara, *quæ est quædam villa ultra Jordanem; & hoc quod dicit* Bethania *corruptum est vitio Scriptorum; sed quia tam Libri Græci quàm Latini habent* Bethania, *ideò dicendum est aliter, quod est duplex Bethania; una, quæ est propè Jerusalem in latere Montis Oliveti; alia trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Quod autem mentionem facit de loco, habet rationem litteralem & mysticam; Litteralem quidem secundùm Chrysostomum, quia Joannes scribebat Evangelium istud, viventibus fortè aliquibus, qui & tempus, quo ista facta sunt, & locum viderant; & ideò ad majorem certitudinem illos testes facit illorum, quæ viderant: Mysticam verò, quia hæc loca conveniunt baptismo. Nam si dicatur* Bethania, *quæ* domus obedientiæ *interpretatur, significat, quòd necesse est per obedientiam Fidei ad baptismum pervenire, Roman. 1.*,, Ad obediendam Fidei in omnibus Gentibus,,: *Si vero dicatur* Bethabara, *quæ interpretatur* Domus præparationis, *significat, quod per Baptismum præparatur homo ad vitam æternam.* Hactenùs S. Thomas.

§. III.

De iis, quæ acciderunt post Baptismum Christi.

XX. DIcit Lucas cap. 3. à v. 21., quòd *Jesu baptizato & oraute apertum est Cœlum; & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum: & vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Tria ergo prodigia Christi Baptismum statim consecuta sunt: primum Apertio Cœli: secundum Descensus Spiritus Sancti sub corporali specie Columbæ in ipsum: tertium Vox æterni Patris audita Christum Filium suum declarantis: de his aliqua dicemus. Porrò in his corrigendus est error Pictorum, qui hæc tria pingunt in actu, quo Christus suscipit Baptismum, cùm reverà teste Luca contigerint Christo jam baptizato, & post Baptismum orante. Nisi fortè excusandi sint, quod hoc faciant, ut videntium oculis repræsentent, hæc immediatè contigisse post Baptismum, quod nisi

nisi simul Baptismum Christi exprimerent, non adeò facilè exhibere possent, sed his dimissis;

XXI. Circa primum, nempè Cœli apertionem, dicit Sanctus Thomas 3.p.q.39.ar.5. Christo baptizato convenienter fuisse Cœlum apertum. Primò, ut ostenderetur, quòd de cetero virtus cœlestis Baptisma sanctificaret. Secundò, ad designandam dispositionem, quæ in baptizandis requiritur, nempè fidem Ecclesiæ, quâ inspiciuntur cœlestia, & quam quisque in Baptismo, qui propterea dicitur Sacramentum Fidei, profiteri debet. Tertiò, quia per Baptismum Christi aperitur nobis introitus regni cœlestis, qui primo homini præclusus fuerat per peccatum. Apertum est autem Christo post Baptismum oranti cœlum, ad ostendendum, quòd post Baptismum necessaria est homini jugis oratio, ad hoc quòd introeat cœlum. Licèt enim per Baptisma deleantur, ac verè remittantur peccata (& non solùm tegantur aut non imputentur, ut Protestantes volunt) remanet tamen fomes peccati nos impugnans interiùs, & Mundus & Dæmones, qui impugnant exteriùs. Vel ut detur intelligi, quòd hoc ipsum, quòd per Baptismum aperitur Cœlum credentibus, est ex virtute orationis Christi. Unde signanter Matth. 3. dicitur, quòd apertum est ei cœlum, idest omnibus propter ipsum: sicut si Imperator alicui pro alio petenti dicat, ecce hoc beneficium non illi do, sed tibi, ideſt, propter te illi; ut Chrysostomus (seu veriùs Auctor Oper. Imperf. super Matth.) Homil.4. dicit. Hæc ex S. Thoma, ex quibus apparet, quòd cùm Matthæus dicit *Cœli aperti sunt ei*, non significat, solum Christum cœlos apertos vidisse, non Joannem, aut alios adstantes, sed *ei*, ideſt, non propter se, cui semper erant aperti, sed aliis propter ipsum.

XXII. Quomodo autem aperti sint cœli, non convenit inter Theologos. Conveniunt tamen, puto, cœlos non fuisse apertos per realem partium continuarum scissionem ac separationem. Nam cœli naturaliter sunt indivisibiles, impassibiles, inalterabiles, quòd autem supernaturaliter hoc factum fuerit, dici non potest, quia nulla fuit necessitas. Aliqui ergo voluerunt, hanc apertionem Cœlorum non fuisse realem, sed apparentem tantùm & imaginariam, qualis fuit apertio Cœlorum, quam vidit Ezechiel. Ita S. Hieronymus in c.1. Ezechiel., & in cap.3. Matth. dicens: *Aperiuntur autem Cœli, non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis, quibus & Ezechiel in principio voluminis sui apertos esse commemorat.* Alii verò hoc referunt etiam ad visionem corporalem (& hoc mihi magis probatur) videlicet, quòd in hoc sensu, baptizato Christo, fuerint cœli aperti, quia subitò

apparuerit in suprema aeris regione claritas magna & insolita ad modum hiatus, ut solet in coruscationibus apparere, quæ claritas subitò perstrinxit omnium adstantium oculos. Quod eo potissimum fine factum est, ut Columba Spiritum Sanctum referens, & vox Patris non aliunde, quàm è cœlis, proficisci viderentur; sicque omnes, qui aderant, in Christum tanquam Filium Dei & verum Messiam crederent. Alias expositiones refert S. Thomas dicto art. 5. ad 2.

XXIII. Si quæras, an similiter intelligendum sit, quod Act. 7. de B. Stephano dicitur, quòd vidit cœlos apertos. Respondent aliqui affirmativè, nempè, quòd & ipse viderit cœlos, vel visione imaginaria, vel, si visione corporali, viderit claritatem per modum hiatus in suprema aeris regione subitò suis oculis affulgentem. Sylvius tamen in hunc art. 5. S. Thomæ 3. p. q. 39. verius judicat negativè respondendum. Stephanus enim vidit cœlos sidereos, & empyreum sibi patens: sic enim canit Ecclesia vidit cœlos apertos, vidit & introivit: introivit autem in cœlum empyreum. Rursùs dixit, se videre Filium Hominis *stantem a dextris Dei*. Christus autem est in suprema sede Empyrei; nec proinde sequitur, cœlos fuisse divisos, seu fractos, sed oculis Stephani factos patentes per hoc, quòd oculi Stephani divinitùs confortati omnes cœlos usque ad Empyreum penetraverint, in quo gloriam Christi hominis viderint: sicut nos per aerem purum & patentem intuemur Solem Lunam & Stellas. Unde S. Gregorius hom. 29. in Evang. relatus à D. Thoma 3. p. q. 58. ar. 1. ad 3. *Sedere*, inquit, *judicantis est, stare verò pugnantis, vel adjuvantis. Stephanus ergo in labore certaminis positus, stantem vidit, quem adjutorem habuit: sed hunc post Ascensionem Marcus sedere describit, quia post Ascensionis suæ gloriam judex in fine videbitur.*

XXIV. Circa secundum, nempè descensum Spiritus Sancti super Christum in specie Columbæ. De hoc agit S. Thomas 3. p. q. 39. ar. 6. ubi ad secundum ex S. August. lib. 2. de Trinit. c. 6. ait: *Spiritus Sanctus descendisse dicitur super Christum corporali specie, sicut Columba, non quia ipsa subsistentia Spiritus Sancti videretur, quæ est invisibilis: neque ita quòd illa visibilis creatura in unitatem Personæ Divinæ assumeretur. Neque enim dicitur, quòd Spiritus Sanctus sit Columba, sicut dicitur, quòd Filius Dei est Homo ratione unionis. Neque etiam hoc modo Spiritus Sanctus visus est in specie Columbæ, sicut Joannes vidit Agnum occisum in Apocalypsi, ut habetur Apoc. 5. Illa enim visio facta fuit in Spiritu per spirituales imagines corporum: de illa verò Columba nemo unquam du-*

dubitavit, quin oculis visa sit. Nec etiam hoc modo in specie Columbæ Spiritus Sanctus apparuit, sicut dicitur 1. *ad Cor.* 10. Petra autem erat Christus: *Illa enim petra jam erat in creatura; & per significationis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat: illa autem Columba ad hoc tantùm significandum repentè extitit, & postea cessavit, sicut flamma, quæ in rubo apparuit Moysi.* Ita S. Thomas.

XXV. Convenienter in specie Columbæ Spiritum Sanctum super Christum descendisse, ostendit idem S. Thomas ar. 6. citato ad quartum quadruplici ratione. Primam petit ex natura Columbæ, quæ est animal simplex, mansuetum, domesticum, astutiâ & dolo carens: unde Matth. cap. 10. dicitur, *Estote simplices sicut Columbæ*, ut ergo designetur dispositio, quæ requiritur in baptizando, ut scilicet semotâ omni fictione cum fidei simplicitate & candore morum ad Baptismum accedat: quia ut dicitur Sapientiæ cap. 2. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum;* propterea Spiritus in Christum baptizatum in specie Columbæ illapsus est.

Alteram rationem sumit ex proprietatibus Columbæ, quibus adumbrantur septem Dona Spiritus Sancti. Nam primò Columba secus fluenta habitat, ut inde viso accipitre mergat se, & evadat, quod pertinet ad donum Sapientiæ, per quam Sancti secùs Scripturæ Divinæ fluenta residunt, ut incursum Diaboli evadant. Secundò Columba meliora grana eligit, quod pertinet ad donum scientiæ, qua Sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt. Tertiò Columba alienos pullos nutrit, quod pertinet ad donum Consilii, quo Sancti eos, qui fuerunt antea alieni, ideſt Diaboli pulli & imitatores, doctrinâ nutriunt & exemplo. Quartò Columba non lacerat rostro, quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas scientias lacerando non pervertunt Hæreticorum more. Quintò, Columba felle caret, quod pertinet ad donum Pietatis, per quam Sancti ab ira & invidia alieni benè precantur de malè precantibus. Sextò, Columba in cavernis petræ nidificat, quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, ideſt suam spem & refugium. Septimò, Columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti delectantur in gemitu pro peccatis, Deumque vindicem amore timent ac reverentur.

Tertiam rationem sumit ex effectu proprio Baptismi, qui est peccatorum remissio & reconciliatio cum Deo: Columba autem est animal mansuetum, & pacis amans, quæ post Diluvium ra-

mum olivæ deferens fuit *Divinæ pacis præco*, ex Tertulliano lib. contra Valentinum, Chryſoſtomo Homil. 12. in Matth., & Hieronymo adversùs Luciferianos dicente: *Emittitur de Arca Corvus, & non rediit: & poſtea pacem terræ Columba nuntiat: ita & in baptiſmate Eccleſiæ teterrimo alite expulſo, ideſt, Diabolo pacem terræ noſtræ Columba Spiritus Sancti nuntiat.*

Quartam demum rationem ſumit S. Thomas ex communi effectu Baptiſmi, qui eſt conſtructio Eccleſiaſticæ unitatis, ad quem ſignificandum Columba aptè aſſumitur, quæ eſt animal amicabile & gregale: de quo S. Cyprianus lib. de Unit. Eccleſiæ ait Cant. 5. dicitur, *Una eſt Columba mea.*

XXVI. Notat tamen S. Thomas ibidem ad primum, quòd Spiritus Sanctus deſcendit ſuper Chriſtum, etſi à ſuæ conceptionis initio Spiritu Sancto repletum, quia, ut ait Auguſtinus l. 15. de Trinit. cap. 26. *Tunc corpus ſuum, ideſt Eccleſiam, præfigurare dignatus eſt, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum Sanctum.* Addi poteſt, triplici aliâ causâ Spiritum Sanctum viſibiliter ſuper Chriſtum deſcendiſſe. Primò propter Joannem, ut hoc indicio Chriſtum dignoſceret, quem ex vultu non noverat, poſſetque de eo teſtimonium perhibere. Secundò, propter Chriſtum, ut hoc Spiritus Sancti illapſu coram omnibus Rex Sacerdos & Propheta, ſeu veriùs Prophetiarum omnium implementum declararetur. Tertiò, ut myſterium Trinitatis, quod in Veteri Lege fuerat obſcuriùs revelatum, initio Novæ Legis manifeſtiùs panderetur.

XXVII. Sed contra primam ex his rationibus objici poteſt. Si Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum viſibiliter deſcendit, ut Joannes, eum eſſe qui venturus erat, dignoſceret: cur Joannes poſt Baptiſmum de eo dubitavit, an eſſet Meſſias, quando miſſus in carcerem, miſit ad Jeſum duos è Diſcipulis ſuis (ut habetur Matth. 11.) ut ei dicerent: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*

Reſpondeo, Joannem, poſtquam Chriſtum baptizavit, pro certo ſemper habuiſſe eum eſſe Meſſiam. Imo & antequam eum baptizaret dignoverat: ut enim dicit Matth. cap. 3. v. 14. dum Chriſtus peteret ab eo baptizari, *prohibebat eum dicens: ego à te debeo baptizari: & tu venis ad me?* Multò ergo magis poſt deſcenſum Spiritus Sancti de hoc certus fuit. Unde Joan. 1. his qui miſſi fuerant ex Phariſæis, ut interrogarent eum, an eſſet Chriſtus, apertè hoc negavit, ſed verum Chriſtum Meſſiam jam veniſſe confeſſus eſt, cujus ipſe non eſſet dignus corrigiam calceamenti ſolvere, & altera die videns Jeſum venientem digito eum mon-

monstravit v.29. dicens *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi*: inde quasi rationem suæ scientiæ afferens v. 32. addit: *Quia vidi Spiritum descendentem quasi Columbam de cœlo, & mansit super eum*. Dum ergo misit duos è Discipulis suis ad Jesum, ut eum interrogarent, an esset Messias, hoc non fecit ad tollendam dubitationem suam, sed dubitationem suorum Discipulorum, quorum aliqui ab eo divelli nolebant; sed adhuc fluctuantes adduci non poterant, ut crederent, Jesum esse verum Messiam. Ex his ergo duos misit ad Jesum, ut visis miraculis, quæ Christus operabatur, & auditâ ejus doctrinâ, dubium deponerent. Joannem non dubitasse, demonstrat encomium, quo Discipulis illis abeuntibus Christus ipse celebravit Joannem, ut videre est apud Matthæum dicto cap.11.

XXVIII. Notat insuper S. Thomas ibidem ad tertium; Quòd quamvis Baptismus Christi fuerit exemplar nostri, non oportet tamen, ut in nostro, sicut in illo descendat Spiritus Sanctus visibiliter. Quia ut docet Chrysost. homil.12. super Matth. *In principiis spiritualium rerum semper sensibiles apparent visiones, propter eos, qui nullam intelligentiam incorporalis naturæ susscipere possunt, ut si postea non fiant, ex his quæ semel facta sunt, recipiant fidem*: quibus S. Thomas subjungit: *Et ideò circa Christum baptizatum corporali specie Spiritus Sanctus visibiliter descendit, ut super omnes baptizatos invisibiliter postea credatur descendere*.

XXIX. Notat 3. idem S. Thomas ad quartum; Quòd ubi Spiritus Sanctus in specie Columbæ descendit super Christum ob rationes superiùs ex eodem allatas, *super Apostolos tamen in specie ignis Spiritus Sanctus descendit, propter duo. Primò quidem ad ostendendum fervorem, quo corda eorum erant commovenda, ad hoc quòd Christum inter pressuras prædicarent; & ideò etiam in igneis linguis apparuit: unde Augustinus dicit super Joan. Tract.6.* Duobus modis ostendit visibiliter Dominus Spiritum Sanctum, scilicet per Columbam super Dominum baptizatum, & per ignem super Discipulos congregatos. Ibi simplicitas, hìc fervor ostenditur. Ergo ne Spiritu sanctificati dolum habeant, in Columba demonstratus est: & ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratus est. Nec te moveat, quia linguæ divisæ sunt: unitatem in Columba cognosce. *Secundò, quia sicut Chrysostomus dicit* (habetur in Cat. Aur. D.Thom. super illud Luc.3. *Jesu baptizato*) cùm oportebat delictis ignoscere, *quod fit in Baptismo*, mansuetudo necessaria erat, quæ demonstratur in Columba: sed ubi adepti sumus gratiam, restat judicii tempus, quod significatur per ignem. Ita S. Thomas.

XXX.

XXX. Controverti ſolet, an Columba, in qua apparuit Spiritus Sanctus, fuerit vera Columba, an ſolùm Columbæ ſpecies ſeu apparentia.

Fuiſſe tantùm ſpeciem & apparentiam Columbæ, tenent multi. Primò, quia Sacri Evangeliſtæ non dicunt, Columbam deſcendiſſe in Chriſtum, ſed Spiritum Sanctum tanquam Columbam, & Syriaca Verſio habet: *Juxta ſimilitudinem corporis Columbæ*. Arabica, *in ſimilitudinem Columbæ*, Æthiopica, *in corpore tanquam in ſpecie Columbæ*. Secundò, quia id videntur docuiſſe Patres, Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 8., Irenæus lib. 3. cap. 14., Juſtinus in Dialog. cum Tryphone, Epiphanius hæreſ. 62., Hilarius in cap. 2. Matth., Ambroſius lib. 1. de Sacram. cap. 5., Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 5., & alii ex Recentioribus.

XXXI. Nihilominùs S. Thomas 3. p. q. 39. ar. 7. verum Columbæ animal fuiſſe, in quo apparuit Spiritus Sanctus, docet ex S. Auguſt. lib. de Agone Chriſt. cap. 22., ubi hæc habet: *Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Jeſum Chriſtum dicamus ſolum verum corpus habuiſſe, Spiritum autem Sanctum fallaciter apparuiſſe oculis hominum. Sed ambo illa corpora vera eſſe credimus. Sicut enim non oportebat, ut homines falleret Filius Dei, ſic non decebat, ut homines falleret Spiritus Sanctus; ſed omnipotenti Deo, qui univerſam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus Columbæ, ſine aliorum Columborum miniſterio figurare, ſicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Matris ſine virili ſemine fabricare; cùm natura corporea & in viſceribus feminæ ad formandum hominem, & in ipſo mundo ad formandam Columbam imperio Domini voluntatique ſerviret.* Ex quibus S. Thomas ita diſcurrit *Sicut non decebat, ut Filius Dei, qui eſt* Veritas Patris, *aliqua fictione uteretur; Et ideò non phantaſticum, ſed verum corpus accepit: & quia Spiritus Sanctus dicitur* Spiritus Veritatis, *ut patet Joan. 6. ideò etiam ipſe veram Columbam formavit, in qua appareret, licèt non aſſumeret ipſam in unitatem perſonæ.*

XXXII. Neque contrarium ſentiunt Scriptura, & Patres: nam ut dicit S. Thomas ibidem ad primum: *Spiritus Sanctus dicitur deſcendiſſe in ſpecie, vel ſimilitudine Columbæ, non ad excludendam veritatem Columbæ, ſed ad oſtendendum, quòd ipſe non apparuit in ſpecie ſuæ ſubſtantiæ.* Vel ad indicandum, quòd Columbam non aſſumſerit in unitatem perſonæ. Hoc diſertè exprimit S. Joannes Chryſoſt. Homil. 12. in Matth. his verbis: *Hominis quidem naturam ſuſcepit Dei Filius, ſed Columbæ naturam non ſuſcepit Spiritus. Proinde non dixit Evangeliſta, Spiritum*

um Sanctum in natura Columbæ, sed in specie Columbæ descendisse. Etiam S. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 6. *Non ergo*, inquit, *sic est assumta creatura, in qua appareret Spiritus Sanctus, sicut assumta est caro illa, & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque enim Columbam beatificavit Spiritus, vel illum flatum vel illum ignem, sibique personæ suæ in unitatem habitumque conjunxit in æternum: ... sed apparuerunt ista, sicut opportunè apparere debuerunt, creaturâ serviente Creatori* &c. Nec veritatem Columbæ ceteri Patres Tertullianus aliique in oppositum citati, si benè inspiciantur, absolutè negant.

XXXIII. Sed dices: cùm Columba illa non advenerit, nisi ut Spiritum Sanctum significaret, & statim præteriret, frustra fuit vera Columba, quia hoc ipsum fieri poterat per Columbæ similitudinem. Deinde labor est in assignando unde illa Columba orta fuerit, à quo moveretur, & in quod fuerit resoluta.

Sed ad primum respondeo cum S. Thoma ad secundum: *Quòd non fuit superfluum formare veram Columbam, ut in ea Spiritus Sanctus appareret; quia per ipsam veritatem Columbæ significatur veritas Spiritus Sancti, & effectuum illius.* Neque est curiosius investigandum, à quo formata, quomodo moveretur, & quid de illa fecerit Deus: sed satis sit nobis scire, quod illâ usus est Deus, ad significandum & visibiliter demonstrandum Spiritum veritatis, & effectus illius, ne similes illis simus, de quibus circa hoc dubitantibus dicit Augustinus lib. 2. de Agone Christiano cap. 22. supra citato: *Sed stulti homines & miseri, quod aut ipsi facere non possunt, aut in vita sua nunquam viderunt, etiam ab omnipotente Deo fieri potuisse non credunt.*

XXXIV. Circa tertium, nempè vocem Patris super Christum baptizatum auditam; Hoc convenienter factum fuisse dicit S. Thomas 3. p. q. 39. ar. 8. *Quia in baptismo Christi, quod est exemplar nostri baptismi, demonstrari debuit, quod in nostro baptismo perficitur. Baptismus autem, quo baptizantur Fideles, consecratur in invocatione & virtute Trinitatis, secundùm illud Matth. ultimo*: Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: *Et ideò* in Baptismo Christi, *ut Hieronymus dicit in Matth. 3.* Mysterium Trinitatis demonstratur. Dominus enim in natura humana baptizatur, Spiritus Sanctus descendit in specie columbæ: Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur: *Et ideò conveniens fuit, in illo baptismo Pater dèclararetur in voce.* Hanc rationem eleganter prosequitur S. Hilarius cap. 2. in Matth. dicens: *Filius Dei auditu conspectuque monstratur, plebique infidæ & Prophetis inobedienti testimonium*

de

de Domino suo mittitur & contemplationis & vocis: ac simul ut ex eis, quæ consummabantur in Christo, cognoscceremus, post aquæ lavacrum, & de cœlestibus portis Sanctum in nos Spiritum involare; & cœlestis nos gloriæ unctione perfundi, & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri? cùm ita dispositi in nos Sacramenti imaginem ipsis rerum effectibus veritas præfiguraverit.

XXXV. Vox etiam ista Patris, quæ omnium adstantium auribus insonuit, conveniens fuit, ad Christo Domino auctoritatem ejusque doctrinæ fidem astruendam. Cùm enim ipse prædicaturus esset, se esse Messiam, Filium Dei missum à Patre in Mundum, ut perditum hominem repararet: quonam firmiori confirmari id poterat testimonio, quàm ipsius Dei Patris id attestantis: *Hic est filius meus dilectus* &c.? Dubitabant multi ex Judæis, quis esset Messias: ipse, an Joannes Lucæ 3. v. 15. *Cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, an forte ipse esset Christus.* Hoc negabat Joannes; sed ut huic dicto major fides conciliaretur, æquum fuit, ut Pater ipse Divinus suâ voce, quis esset Filius suus & Christus, sensibiliter declararet. Hac eadem causâ voluit, ut Joannes nulla dum viveret ederet Miracula. E contra verò voluit, ut Jesus, quem Filium suum in Baptismo pronuntiarat, miraculis inclarescceret, ut his visis Judæi, qui à Joanne ægrè divellebantur, ad Jesum transirent. Quod reverà factum esse legitur Joan. 10. v. 41. *Et multi venerunt ad eum* (ideſt Jesum) *& dicebant: quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant; & multi crediderunt in eum.* Quibus addit S. Thomas citato ar. 8. ad 3. *Divinitas Christi non debuit omnibus in ejus Nativitate manifestari, sed magis occultari in defectibus infantilis ætatis. Sed quando jam pervenit ad perfectam ætatem, in qua oportebat eum docere, & miracula facere, & homines ad se convertere, tunc testimonio Patris erat ejus Divinitas manifestanda, ut ejus doctrina credibilior fieret. Unde & ipse dicit Joan. 5.* Qui misit me, Pater, ipse testimonium perhibet de me: *Et hoc præcipuè in baptismo, per quem homines renascuntur in filios Dei adoptivos: Filii autem Dei adoptivi instituuntur ad similitudinem filii naturalis, secundùm illud Rom. 8.* Quos præscivit, hos & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui.

XXXVI. Hisce autem verbis Christum esse Filium suum naturalem & unigenitum, ac proinde verum Deum per naturam, non per adoptionem, abundè Pater testatus est. Ut enim Joan. 3. v. 35. Joannes ipse loquitur: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus.* Super quæ S. August. Tract. 14. in Joan. ait: *Adjecit*

cit, omnià dedit in manu ejus : *ut nosset & hic, qua distinctione dictum sit*, Pater diligit filium : *Quare enim ? Pater non diligit Joannem ? Et tamen non omnia dedit in manu ejus. Pater non diligit Paulum ? & tamen non omnia dedit in manu ejus* : Pater diligit filium : *sed quomodo Pater filium, non quomodo Dominus servum : quomodo unicum, non quomodo adoptatum. Itaque* omnia dedit in manu ejus. *Quid est* omnia ? *ut tantus sit Filius quantus est Pater. Ad æqualitatem enim sibi genuit eum, cui rapina non esset in forma Dei esse æqualem Deo* : Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus : *Ergo cùm ad nos dignatus est mittere Filium, non putemus aliquid minus nobis missum, quàm est Pater. Pater mittens filium, se alterum misit*. Ita S. Augustinus : hoc igitur unico Patris testimonio adstruitur Christi Divinitas contra Arianos & Socinianos nostro tempore redivivos, ejusque Filiatio naturalis, non adoptiva adversùs Episcopos Felicem Urgelitanum, & Elipandum Toletanum, oppositum tenentes.

XXXVII. Quæri hìc solet, an Christus susceptò à Joanne baptismate, Joannem vicissim Baptismo suo baptizarit.

Putant aliqui, Christum à Joanne Aqua baptizatum postea Joannem baptizasse Baptismo in Spiritu ; quod se colligere autumant ex Matth. cap. 3. ubi, cùm Joannes se à baptizando Jesum excusaret, dicens : *Ego à te debeo baptizari : & tu venis ad me ?* Christus reposuit *sine modò : sic enim decet, implere nos omnem justitiam*, ac si diceret ; sine, me modò à te baptizari : tu enim postea à me baptizaberis, & sic implebitur omnis justitia : & afferunt Patres : Gregorium Nazianzenum Orat. 39. ad illa verba *sine nunc* dicentem : *Hoc enim certo consilio & dispensatione : sciebat namque paulò post futurum, ut ipse Baptistam baptizaret* : Item Chrysostomum Homil. 12. in Matth., August. serm. modo 292., Hieronymum in cap. 3. Matth., Theophylactum, Euthymium, Auctorem Oper. Imperf. in Matth. & alios.

Verùm hoc assertum esse valdè dubium, loquendo de Baptismo non in solo Spiritu sed in aqua, censet S. Thomas 3. p. q. 38. ar. 6. ad 3., ubi hanc opinionem referens, ait : *Sicut Chrysostomus dicit* (seu veriùs Auctor Op. Imperf. in Matth. hom. 4.) *per hoc quòd Christus Joanni dicenti* : ego à te debeo baptizari, *respondit*, sine modò, *ostenditur quòd postea Christus baptizavit Joannem : & hoc dicit, in quibusdam libris Apocryphis manifestè scriptum esse. Certum tamen est, ut Hieronymus dicit super Matth. cap. 3. quòd sicut Christus fuit baptizatus in aqua à Joanne : ita Joannes à Christo erat in Spiritu baptizandus* : hæc S. Thomas. Loqui autem S. Hieronymum de Baptismo in Spiritu solo appa-

ret ex modo, quo se explicat: ait enim: Sine modò: *Ut ostenderet, Christum in aqua, Joannem à Christo in Spiritu baptizandum: sive aliter*, sine modò: *ut qui servi formam assumsi, expleam, & humilitatem ejus. Alioquin scito, te in die judicii meo esse baptismate baptizandum*: sine modò *dicit Dominus Jesus: habeo & aliud baptisma, quo baptizandus sum. Tu me baptizas in aqua: ut ego te baptizem pro me in sanguine tuo.* Loquitur ergo Hieronymus de Baptismo in solo spiritu. Et in hoc eodem sensu explicandi sunt ceteri Patres, nimirùm de solâ Spiritus & Gratiæ effusione, ut Scriptura loquitur Act. 1. v. 5., & c. 11. v. 16. Accedit, quòd Joannes etiam post baptizatum Christum prosecutus est baptizare Baptismo suo: si autem ipse baptizatus fuisset Baptismo Christi, debuisset cessare statim à Baptismo suo, & baptizare Baptismo Christi, quem ipse jam susceperat. Hoc autem Joannes non fecit, imo Discipuli ejus videntes, quòd Christus per discipulos suos suo Baptismo baptizaret, murmurabant dicentes Jo. 3. v. 26. *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Non murmurassent autem, si novissent, Magistrum suum Baptismum Christi suscepisse, & eo baptizare cœpisse, sicut discipuli Christi baptizabant. Hæc sunt, quæ incertum relinquunt Joannem à Christo baptizatum fuisse.

XXXVIII. Quæri etiam solet, an Christus suis manibus aliquem alium baptizaverit.

Si litteram Evangelii Joannis c. 4. v. 2. inspicimus, ibi legimus: *Quamquam Christus non baptizaret, sed Discipuli ejus.* Si autem hoc ministerium per se aliquando exercuisset, verisimile est, id Apostolos fuisse expresturos, nec Paulum dicturum 1. ad Cor. 1. v. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Hoc tamen probat quidem, Christum quasi ex officio non vacasse baptizationi, sed hanc commisisse exercendam discipulis, non tamen neminem prorsùs unquam fuisse à Christo baptizatum, sicut Paulus, licèt dicat, se non esse missum ad baptizandum, sed ad prædicandum, fatetur tamen ibi v. 16. se baptizasse Stephanæ domum. Propterea volunt aliqui, Christum suis manibus baptizasse Deiparam, & Apostolos vel saltem eorum Caput Petrum. Et insuper dici potest, quòd etsi Christus initio prædicationis, de quo citato loco Joannes loquitur, per se non baptizaret, non sequitur tamen, quòd processu temporis id nunquam fecerit. Qui sentiunt, B. Virginem fuisse à Christo ipso baptizatam, moventur auctoritate Euthymii in cap. 3. Joannis; qui verò à Christo Apostolos, vel saltem Petrum hoc privilegio

or-

ornant, moventur Epistola quadam (S. Evodio in Antiochena Ecclesia S. Petri successori, ut volunt Critici, suppositа) ut legitur apud Nicephorum lib. 2. cap. 23., & ex Clemente Alexandrino apud Sophronium in Prato spirituali cap. 176., & extat in Biblioth. Patrum.

XXXIX. Huic opinioni adhærerem, si eam solidioribus fundamentis innixam viderem. B. Virginem, & Apostolos baptizatos fuisse Baptismo Christi certum est, sed an Christi manibus, incertum. S. Augustinus Epist. 108. modò 265. ait: *Utrumque autem de Domino scriptum est, & quia* baptizabat plures, quàm Joannes: *Et quia* ipse non baptizabat, sed Discipuli ejus, *ut intelligeremus, & ipsum quidem baptizasse præsentiâ majestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis. Ipsius erat baptismi Sacramentum, ad Discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat.* Et infra: *Tunc ergo quando ab Hierosolymis exiit cum discipulis suis in Judæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat, non per se ipsum, sed per Discipulos suos, quos intelligimus jam fuisse baptizatos, sive Baptismo Joannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive, quod magis credibile est, Baptismo Christi.* Eodem modo loquitur S. Thomas in cap. 4. Joann. Lect. 1. dicens: *Ipse Christus baptizabat, & non baptizabat: baptizabat quidem, quia ipse mundabat interiùs, sed non baptizabat, quia ipse non tingebat aquâ exteriùs.* Christum aliquando etiam exteriùs baptizasse videtur inferiùs indicare, dum subjungit: *Per hoc autem quòd Christus non semper baptizavit, dat nobis exemplum, quòd majores Ecclesiarum Prælati, in his, quæ per alios fieri possunt, non occupentur, sed ea minoribus facienda relinquant; 1. Cor. 1.* Non enim misit me Christus baptizare &c. Quòd si Christus *non semper* baptizavit, videtur aliquando baptizasse: sicut Majores Ecclesiarum Prælati, estò non semper baptizandi munus exerceant, aliquando tamen, ut Paulus, illud exercent, quod olim in Sabbatis Paschæ & Pentecostes faciebant. Sed dato quod Christus aliquando exteriùs baptizaverit, supereset alia quæstio, nimirùm sub qua forma baptizaret, an scilicet in Nomine suo dicendo *Ego te baptizo in Nomine meo*: An in Nomine Trinitatis dicendo *Ego te baptizo in Nomine Patris, & mei* (idest *Filii*) *& Spiritus Sancti*; Quam quæstionem cui placuerit relinquo decidendam.

Ego enim ab Augustino Tract. 15. in Joan. & Angelico Magistro non abscedens concludam: *Utrumque verum est, quia & Jesus baptizabat, & non baptizabat: baptizabat enim, quia ipse mundabat: non baptizabat, quia ipse non tingebat: præbebant discipuli ministerium corporis: præbebat ille adjutorium majestatis.*

Quando enim cessaret à baptizando, quamdiù non cessat à mundando? De quo dictum est ab eodem Joanne, per Joannis Baptistæ personam dicentis, hic est, qui baptizat: *Ergo Jesus adhuc baptizat, & quousque baptizandi sumus, Jesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum, habet enim superiorem magistrum.* Ne autem quis diceret, Christum baptizare Baptismo Spiritus, sed non aquæ, allato Pauli textu ad Ephes. 5. v. 25. de Ecclesia dicentis: *Mundans eam lavacro in Verbo*, subjungit *mundans eam. Unde? Lavacro aquæ in Verbo. Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquæ in Verbo. Tolle aquam, non est Baptismus: tolle Verbum, non est Baptismus.*

Supereset inquirendum. Cùm Christus anno ætatis suæ trigesimo, & non ante ad Baptismum accesserit, cur Ecclesia in hoc Christi exemplum non imitata, vult, omnes cujuscumque ætatis, etiam infantilis, baptizari? Sed hanc quæstionem resolvi tom. 2. in 3. p. de Baptismo q. 5. dub. 2. §. 2., & dub. 3. & ideò ad ibi dicta studiosum remitto.

CAPUT XVIII.

De Christo in Desertum secedente, & ejus tentatione.

§. I.

De Spiritu, à quo ductus fuit: & convenientia tentationis.

I. EXPOSITIS iis, quæ in Christi Baptismo contigerunt, statim S. Matthæus prosequitur cap. 4. v. 1. *Tunc ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Primò ergo quæram, à quo Spiritu ductus fuerit Christus in desertum, bono scilicet, an malo. Deinde, an convenienus fuerit ipsum tentari à Diabolo.

II. Primò. De Spiritu, quo Jesus excitatus fuit, ut iret in desertum, & Diabolo tentatori occurreret, certum est, fuisse Spiritum suum, nempè Spiritum Sanctum, non Spiritum malum. In hoc conveniunt Patres. Hieronymus in cap. 4. Matth. *Haud dubium*, inquit, *quin à Spiritu Sancto: sequitur enim*, ut tentaretur à Diabolo. *Ducitur autem, non invitus aut captus, sed voluntate pugnandi.* Hilarius cap. 3. in Matth. *Quòd in desertum ductus est, significatur libertas Spiritus Sancti, hominem suum jam Diabolo offerentis, & permittentis tentandi & assumendi occasionem,*

nem, quam non nisi datam tentator habuisset. Ambrosius lib.4. in Lucam: *Plenus igitur Jesus Spiritu Sancto agitur in desertum, consilio, ut Diabolum provocaret. Nam nisi ille certasset, non mihi iste vicisset.* Idem asserit Chrysostomus Homil.13. in Matth. infra referendus, Gregorius Homil.16. in Evang. ceterique Patres. Et meritò nam hæc vox *Spiritus*, dum in Scriptura absolutè profertur, licèt non semper sumatur pro Spiritu Dei: attamen cùm de illis sermo est, apud quos est Spiritus Sanctus, pro Spiritu Sancto accipitur: unde Athanasius Epist.1. ad Serapionem, licèt contendat contra Arianos, Spiritum Sanctum in Scripturis non dici simpliciter Spiritum, sed cum addito puta *Sanctus*, vel *Dei*, vel Patris aut Filii; subdit: *Ex hac tamen regula eos velim excipi, qui cùm Spiritum Sanctum jam accepissent, de iisdem sit postea iterum mentio, vel qui cùm priùs quid de Spiritu Sancto credendum sit didicerint, deinde repetitionis & commonitionis ergo meră voce Spiritus prolată, quis ille intelligendus sit, non ignorant.* Cùm ergo de Christo in antecedentibus dixerit Evangelista, quòd Spiritus Sanctus in specie Columbæ descenderit super eum; cùm deinde subdit: *Ductus est Jesus in desertum à Spiritu*, clarum est, eum loqui de Spiritu, qui in eum descenderat, nempè, de Spiritu Sancto. Accedit, quòd si Spiritus non Dei, sed Diaboli duxisset Christum in desertum, non dixisset Evangelista Matthæus: *Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo, sed duxit eum Spiritus aut Diabolus, ut tentaret eum*: Illa igitur contrapositio Spiritus & Diaboli indicat, eum non fuisse ductum à Diabolo, sed à Spiritu Sancto.

III. Ductus est ergo Jesus à Spiritu Sancto, non ví aliquâ, aut violentiâ abreptus, sed suâ liberâ voluntate motâ à Spiritu Sancto, à quo, sicut in omni sua actione, ut homo ducebatur. Unde Cyprianus (seu quisquis sit Auctor Libri de Jejunio, & tentationibus) ait: *Igitur Desertum Christus ingreditur: ibi suo, ideſt Spiritu Sancto, Duce & Comite conversatur.* Dicitur autem ductus in desertum, *ut tentaretur à Diabolo*, non quia tentationes ipse expetierit aut quæsierit: vocula enim *Ut* potest sumi non causaliter, sed consecutivè, ideſt ductus est in desertum, in quo tentandus erat à Diabolo. Etsi autem præscius esset, se ibi fore tentandum à Diabolo, præscius tamen quoque erat, se de illo triumphaturum. Potest etiam vox *Ut* sumi causaliter: non ita tamen, ut activa Diaboli tentatio fuerit finis à Spiritu Sancto, vel à Christo intentus, sed ipsa tantum permissio tentationis, ejusque exceptio, hoc sensu, *ut tentaretur*, ideſt, eo fine, ut ibi tentationem Diaboli exciperet, ac pateretur, certus de victoria.

Li-

Licuit autem Christo expetere tentari, & tentationis sufferendæ opportunitatem quærere, quia à Spiritu Sancto ducebatur & movebatur: & quia sciebat nullum sibi imminere periculum. Quæ si in aliis hominibus adessent, ut adfuerunt in Martyribus, qui se præsentarunt Tyrannis, & aliquibus sanctis viris, etiam ipsis idem liceret; sed quia non adsunt, non licet.

IV. Rationes autem, quibus voluit Christus tentationes sustinere, quatuor expendit S. Thomas 3.p.q.41. ar.1. Prima est: *Vt nobis contra tentationes auxilium ferret: unde Gregorius dicit Homil.16. in Evang.* Non erat indignum Redemtori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Justum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. *Secundò, propter nostram cautelam, ut nullus, quantumcumque Sanctus, se æstimet securum & immunem à tentatione: unde & post baptismum tentari voluit. Quia sicut Hilarius dicit super Matth. cap.3.* In sanctificatis nobis maximè Diaboli tentamenta grassantur: quia victoria magis est ei exoptata de Sanctis: *Unde Ecclesiastici 2. dicitur*: Fili accedens ad servitutem Dei, Sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Tertiò, propter exemplum, ut scilicet nos instrueret, qualiter Diaboli tentationes vincamus: unde Augustin. dicit in 4. de Trinit. cap.13. quòd* Christus Diabolo se tentandum præbuit, ut ad superandas tentationes ejus mediator esset, non solùm per adjutorium, verùm etiam per exemplum. *Quartò, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur: unde dicitur Hebr.4.* Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Ita S. Thomas.

V. Non displiceat super his audire Chrysostomum Homil. 13. in Matth. ita loquentem. Tunc, *quandonam? Post descensum illum Spiritus Sancti, post vocem illam superne delatam & dicentem*: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: *Quodque mirum est*, à Spiritu Sancto: *Hic enim ipsum adduxit illuc. Quia enim omnia ad docendum nos fecit, & passus est, illuc adduci, & cum Diabolo pugnam committere voluit: ut unusquisque baptizatorum, si post baptismum majores sustineat tentationes, ne turbetur, quasi insperatam rem expertus, sed maneat fortiter omnia ferens, utpote re secundùm rectam seriem accidente. Etenim ideò arma accepisti, non ut otieris, sed ut pugnes: ideo ingruentes tentationes non impedit Deus. Primò quidem ut discas, te multò fortiorem factum: deinde ut moderatè sapias, neque donorum magnitudine extollaris, cùm te tentationes reprimant: ad hæc verò, ut maligmus*

gans ille Dæmon, an abs te discesseris dubitans, tentationum experimento certior fiat, te ipso prorsùs relicto abscessisse. Quartò, ut fortior & ipso ferro solidior sic evadas. Quintò, ut thesauri tibi crediti certum habeas argumentum. Neque enim te invasisset Diabolus, nisi te in majore positum honore vidisset. Hac de causa enim ab initio insurrexit in Adamum, quia multa illum frui videbat dignitate. Ideò & contra Jobum aciem instruxit, quia illum coronatum, & ab universorum Deo celebratum videbat. Et cur dicit, orate, ne intretis in tentationem? *Propterea Jesum non ultrò euntem exhibet, sed adductum secundùm œconomiæ rationem, subindicans, non insiliendum esse. Sed si adducamur, fortiter esse standum.* Hactenùs Chrysostomus.

VI. Propterea impiè, & etiam ineptè ex tentatione Christi suam hæresim tueri conabantur Ebionitæ, Paulus Samosatenus, Photinus, qui nihil in Christo præter hominem esse asserebant, & Ariani, qui Divinâ naturâ eum spoliabant. Ut enim docet S. Thomas ar. 1. citato ad 2. *Christus venerat dissolvere opera Diaboli, non potestativè agendo, sed magis ab eo & ejus membris patiendo, ut sic Diabolum vinceret justitiâ, non potestate. Sicut Augustinus dicit* 13. *de Trinit. cap.* 13., *quòd* Diabolus non potentiâ Dei, sed justitiâ superandus fuit: *Et ideò circa tentationem Christi considerandum est, quid propriâ voluntate fecit, & quid à Diabolo passus fuit. Quòd enim tentatori se offerret, fuit propriæ voluntatis: unde dicitur Matth.* 4. Ductus est Jesus in Desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo: *Quod Gregorius Homil.* 18. *in Evangelia intelligendum dicit de Spiritu Sancto, ut scilicet* illuc eum Spiritus suus duceret, ubi eum ad tentandum Spiritus malignus inveniret: *Sed à Diabolo passus est, ut assumeretur, vel supra pinnaculum Templi, vel etiam in montem excelsum valdè. Nec est mirum, ut Gregorius dicit* (ibidem) si se ab illo permisit in montem duci, qui se permisit à membris ipsius crucifigi: *Intelligitur autem à Diabolo assumtus, non quasi ex necessitate, sed quia, ut Origenes dicit super Lucam* (Homil. 31.) sequebatur eum ad tentationem, quasi athleta sponte procedens. Sed cur præfati Hæretici ex iis, quæ à Dæmone passus est Christus, arguunt, eum fuisse hominem, & non potiùs ex triumpho, quem de Dæmone reportavit, ex Angelis, qui, ut ei ministrarent, accurrerunt, fassi sunt in Christo aliquid præter hominem, & supra hominem fuisse, & hoc ipsum esse Deum?

VII. Hoc Dæmon ipse saltem suspicatus fuit, & ad hoc explorandum suas tentationes direxit. Videbant in illo Dæmones quædam temporalia suæ virtutis effecta: *Ex quibus* (inquit San-

Sanctus Thomas ar. 1. dicto ad primum) *quandam conjecturam habebant, Christum esse Filium Dei: sed quia rursùs in eo quædam signa humanæ infirmitatis videbant, & non pro certo cognoscebant, eum esse Filium Dei: & ideò eum tentare voluerunt. Et hoc significatur Matth. 4. ubi dicitur, quòd* postquam esuriit, accessit tentator ad eum: *Quia, ut Hilarius dicit*, supra Matth. cap. 3. Tentare Christum Diabolus non fuisset ausus, nisi in eo per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis recognosceret: *Et hoc etiam patet ex ipso modo tentandi, cùm dixit* si Filius Dei es, *quod exponens Ambrosius dicit lib. 4. in Luc.* Quid sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognoverat, Dei Filium esse venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat? „ Si ergo vel ipsi Dæmones Christum esse Filium Dei saltem suspicati sunt: nunquid præfati Hæretici, qui gloriam ejus resurrectionis & ascensus in cœlum scriptam legerunt, eum fuisse Filium Dei pertinaciter negantes, Dæmonibus pejores ac obstinatiores erunt?

VIII. Advertit S. Thomas ar. 1. sæpè citato ad tertium, quòd Christus tentari noluit à carne & à mundo, sed solùm à Diabolo: *Quia sicut Apostolus dicit* (*Hebr. 4.*) Christus in omnibus tentari voluit absque peccato: *Tentatio autem, quæ est ab hoste, potest esse sine peccato; quia fit per solam exteriorem suggestionem: tentatio autem, quæ est à carne, non potest esse sine peccato, quia hujusmodi tentatio fit per delectationem & concupiscentiam.* Hisce tamen ultimis verbis, non vult S. Thomas, omnem tentationem carnis esse peccatum: si enim nullus adfuerit consensus voluntatis, nullum erit peccatum ut ipse docuerat 1. 2. q. 74. & manifestum est ex Tridentino Sess. 5. Can. 5. sed intelligit, eam non esse sine peccato, quia licèt ipsa peccatum non sit, ex peccato tamen est, & ex natura per peccatum vitiata, & ad peccatum inclinat, quorum neutrum in Christo erat, utpotè qui fomitem non haberet, & in quo vires inferiores perfectè subjicerentur rationi. Qua ratione nec primi parentes antequam de innocentia laberentur similes tentationes carnis pati poterant, ut 2. 2. q. 165. ar. 2. ad 2. idem S. Doctor affirmat. Eadem ratione tacitè ostendit, Christum non fuisse tentatum à mundo, idest à concupiscentia rerum mundanarum. Vult ergo Christum omnis internæ tentationis ob rationem dictam incapacem fuisse.

***

§. II.

De Loco & Tempore tentationis.

IX. Locus, in quo tentator Diabolus Christum aggressus est, fuit locus desertus: ita enim habetur Matth. 4. *Ductus est Jesus in desertum.* De hoc deserto quærunt aliqui, quodnam fuerit. Fuisse illud idem, in quo Israelitæ per quadraginta annos peregrinati sunt tentantes Deum, & murmurantes contra ejus factam dispensationem, censet Montacutius p. 2. Orig. Eccles. Fuisse idem desertum, in quo Joannes moratus fuisse legitur, putat Maldonatus. Alii tandem, secuti Adricomium & alios Terræ Sanctæ exploratores, existimant, esse desertum inter Jericho & Jerusalem situm, quod propterea dictum fuit *Quarantana* ab hac Christi quadraginta dierum mansione. Sed cùm Evangelium nil aliud dicat, nisi quòd Jesus ductus est *in desertum*; quis nisi divinando, aut vanas formando conjecturas, quidquam potest statuere? Hoc solùm possumus certò asserere: quòd tale erat desertum, ut dicat Marcus cap. 1. v. 13. quòd ibi *Christus erat cum bestiis: ad ostendendum* (ait S. Thomas 3. p. q. 41. ar. 3. ad 2., ex Chrysostomo Homil. 13. in Matth.) *quale erat desertum: quia scilicet erat invium hominibus, & bestiis plenum.*

X. Conveniens fuisse, ut Christus à Diabolo in deserto tentaretur, ostendit S. Thomas 3. p. q. 41. ar. 2. Quia cùm Christus propriâ voluntate se exhibuerit, ut tentaretur, locum solitarium tanquam palæstram magis propriam, & ad quam tentator faciliùs accederet, elegit. Si enim voluntariè non se exponeret, Diabolus ad eum accedere non auderet: *Diabolus autem magis attentat aliquem, cùm est solitarius.* Sic Evam à principio tentavit, cùm esset sola, & à viro sejuncta. Sic Cainum & fratres Joseph in solitudine prostravit. Unde Ecclesiastis 4. v. 10. dicitur: *Væ soli, quia cùm ceciderit non habet sublevantem se.... Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Addit Ambrosius lib. 4. in Luc. Christum triplici ratione Desertum adiisse: *Consilio, ut Diabolum provocaret. Mysterio, ut Adam de exilio liberaret, qui scilicet de Paradiso in Desertum abjectus est. Exemplo, ut ostenderet nobis, Diabolum ad meliora tendentibus invidere.* Ita discurrit S. Thomas.

XI. Neque dicas, hoc fuisse voluntariè se exponere tentationi, sicut accidit Evæ, cùm se à viro sejunxit: cùm ergo ten-

tatio Christi sit nostrum exemplum, & periculosum sit, quòd nos tentationes quæramus, cùm potiùs earum occasiones fugere debeamus, videtur, conveniens non fuisse, ut Christus in desertum abierit, quò accessurum sciebat tentatorem. Respondet enim S. Thomas ibi ad 2. *Quòd duplex est tentationis occasio. Una quidem ex parte hominis; puta, cùm aliquis se peccato propinquum facit, occasiones peccandi non evitans. Et talis occasio tentationis est vitanda, sicut dictum est Loth Gen. 19.* Ne feteris in omni regione circa Sodomam. *Alia verò tentationis occasio est ex parte Diaboli, qui* semper invidet ad meliora tendentibus, *ut Ambrosius dicit. Et talis tentationis occasio non est vitanda.* Imo ex omni opere perfecto, quod ductu Spiritus Sancti eligunt Viri Sancti, occasionem sumit invidia Diaboli eos tentandi, ut ab eo desistant. Unde concludit S. Thomas: *Talem autem occasionem dare Diabolo non est periculosum: quia magis est consilium Spiritus Sancti, qui est perfecti operis Auctor, quàm impugnatio Diaboli invidentis.*

XII. Tempus autem, quod elegit Christus, ut Diabolo tentatori se exhiberet, fuit post quadraginta dierum & totidem noctium jejunium. Ita Matth. cap. 4. v. 2. *Et cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator* &c. Et Lucæ 4. *Agebatur à Spiritu Sancto in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis.* Exprimit autem Matthæus, Christum abstinuisse ab omni cibo etiam quadraginta noctibus, ne aliquis putaret jejunium Christi fuisse, ut jejunium Judæorum, qui postquam tota die ab omni cibo abstinuerant, de nocte post occasum solis comedebant; maximè cùm Lucas dicat: *Nihil manducavit in diebus illis*, quasi aliquid manducaverit de nocte.

XIII. Quomodo autem tot diebus & noctibus absque omni cibo vivere potuerit, mirandum non est, nec curiosiùs inquirendum. Si enim Elias & Moyses totidem diebus & noctibus ab omni cibo & potu abstinentes vivi conservati sunt, cur de Christo est dubitandum? Igitur sine cibo & potu virtute, non quidem naturali, sed supernaturali conservatus est Christus, sicut Moyses & Elias absque omni cibo Exod. 44., & 3. Reg. 19. supernaturali virtute, impediendo actionem caloris naturalis & alterationem, vel alio modo Deo noto. In hoc tamen Moysen & Eliam superavit Christus, quòd illi Divinâ virtute eis extrinsecâ sine cibo & potu toto eo tempore conservati fuerunt: Christus autem propriâ, & intrinsecâ Divina virtute, quâ plenum

num dominium habebat supra corpus suum, ut ea tantùm agere & pati posset, quæ ipse vellet.

XIV. Conveniens fuisse, ut Christus ante tentationes jejunium præmitteret, ostendit S. Thomas 3.p.q.41. ar. 3. *Primò quidem propter exemplum: quia cùm omnibus immineat se contra tentationes tueri, per hoc quòd ipse ante tentationem jejunavit, docuit, quòd per jejunium nos oportet contra tentationes armari: unde inter arma justitiæ Apostolus jejunia connumerat 2. ad Corinth. 6. Secundò, ut ostenderet, quòd etiam jejunantes Diabolus aggreditur ad tentandum, sicut alios, qui bonis operibus vacant. Et ideò sicut post baptismum, ita post jejunium Christus tentatur: unde Chrysostomus dicit super Matth. Homil. 13.* Ut discas, quàm magnum bonum est jejunium, & quale scutum est adversùs Diabolum, & quoniam post Baptismum non lasciviæ, sed jejunio intendere oportet; ideò Christus jejunavit, non jejunio indigens, sed nos instruens. Ita apud S. Thomam Chrysostomus, qui prosequitur: *Quemadmodum si quis ægrotum ad sanitatem ab se reductum jubeat non illa facere, unde morbus illatus est, sic & ille post lavacrum induxit jejunium. Nam & Adamum intemperantia ventris ex paradiso ejecit, & diluvium tempore Noe illa induxit, atque in Sodomitas fulmina immisit.... Ideò & ipse jejunat quadraginta diebus salutis nobis remedia ostendens, neque ulteriùs procedit, ne ob excessum miraculi œconomiæ veritas non crederetur: nunc enim minimè illud timendum: quoniam Moyses & Elias Dei potentiâ fulti ad illam jejunii diuturnitatem pertingere potuerunt. Si autem ulteriùs progressus fuisset, hinc plurimis incredibilis visa fuisset carnis assumtio.*

Quibus ostendit Chrysostomus, Christum in suo jejunio se gessisse ut bonum medicum docendo nos, ne ea faciamus, ex quibus noster morbus enatus est. Et insuper ultra, quàm Moyses & Elias, suum non protraxisse jejunium, ne res sine exemplo veritatem carnis assumtæ revocaret in dubium: *Unde cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit*, ad quæ subdit Chrysostomus: *Occasionem accedendi Diabolo præbens, ut congressus ostenderet, quomodo oporteret superare ac vincere. Sic & athletæ faciunt: nam ut discipulos suos doceant, quomodo vincere oporteat, ultrò cum aliis in palæstra se complicant in adversariorum corporibus spectaculum ipsis exhibentes, ut vincendi modum edisc ant: quod tunc etiam factum est. Quia enim Diabolum volebat ad certamen attrahere, famem notam ipsi fecit, accedentem excepit; exceptumque semel bis & ter, ipsum cum facilitate sibi competente prostravit.* Hæc ex Chrysostomo transcripsi, quia rem hanc mirè exponunt.

XV. Aliam rationem, cur Christus statim post Baptismum jejunaverit, ac vitæ austeritatem assumserit, dat S. Thomas citato ar. 3. ad 1. Quia nimirùm *nullus debet assumere prædicationis officium, nisi priùs fuerit purgatus, & in virtute perfectus, sicut & de Christo dicitur Actuum primo, quòd* cœpit Jesus facere & docere. *Et ideò Christus statim post baptismum austeritatem vitæ assumsit, ut doceret, post carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium transire, secundùm illud Apostoli* 1. *Cor.* 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar „.

§. III.

De Ordine & Modo tentationum.

XVI. COnveniente ordine & modo Christum fuisse à Diabolo tentatum, ostendit S. Thomas 3. p. q. 41. ar. 4. *Nam tentatio, quæ est ab hoste, fit per modum suggestionis: non autem eodem modo potest aliquid omnibus suggeri: sed unicuique suggeritur aliquid ex his, circa quæ est affectus. Et ideò Diabolus hominem spiritualem non statim tentat de gravibus peccatis, sed paulatim à levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat.... Et hoc idem Diabolus observavit in tentatione primi hominis. Nam primò sollicitavit mentem primi hominis de ligni vetiti esu Gen.* 3. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? *Secundò, de inani gloria, cùm dixit* Aperientur oculi vestri. *Tertiò perduxit tentationem ad extremam superbiam, cùm dixit*: Eritis sicut dii, scientes bonum & malum: *Et hunc etiam tentandi ordinem servavit in Christo. Nam primò tentavit ipsum de eo, quod appetunt quantumcumque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturæ per cibum. Secundò processit ad id, in quo spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertiò, perduxit tentationem ad id, quod jam non est spiritualium virorum, sed carnalium, scilicet, ut divitias, & gloriam mundi concupiscant usque ad contemptum Dei. Et ideò in primis duabus tentationibus dixit*, si Filius Dei es, *non autem in tertia, quæ non potest convenire spiritualibus viris, qui sunt per adoptionem Filii Dei, sicut duæ primæ. His autem tentationibus Christus restitit testimoniis legis, non potestate virtutis*, ut hoc ipso & plus hominem honoraret, & adversarium plus puniret; cùm hostis generis humani non quasi à Deo, sed quasi ab homine vinceretur: *Sicut dicit Leo Pa-*

Papa serm.1. de Quadrag. cap.3. Hæc Angelicâ claritate S. Thomas.

XVII. Eodem fermè discursu procedit S. Hilarius cap.3. in Matth. dicens: *Cibo Adam pellexerat, & de Paradisi gloria in peccati locum, ideſt, in regionem vetitæ arboris deduxerat, tertiò Divini Nominis ambitione corruperat, diis futurum similem pollicendo. Igitur adversùs Dominum tota jam seculi potestate pugnatur, & Creatori suo possessio hujus universitatis offertur: ut teneus ordinem fraudis antiquæ, quem neque cibo pellexerat, nec loco moverat, nunc vel ambitione corrumperet.* Harum tentationum ordinem & vafritiem describit etiam Chrysostomus Homil. 13. in Matth.

XVIII. Prima ergo tentatio fuit, ut Christus post quadraginta dierum & noctium jejunium, famem, quâ laborabat, satiaret, lapides vertendo in panem: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Cui Christus restitit, dicens, *Non in solo pane vivit homo.* Hic nascitur dubium. Cur Christus, qui in nuptiis Canæ aquam miraculosè convertit in vinum: qui, ut satiaret turbas, panes multiplicavit: ut suæ fami succurreret, lapides in panem convertere renuit?

Renuit tamen, & meritò. Quamvis enim, ut optimè observat S. Thomas dicto ar.4. ad primum, uti necessariis ad sustentationem vitæ non sit peccatum gulæ, quòd tamen ex desiderio hujus sustentationis homo aliquid inordinatum faciat, ad vitium gulæ pertinere potest. Est autem inordinatum, quòd aliquis, ubi potest recursus haberi ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando, miraculosè sibi cibum quærere velit, & maximè suasore Diabolo, qui proinde putabat, Christum peccare concupiscentiâ carnis, si cùm esset purus Homo, ad subveniendum suæ fami miracula facere attentaret. Providit quidem miraculosè Dominus Israelitis manna, sed in deserto, ubi aliter cibi haberi non poterant. Christus etiam in deserto miraculosè turbas pavit, sed ubi aliunde panes habere non erat possibile. Unde Joan.6. v.5. ait: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Aquam vertit in vinum: sed quia inde præsciebat fidem in discipulis excitandam; quare Joan.2. v.11. dicitur: *Et crediderunt in eum discipuli ejus.* Et ideò de hoc S. Augustin. serm.41. de Verb. Dom., modò serm. 123. c.2. *Qui ergo*, inquit, *tantùm poterat, quare illud non fecit? Lege, imo recole, quod modò audisti, quando fecit hoc, ideſt de aqua vinum: quid addidit Evangelista?* Et crediderunt in eum discipuli ejus: *Numquid tunc Diabolus fuerat creditus?* Cùm ergo ex hoc miraculo conversionis lapidum in panem

nem nulla adfuisset spiritualis utilitas, nulla deinde illud patrandi necessitas: poterat enim Christus aliunde suæ fami providere, sicut & Joannes Baptista fecit, ut legitur Matth. 3. vel ad alia loca properando: sequitur, quòd illud miraculum inordinatè fuisset factum, & Diabolus in hoc de Christo triumphasset.

XIX. De hoc idem S. Augustinus in Psalm. 90. serm. 2. ait: *Post quadraginta dies esurivit. Poterat & numquam esurire: sed quomodo tentaretur? Aut si ille non vinceret tentatorem, quomodo disceres tu cum tentatore pugnare? Esurivit: & jam tentator, dic lapidibus istis, ut panes fiant, si Filius Dei es. Quid magnum erat Domino Jesu Christo de lapidibus panem facere, qui de quinque panibus tot millia saturavit? De nihilo fecit panem.... Quid ergo, fratres, impossibile erat Domino de lapidibus panes facere? Homines fecit de lapidibus, dicente ipso Joanne Baptista: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: quare ergo non fecit? Ut te doceret respondere tentatori, ut si fortè in aliqua angustia positus fueris, & suggesserit tibi tentator, si Christianus esses, & ad Christum pertineres, desereret te modò? Non tibi misisset auxilium?* Et infra: *Si justus esses, nonne tibi per corvum mitteret panem, quomodo misit Eliæ? ubi est quod legisti, numquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem? Tu respondes Diabolo, verum dicit Scriptura, numquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem: habeo enim panem meum, quem tu non nosti. Quem panem? Audi Dominum: non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo Dei. Putasne Verbum Dei non sit panis? si non esset panis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, non diceret, Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Didicisti ergo, quid respondeas tentatori in angustia famis.* Hæc Augustinus in solamen & fiduciam pauperum, quibus, ut dedit Christo, dabit etiam panem, sed non per manus Diaboli.

XX. Victus in prima tentatione Diabolus, non destitit, sed ad secundam processit, in qua spirituales viros non semel decepit, dum illecebrosæ gloriolæ gustu inescati aliqua ad ostentationem operantur. Transtulit ergo Diabolus Christum Hierosolymam, & statuit eum super pinnaculum Templi, & dixit ei: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te* &c. Sed hanc propulsavit Christus, dicens: *Rursùs scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.* Sed cur, inquies, Diabolus, qui ad inanem gloriam provocabat Christum, suasit illi, ut mitteret se deorsum, quod est potiùs signum humilitatis? Respondet S. Thomas citato ar. 4. ad 2. *Quòd per humiliationem exteriorem frequenter quæ-*

quærit aliquis gloriam, qua exaltetur circa spiritualia bona: unde Augustinus dicit lib.2. de Serm. Domini in monte cap.12. Animadvertendum est, non in solo rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam, & eò periculosiorem, quò sub nomine servitutis Dei decipit: *Et ad hoc significandum, Diabolus Christo suasit, ut ad quærendam gloriam spiritualem, corporaliter mitteret se deorsum.* Pinnaculum enim erat fastigium templi in acumen ascendens, seu turris in vestibulo templi. Si ergo Christus ex illo loco sese præcipitem daret, inter Templum & Altare Sacerdotum delapsus fuisset, magnamque sibi ob tam insigne miraculum coram ingenti populo gloriam comparasset: & hic erat scopus, in quem tentator collimabat. Et callidè quidem Diabolus hoc procurabat: nam ut ait S. Ambrosius lib.4. in Lucam: *Utitur & Diabolus testimoniis Scripturarum, non ut doceat, sed ut circumscribat & fallat. Cognovit aliquem attentum religioni, virtutibus clarum, signis & operibus præpotentem, jactantiæ tendit laqueum, ut hujusmodi virum inflet tumore, quo pietati se non credat, sed credat jactantiæ, nec Deo deputet, sed sibi arroget.*

XXI. Quamvis etiam in hac secunda tentatione prostratus Diabolus, ad tertiam tamen progressus fuit, qua homines non spirituales, sed carnales vincere solet, eos ad divitiarum & gloriæ mundi concupiscentiam, usque ad contemtum Dei, inducendo. Assumsit ergo Christum *in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia Regna Mundi & gloriam eorum, & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth.4.

Ad hæc verba arrogantiæ plena, & Deo injuriosa, sibi ampliùs temperare non valens Christus: *Vade*, inquit, *Satana: scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Super quæ S. Thomas ar.4. citato ad sextum ait: *Christus cùm passus fuisset tentationis injuriam, dicente sibi Diabolo*, si Filius Dei es, mitte te deorsum, *non est turbatus, nec Diabolum increpavit. Quando verò Diabolus Dei sibi usurpavit honorem, dicens*: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, *exasperatus est, & repulit eum dicens*: Vade Satana, *ut nos illius discamus exemplo, nostras quidem injurias æquanimiter sustinere, Dei autem injurias nec usque ad auditum sufferre.*

XXII. Ad hæc Christi verba dicit S. Matthæus cap.4. v.11. *Tunc reliquit eum Diabolus*: S. Lucas autem cap.4. v.15. dicit: *Diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* In hoc tamen non dissentiunt Evangelistæ: quia *sicut Ambrosius dicit super Lucam cap.4.* Recessit Diabolus à Christo usque ad tempus: quia postea non ten-


image
not
available

XXV. Circa ordinem verò tentationum ait S. Thomas citata 3.p. q.41. ar.4. ad 5. Quòd *sicut Augustinus dicit lib.2. de consensu Evangelist. cap.16.* incertum est, quid priùs factum sit, utrum regna terræ priùs demonstrata sint ei, & postea in pinnaculum templi locatus sit, an hoc priùs, & illud postea: nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit: *Videntur autem Evangelistæ diversum ordinem tenuisse, quia quandoque ex inani gloria venitur ad cupiditatem, quandoque è converso.* Alii verò, inter quos Cajetanus & Suarez, volunt ordinem tentationum in Luca non esse mutatum, cùm in Luca nulla sit vox, quæ ordinem indicet, sed simplex narratio rei unius post aliam, ex quo non satis colligitur ordo rerum, sicut in Matthæo, in quo finitâ primâ tentatione dicitur: *Tunc assumsit* &c. quæ particula consecutionem unius post aliam indicat: & similiter post secundam subjungitur: *Iterum assumsit eum;* & tandem absolutâ ultimâ tentatione concluditur: *Tunc reliquit eum Diabolus.* Non reliquisset autem, si secundo loco ista contigisset.

XXVI. Quæri solet: Primò, an Diabolus sub visibili forma Christum tentaverit. Cui respondetur affirmativè, & probabiliùs in forma humana: quod indicant verba illa *Accedens tentator*, quæ denotant motum corporalem. Insuper mutua illa collocutio inter Christum & tentatorem, quam Evangelium describit, vocem loquentis modo humano & respondentis supponit; & quia forma humana aptior est ad loquendum, ideò in forma humana Christo Dæmon se præsentavit. An verò sub specie Viri Sancti pietatem & zelum mentientis, ut vult Carthusianus, incertum est. Hoc certum esse debet, quòd cùm non posset Diabolus interiùs immutare phantasiam Christi, quia hæc nulla in se phantasmata rerum recipiebat nisi ex deliberato judicio rationis, cui illa perfectè subjicebatur, sicut nec phantasiam primorum hominum, antequam de innocentia laberentur, ideò sicut externâ ac vocali suggestione illos tentavit, ita & Christum Hominem tentasse credendus est; & quidem prolixâ oratione, ut eum flecteret, licèt pauciſſimis verbis ab Evangelistis referatur: cùm tamen Christus uno aut altero verbo eum superarit, ut notat Cajetanus. Unde illæ tentationes reales & externæ fuerunt, non imaginariæ & internæ.

XXVII. Quæri solet secundò: Quomodo Diabolus Christum supra pinnam templi, & supra montem excelsum transtulerit: an invisibiliter, an visibiliter? An terrestri itinere, an per aera?

Respondeo, in primis certum esse, Christum non invitum

aut reluctantem, sed volentem aut permittentem translatum à Dæmone fuisse sive in Sanctam Civitatem, sive in montem excelsum. Unde Gregorius Homil.16. in Evang. *Se ab illo permisit in montem duci, qui se permisit à membris ejus crucifigi*: idque reverà actu & locali motu. De modo autem, an visibiliter an invisibiliter, an terrestri itinere ductus, an à Diabolo per aera deportatus, Scriptura non loquitur. Verosimilius videtur, translationem illam fuisse verè localem, sed invisibilem saltem aliis. Ita videtur sentire S. Thomas hoc ar.4. ad 7. ex Auctore Oper. Imperf. in Matth. Homil.5. dicente: *Diabolus sic Christum assumebat in pinnaculum templi, ut ab omnibus videretur; ipse autem, nesciente Diabolo, sic agebat, ut à nemine videretur*. Nec enim audiendi sunt, qui dicunt, Christum insedisse Diabolo tanquam equo, cùm longè verosimilius sit, à Diabolo Christum fuisse translatum vel eo modo, quo Propheta Habacuc translatus fuit de Judæa in Chaldæam, & Philippus Diaconus post baptizatum Reginæ Candacis Eunuchum delatus est in Azotum, aut, sicut putat Cajetanus, eo modo, quo Christus ipse Scripturâ teste assumsit Petrum Joannem & Jacobum in montem Thabor. Quamquam fortè veriùs Diabolus Christum non portavit, sed duxit: unde S. Thomas hac q.41. ar.1. ex Origene Hom.31. in Lucam dicit, quòd Christus *sequebatur eum ad tentationem, quasi athleta sponte procedens*. Et consonat S. Lucæ cap.4. scribenti: *Et duxit illum Diabolus in montem excelsum*, & postea: *Duxit illum in Jerusalem*. Neque potest fieri vis in verbo *assumsit*, cùm Matth. 17. legatur de Christo *Assumens Jesus Petrum Jacobum & Joannem*, ubi certè de deportatione sermo non est, subditur enim: *& ducit illos in montem excelsum seorsum*.

XXVIII. Quæri solet tertiò: Quomodo Diabolus ex illo monte excelso ostenderit Christo omnia regna mundi: nullus enim mons adeò est excelsus, ex quo omnia mundi regna prospici queant, ut experientiâ patet.

Respondeo, Diabolum in monte excelso ostendisse Christo omnia regna mundi & gloriam eorum, sumendo totum pro majori parte, digito demonstrando varias orbis partes, in quibus sunt ista regna, & quæ sit singulorum gloria, quæ potentia, quæ opulentia edisserendo: *Non* enim (inquit S. Thomas citatus ar.4. ad septimum) *est intelligendum, quòd videret ipsa regna, vel civitates eorum, vel populos, vel aurum vel argentum: sed partes terræ, in quibus unumquodque regnum vel civitas posita est, Diabolus Christo digito demonstrabat, & uniuscujusque regni honores & statum verbis exponebat*. Sic Moysi ostensa legitur tota ter-

terra Israel ex monte Nebo Deuteron. cap. 34. v. 1., ex quo tamen non sequitur, patuisse illi prospectum in singula distinctè & sigillatim, sed in totum illud spatium, quo terra illa concludebatur. Dici etiam posset, ait S. Thomas ibidem secundùm Origenem Hom. 30. in Luc. quòd *ostendit ei, quomodo ipse per diversa vitia regnabat in mundo.* Planior tamen est prior expositio.

CAPUT XIX.

De Vita Christi post Baptismum, ac Prædicatione.

§. I.

Vitæ Genus Christo conveniens.

I. DE vitæ instituto, quod tenuit Christus ante annum trigesimum & ante Baptismum, cùm in domo parentum privatam vitam ageret, dictum est supra c. 15. §. 4. Nunc de vitæ ratione, quam tenuit post susceptum Baptisma, à quo prædicationem suam inchoavit, agendum est, de quo cum S. Thom. 3. p. q. 40. tria quæremus. Primum, an debuerit vitam solitariam ducere. Secundum, an austeram. Tertium, an pauperem.

II. Circa primum. Decuisse, ut Christus post susceptum Baptisma vitam non solitariam sed communem cum hominibus ageret, docet S. Thomas citatus ar. 1. Conversatio enim Christi talis esse debuit, qualis conveniebat fini Incarnationis, secundùm quem venit in mundum. Venit autem in mundum primò, ut manifestaret veritatem, sicut ipse dicit Joan. 18. v. 37. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et ideò non se debebat occultare, vitam solitariam agens, sed procedere in publicum, publicè prædicando. Unde Lucæ 4. iis, qui volebant eum detinere, dixit: *Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum Dei.* Non decuit tamen, ut semper cum aliis conversaretur, sed potiùs ut aliquando ab hominibus se subtraheret; quia cùm, ut ait S. Thomas ad tertium, actio Christi fuerit nostra instructio, ut daret exemplum prædicatoribus, quòd non semper se darent in publicum, ideò quandoque à turbis se subtraxit, sive propter corporalem quietem, ut Marci 6. v. 31. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum: erant enim qui veniebant & redibant multi; & nec spatium manducandi habebant*: sive causa orationis, ut

Lucæ 6. v. 12. ante electionem Apostolorum dicitur, quòd *exiit in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei*: Sive ut doceret favorem hominum vitare. His tribus viros Evangelicos docuit, ut quandoque ab eorum, quos instruunt, frequentia secederent, sive ut quietem corporalem sumant, sive ut orationi vacent; & maximè Prælatos cùm de electione ministrorum eis agendum est; sive ut hominum plausum & favorem declinent. Unde Chrysost. Homil. 15. in Matth. *Per hoc*, inquit, *quòd non in civitate & foro, sed in monte & solitudine sedit, erudivit nos, nihil ad ostentationem facere, & à tumultibus abscedere, & maximè cùm de necessariis disputare oportet*.

Neque dicas: Institutioni nostræ magis congruum fuisset, ut Christus eligeret vitam contemplativam, cui convenit solitudo: hæc est enim perfectior, ut traditur 2. 2. q. 182. ar. 1. & 2., & divinis illustrationibus recipiendis aptior. Unde Oseæ 2. v. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*; Respondet enim S. Thomas ibi ad secundum. Quòd licèt vita contemplativa simpliciter melior sit, quàm purè activa, quæ occupatur circa corporales actus: unde Christus Lucæ 10. v. 42. prætulit Mariam Marthæ, quòd illa contemplationi, ista ministerio mensæ vacaret: attamen *vita activa, secundùm quam aliquis prædicando & docendo contemplata aliis tradit, est perfectior, quàm vita, quæ solùm contemplatur, quia talis vita præsupponit abundantiam contemplationis. Et ideò Christus talem vitam elegit*.

III. Circa secundum, an conveniens fuerit, Christum vitam austeram ducere: respondet S. Thomas ar. 2. negativè. Cùm enim ex dictis congruum fini Incarnationis non esset, ut Christus vitam solitariam duceret, sed cum hominibus conversaretur: qui autem cum aliis conversatur, conveniens sit, ut eis se in conversatione conformet in iis, quæ per se licita sunt, nec saluti contrariantur, qualia sunt vestes cibi & potus: ideò decuit, ut in his Christus communi vivendi modo se conformaret. Propterea ajebat Paulus 1. Cor. 9. v. 22. *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Quia tamen alius erat finis, ob quem missus fuerat Joannes, alius, ob quem venit Christus, & Apostoli missi ab eo fuerint: ideò de Joanne dicitur, quòd erat in deserto, *non manducans neque bibens*: de Christo verò *manducans & bibens* (Matt. 11. v. 19. & Apostolis dicit Christus Luc. 10. v. 8. *Manducate, quæ apponuntur vobis*. Verùm quàm salutare esset jejunium, non destitit Christus exemplo suo ostendere, cùm, ex dictis, quadraginta diebus & noctibus jejunavit. Quòd si

jeju-

jejunium totâ vitâ non continuavit, hoc fuit, quia finis, ob quem venerat, petebat, ut cum hominibus converſaretur, eiſque cœleſtia traderet. Unde S. Thomas citato loco ad tertium: *Nec tamen*, inquit, *incongruum fuit, ut Chriſtus poſt jejunium & deſertum ad communem vitam rediret. Hoc enim convenit vitæ ſecundùm quam aliquis contemplata aliis tradit, quam Chriſtus dicitur aſſumſiſſe, ut primò contemplationi vacet, & poſtea ad publicum actionis deſcendat aliis convivendo.* Unde Ambroſius lib. 2. in c. 1. Lucæ ait: *Jejunavit & Chriſtus, ne præceptum declinares: manducavit cum peccatoribus, ut gratiam cerneres, agnoſceres poteſtatem.* Ita tamen Chriſtus communem cum aliis vitam agebat, ut ea moderatè uteretur, & finì ſuo accommodatiſſimè, ut magis accederet ad ſeveram, quàm ad ſuavem.

IV. Quoad veſtes, quibus utebatur Chriſtus, veriſimile puto, quòd Chriſtus, qui in cibo & potu & aliis ſeſe accommodabat, veſtes etiam geſtaverit ſecundùm morem Gentis, nec nimis abjectas ac viles, ſed nec pretioſas aut ornatas. Ut enim ait S. Thomas Opuſ. 19. cap. 8. *Non eſt credibile, quòd Dominus Jeſus Chriſtus pretioſis veſtibus indueretur, qui Joannem commendabilem oſtendit, quòd non erat mollibus indutus: alioquin Phariſæi, qui exteriorem ſanctitatem oſtentabant, ſicut de eo dicebant, quòd erat vorax & potator vini, & publicanorum amator: ita & de eo dixiſſent, quòd eſſet mollibus indutus. Milites etiam, qui ei illudebant, non eum veſte purpurea induiſſent in ſignum regiæ dignitatis, ſi tunica inconſutilis auro & ſerico contexta fuiſſet. Sed quòd tunicam ejus milites dividere noluerunt, hoc non fuit propter pretioſitatem veſtis, ſed propter numerum, quia quatuor partibus ſuperfuerat, quas milites de veſtibus ejus fecerunt, & ſi diviſa fuiſſet omninò fuiſſet inutilis, in quo manifeſtè apparet, quòd non erat de pretioſa materia.*

Quot verò, & quales fuerint Chriſti veſtes? tres fuiſſe credibile eſt. Primam tunicam inconſutilem per totum contextam deſuper, ut habetur Joan. 19. v. 23., unà cum ſuis manicis, quod Judæi in more habebant, & hac arte pollebant, contextam, inquam, non ex lino & lana, hoc enim Iſraelitis lege prohibitum erat Deuteron. 22. v. 11. *Non indueris veſtimento, quod ex lana linoque contextum eſt*: ſed vel totam laneam, ut aliqui volunt, vel totam lineam, ut alii. Hanc piè non pauci credunt fuiſſe à B. Virgine Matre ſuis manibus contextam, dum in puerili Chriſtus eſſet ætate, & cum eo creſcente uſque ad virilem ætatem ſicut & ceteras ejus veſtes creviſſe, quin ex continuo earum uſu ac vetuſtate detritæ fuerint. Si enim Iſraelitico Populo

pulo per desertum iter agenti hoc prodigium contigit: unde ei dicitur Deuteron. 29. v. 5. *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumta sunt*: quis pius erit, qui hoc idem in Christi vestibus contigisse probabile non existimet?

Super hanc vestem inconsutilem, seu interulam, Christus ex more nationis usus est longâ & usque ad talos perveniente tunicâ ex vulgari panno confectâ, quam zonâ aliquâ simplici minimèque curiosâ arctasse ac præcinxisse probabile est; tum quia mittens discipulos suos ad evangelizandum, eosque præceptis instruens Matth. 10. v. 9. dixit: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris.* Deferebant ergo & Apostoli zonas, quibus cingebantur, sed quia aliqui hisce zonis appensas bursas aut crumenas deferebant, vetat eis Christus, ne in eis pecunias deferant.

Tandem super hanc tunicam talarem gestabat Christus pallium ejusdem materiæ non multùm angustum ab humeris pendens & ad talos descendens, ut circa humeros obvolvi posset. Ita enim moris erat apud Judæos, ut observat P. Lamy in Isagoge. In hujus pallii extremitate erant fimbriæ bene assutæ, ut legitur Numer. 15. v. 18., & Deuteron. 22. v. 12. Has autem in pallio Christum habuisse, colligo ex Matth. 9. v. 2., ubi mulier à fluxu sanguinis sanata dicitur, quia *tetigit fimbriam vestimenti ejus*, & cap. 14. v. 36. *Et rogabant eum, ut fimbriam vestimenti ejus tangerent*, quod habetur Marci 6. v. 56., & Lucæ 8. v. 44.

Ex his colligitur, Christum tres vestes habuisse, nempè pallium, tunicam talarem, & vestem seu tunicam inconsutilem, quarum duas priores milites Christô crucifixô in quatuor partes diviserunt, tertiam, miserunt in sortem. Et planè plures vestes habuisse, non unicam tantùm, constat ex Joann. cap. 13. v. 4., ubi antequam lavaret pedes Discipulorum dicitur: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua*; habebat ergo Christus plura vestimenta, cùmque non omnia deposuerit, non enim lavit pedes Discipulorum nudus, fit, quòd plura, quàm duo vestimenta indueret.

Neque tamen fecit contra id, quod Matth. 10. v. 10. vetuerat, ne scilicet duas tunicas haberent. Quia solum prohibuit duplices vestes ejusdem generis, seu mutatorias, volens, ne præter vestes, quibus induti proficiscebantur, alias secum deferrent, quas prioribus sordidatis vel attritis subrogarent. Unde S. Augustin. lib. 2. de conf. Evangelist. cap. 30. *Ne quisquam*, inquit, *eorum præter eam, quam esset indutus, aliam portandam pu-*

putaret. Eodem modo exponit illud Marci 6. v. 9. Ne induerentur duabus tunicis, quarum modò unam, modò alteram induerent. Ex quibus intelligitur illud Lucæ 3. v. 11., ubi Joannes dicit: *qui habet duas tunicas, det non habenti*, de duabus tunicis ejusdem rationis, ac sibi non necessariis.

V. An verò Christus aliquo capitis tegumento usus fuerit, nec ex Evangelio, nec Patribus deduci potest. Eum cidari pileo aut aliquo capitis tegumento usum fuisse, ex hoc conjectant aliqui, quòd secundùm morem regionis, ut dictum est, incederet: mos autem Judæorum, ut observat Fleury de moribus Israelit. p 1. cap. 10., & Lamy in Manuduct. ad Script. p. 278., etiam tempore Christi, erat caput aliquo tegumento cooperire, præsertim cùm in publicum procederent, aut templum ingrederentur; ita ut nudato capite incedere signum esset vel punitionis vel mœroris. Unde Levit. 13. v. 45. de leproso dicitur, quòd *habebit caput nudum*. Quæ capitis denudatio, etsi in signum mœroris aliis concederetur, Sacerdotibus tamen solis prohibebatur Levit. 10. v. 6., quod de Summo Sacerdote præcipuè vetatur ibi cap. 21. v. 10. Credibile ergo est, morem incedendi capite cooperto etiam tunc perduravisse, & huic Christum se conformasse.

VI. Major difficultas est, an Christus calceis indutus incesserit, an nudis omnino pedibus. Seculo enim quarto fuerunt Hæretici dicti *Nudipedes*, de quibus S. Augustin. hæres. 68., qui nudis omnino pedibus incedentes, dicebant, hoc se exemplo Christi & Apostolorum facere, imo & Dei præcepto; nec licere Christianis calceatos incedere. Hos etiam nostris temporibus imitati sunt quidam sectâ Anabaptistæ. Alii verò etiam ex Catholicis existimant Christum nudis omnino pedibus incessisse, quamvis de hoc nullum Christianis fuerit præceptum.

VII. Probabilius tamen videtur, quòd Christus calceatus incesserit utens saltem soleis caligis sive sandaliis. Hoc indicavit primò Joannes Baptista, cùm Lucæ 3. v. 16. de Christo ait: *Cujus non sum dignus solvere corrigium calceamentorum ejus*: ad quæ Clemens Alexandr. lib. 2. Pædagogi cap. 11. *Tenuis*, inquit, *ac simplicis calceaturæ testis sufficit Joannes, qui dicebat se non esse dignum solvere corrigiam calceorum Domini: non enim curiosos aut superfluos is habebat calceos, qui vere Philosophiæ typum Hebræis ostendebat*. Et S. August. serm. 42. de Sanctis serm. 101. cap 6. *De his calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me idem Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Joannes diceret, non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*.

Ac-

Accedit, morem Palæstinorum fuisse gestare in pedibus soleas seu caligas, quæ nil aliud erant, quàm tegumentum non cruris neque pedis ad partem superiorem, sed solius plantæ, quam solea muniebant, quæ alligabatur pedi corrigiâ aliquâ, vulgari nempè & parvi prorsùs pretii. Qua etiam Joannes ipse Baptista usus fuisse videtur; nam Evangelistæ accuratè describentes ejus austerum vestitum, non videntur hoc omissuri, si calceis caruisset. Cùm ergo is esset usus regionis, eis etiam usus fuit Christus.

VIII. Objici potest; primò, quòd Christus Matth. 10. v. 11. Apostolis jusserat, ne calceamenta portarent. Signum ergo est, quòd nec ipse eis utebatur. Secundò, quia in ejus passione milites acceperunt ejus vestes, & nihil dicitur de calceis. Tertiò, quia Magdalena non potuisset lavare pedes ipsius recumbentis, si calceos habuisset; tandem quia ita sentiunt Hieronymus Epistol. 22., modò 18. ad Eustochium, & S. Bonaventura tom. 7. Opusc. de sandaliis Apost.

IX. Sed respondetur ad primum, Christum vel prohibuisse Apostolis calceamenta duplicia sicut tunicas; vel prohibuisse simpliciter uti calceis totum pedem tegentibus ad majorem commoditatem, non uti caligis sive sandaliis plantam pedis solam tuentibus. Unde Marci 6. v. 9. dicitur, quòd præcepit eis quidem, *ne quid tollerent in via* &c., subdit tamen, *sed calceatos sandaliis*: quod non sine mystica significatione fuisse dicit S. Augustinus lib. 2. de Cons. Evang. cap. 30. his verbis: *Proinde Marcus dicendo, calceari eos sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, ideſt nec occultetur Evangelium, nec terrenis commodis invitatur*. Et sanè hoc genus calcei permisisse Apostolis Christum ex eo deducitur, quòd Petrus ipse caligas habebat. Unde Act. 12. v. 8. dixit ei Angelus: *Præcingere, & calcea te caligas tuas*. Nunquid autem Petrus Caput Apostolorum, qui omnes exemplo præire debebat, caligas gestasset, si earum usum Christus prorsus vetasset?

Ad secundum dico, Evangelistas mentionem non fecisse de Christi caligis, quia vel eas sub nomine vestium comprehenderunt, vel quia eas utpotè viles ac nullius pretii milites contemserunt.

Ad tertium dico, quód etsi Christus tunc sandalia haberet, probabile est, Magdalenam ea solvisse, ut faciliùs nudos pedes ungere posset. Vel, ut aliis placet, Christum in convivio, quo exceptus fuerat à Pharisæo nudis omnino pedibus recubuisse.

Mos

Mos enim erat etiam apud Judæos, ut discalceati in lectis accumberent mensæ, ne fortè calceamentorum sordibus lectorum stragula macularent; & hunc morem Christum tunc fuisse secutum.

Ad quartum dico, S. Hieronymum & Bonaventuram fortè in oppositâ opinione fuisse, quod nostræ non præjudicat, pro qua stant alii Patres, & fundamenta supra allata.

X. Quia verò *Nudipedes* Hæretici supra relati contendebant, & adhuc contendunt, calceorum usum non solùm Apostolis, sed & omnibus Christianis fuisse interdictum, non abs re erit eorum fundamenta producere, ac simul evertere. Movebantur ergo primo ex illo Exodi 3. v. 5., ubi Deus præcepit Moysi: *solve calceamentum de pedibus tuis*. Secundò, ex illo Isaiæ 20. v. 2., ubi Prophetæ dicit Deus: *calceamenta tua tolle de pedibus tuis*, ex quibus inferebant, omnes, & præcipuè Christianos, viroſque verè Apostolicos, non posse accedere ad Deum, nisi pedibus discalceatis.

Sed hæc futilia esse, nemo non videt. Primum quidem; nam illud præceptum factum fuit Moysi ob specialem rationem; quia locus ille præsentiâ Dei sanctificabatur, unde subditur: *Locus enim, in quo stas Terra Sancta est*. Secundum etiam, nam illud præceptum soli Isaiæ factum fuisse, & pro determinato tempore, ex Scriptura constat. Imo cum ibi etiam præcipiatur Prophetæ, ut *vadat nudus*, sicut de facto *fuit sic vadens nudus & discalceatus*: sequeretur Christianos omnes, non solùm discalceatos, sed & nudos incedere debere; quo quid inverecundius? Quare S. Augustinus Hæresi 68. de istis loquens, ait: *Est alia hæresis nudis pedibus semper ambulantium, eò quòd Dominus dixerit ad Moysen, vel ad Josue*, solve calceamentum de pedibus tuis: *Et quòd Propheta Isaias nudis pedibus jussus fuerit ambulare. Ideò ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia Divina taliter intelligunt*. Quomodo autem debeant intelligi docet ipse serm. 101., aliàs 42. de Sanctis cap. 6. dicens: *Calceamenta quid sunt? Calceamenta quibus utimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo jubemur renuntiare mortuis operibus. Hoc in figura Moyses admonebatur, quando Dominus loquens ait*: solve calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, Terra Sancta est: *Quid tam Terra Sancta, quàm Dei Ecclesia? In illa ergo flemus, calceamenta solvamus, ideſt mortuis operibus renuntiemus. Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulemus, consolatur me idem ipse Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Joannes diceret*, non sum

dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: *Sit ergo obedientia, non fabrepat superba duritia. Ego, inquit, Evangelium impleo, quia nudo pede ambulo. Tu potes, ego non possum. Quod simul accipimus, custodiamus. Quomodo? Caritate flagremus, invicem diligamus: ac sic fit, ut ego amem fortitudinem tuam, & tu portes infirmitatem meam.* Ita acutè ut de more S. Augustinus. Sed huic piæ eruditioni satis indulsi.

XI. Nunc ad tertium, an scilicet Christus post Baptismum pauperem vitam duxerit, procedam cum S. Thoma 3.p. q.40. ar.3. De vitæ instituto, quod tenuit Christus in pueritia & adolescentia ante Baptismum egi supra cap.15. §.4., ex quibus præsenti quæsito opportuna aliqua colligi possunt. Decuit ergo, ut Christus etiam tempore suæ prædicationis pauperem vitam duceret. Primò, *quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod se venisse dicit Marci 1. v.38.* Eamus in proximos vicos & civitates, ut ibi prædicem; ad hoc enim veni: *Oportet autem, Prædicatores Verbi Dei, ut omnino vacent prædicationi, omnino à secularium rerum cura esse absolutos: quod facere non possunt, qui divitias possident: unde & ipse Dominus Apostolos ad prædicandum mittens dicit eis Matth.10. v.10.* Nolite possidere aurum neque argentum: *Et ipsi Apostoli dicunt Actor.6. v.2.* Non est æquum, nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Hæc est prima Angelici Doctoris ratio.

XII. Neque dicas, non minùs paupertatem, quàm divitiarum possessionem obesse officio prædicationis, dum Prædicator pauper debet quotidianum victum quæritando sibi procurare; Nam respondeo, non talem fuisse paupertatem, quam Christus elegit, ut teneretur victum quotidianum ostiatim sibi quæritare; quia, ut dicit S. Thomas citatus ad secundum, potest aliquis communi vitâ uti, quantùm ad victum & vestitum, non solùm divitias possidendo, sed etiam à mulieribus & divitibus necessaria sponte oblata recipiendo. Quod etiam circa Christum factum est. Unde dicitur Lucæ 8. v.3., quòd mulieres multæ sequebantur Christum, *quæ ministrabant ei de facultatibus suis*: ut enim dicit S. Hieronymus in cap.27. Matthæi: *Consuetudinis judaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat.* Unde concludit S. Thomas: *Sic ergo communis victus poterat esse sine sollicitudine impediente prædicationis officium, non autem divitiarum possessio.* Addo, quòd licèt Christus privatè nihil possideret, Collegium tamen Apostolorum, quibuscum in com-

communi vivebat, habebat loculos ex piorum eleemosynis provenientes, quos servabant in usus pro tempore necessitatis, ut habetur Joan. 4. 6. 12. & 13. Neque hoc contrarium est paupertati.

XIII. Secunda S. Thomæ ratio est. Quia *sicut mortem corporalem assumsit, ut nobis vitam largiretur spiritualem; ita corporalem paupertatem sustinuit, ut nobis divitias spirituales largiretur, secundùm illud* 2. *ad Cor.* 8. Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, ut illius inopiâ divites essetis.

Tertia: *Ne si divitias haberet, cupiditati ejus prædicatio adscriberetur; unde Hieronymus in cap.* 10. *Matth.* Quòd si discipuli ejus divitias habuissent, viderentur, non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare: *Et eadem ratio est de Christo.*

Quarta; *Ut tantò major virtus Divinitatis ejus ostenderetur, quantò per paupertatem videbatur abjectior: unde dicitur in quodam sermone Ephesini Concilii* (p. 3. c. 9.) Omnia paupera & utilia elegit, omnia mediocria & plurimis obscura, ut Divinitas cognosceretur orbem transformasse terrarum: propterea pauperculam elegit matrem, pauperiorem patriam, egens fuit pecuniis, & hoc tibi exponit præsepe.

Paupertatem etiam elegit ad ostendendam humilitatem. Nam ut ait S. Thomas ibi ad tertium: *In eo, qui ex necessitate pauper est, humilitas non multùm commendatur, sed in eo, qui voluntariè pauper est* (*sicut fuit Christus*) *ipsa paupertas est maximæ humilitatis indicium.*

§. II.

Vita Christi relatè ad Legem.

XIV. SIcut Christus in iis, quæ pertinent ad communem vitam civilem, voluit usibus hominum, cum quibus conversabatur, se accommodare: ita & magis in iis, quæ Legem spectabant, quamvis ei subjectus non esset, nec apicem prætermittere voluit. De hoc S. Thomas dicta q. 40. ar. 4. In cujus signum Infans voluit circumcidi, in Templo præsentari, ad Templum singulis annis deduci, ut his protestaretur, se velle secundùm Legem conversari. Et hoc primò, ut Legem Veterem approbaret. Secundò, ut eam observando in se ipso consummaret & terminaret; ostendens, quòd ad se ipsum erat ordinata. Unde Matth. 5. v. 17. *Nolite*, inquit, *putare, quoniam ve-*

ni ſolvere Legem aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.... Jota unum, aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant: ſuper quæ Chryſoſt. Homil. 16. in Matth. ait: *Legem implevit: primò quidem nihil tranſgrediendo legalium: ſecundò juſtificando per fidem, quod Lex per litteram facere non valebat.* Tertiò, ut Judæis occaſionem calumniandi ſubtraheret. Quartò, ut homines à ſervitute Legis liberaret, ſecundùm illud Galat. 4. v. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege, ut eos qui ſub Lege erant, redimeret.* Hæc ex S. Thoma.

XV. Sex autem modis Chriſtus Legem implevit. Primò, quia illam ſervavit, in nullo ejus præcepta tranſgrediens, & omnia, quæ jubebat, exequens. Secundò, quia manifeſtavit myſteria in Lege ac Prophetis latentia. Tertiò, quia præſtitit ea, quæ promiſſa erant in Lege, & exhibuit veritatem rerum in ea præfiguratarum. Quartò, quia verum ſenſum Legis expoſuit. Quintò, quia dedit gratiam & virtutem, quâ nos Legem impleamus. Sextò, quia in paſſione illam conſummavit. At quia Manichæi capere nolebant, quid ſit Legem implere, putantes eſſe aliquid ei addere; contra eos S. Auguſtin. lib. 17. contra Fauſtum cap. 6. ita diſcurrit: *Impletur ergo Lex, vel cùm fiunt, quæ ibi præcepta ſunt, vel cùm exhibentur, quæ ibi prophetata ſunt. Lex enim per Moyſen data eſt, Gratia & Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Ipſa Lex cum impleta eſt, gratia & veritas facta eſt..... Et quia utrumque per Chriſtum, ideò non venit ſolvere Legem aut Prophetas, ſed adimplere: non ut Legi adderentur, quæ deerant, ſed ut fierent, quæ ſcripta erant: quod ipſa ejus verba teſtantur: non enim ait, Jota unum aut unus apex non tranſit à Lege, donec addantur, quæ deſunt, ſed donec omnia fiant.*

XVI. Judæi tamen, qui cæci ac oculos habere nolebant, ut viderent ea, quæ in Lege ſcripta erant, in Chriſto fieri & adimpleri, vigiles & oculatiſſimi erant in obſervando, an ipſe in obſervantia alicujus præcepti Legis deficeret. Videntes igitur, eum ſanaſſe die ſabbati Joan. 5. languentem in probatica, & juſſiſſe, ut tolleret grabatum ſuum. Joan. 9. facto luto ex ſputo ſanaſſe cæcum à Nativitate: Matth. 12. die ſabbati ſanaſſe hominem habentem manum aridam, & eodem capite permiſiſſe, ut diſcipuli ſui die ſabbati vellerent ſpicas, ut manducarent, publicè ut tranſgreſſorem Legis eum traducebant, dicentes Joan. 9. v. 16. *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.*

XVII. Haſce tamen calumnias, ait S. Thomas ar. 4. ad primum, Chriſtus ipſe triplici ratione diſſipavit, ſe à tranſgreſſione Le-

Legis excusans. Prima est, quia per præceptum de sanctificatione sabbati interdicitur quidem opus humanum, sed non opus Divinum. Quamvis enim Deus die septimo cessaverit à novis creaturis condendis, semper tamen operatur in rerum conservatione & gubernatione. Unde ipse dicit Joan 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Sanationes autem illæ miraculosæ erant opus Divinum. Secunda est, quia illo præcepto non prohibentur opera, quæ sunt de necessitate salutis, etiam corporalis: unde Lucæ 13. ipse dicit: *Unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare?* Et cap. 14. *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum?* Opera autem Christi non erant ad salutem pecudum, sed hominum, & non ad salutem corporis tantùm, sed etiam animæ. Benè ergo subdit Lucas ibi v. 6. *Et non poterant ad hæc respondere illi.* Tertia, quia illo præcepto non prohibentur opera, quæ pertinent ad Dei cultum. Sacerdotes enim Veteris Legis etiam sabbato victimas excoriabant, ligna portabant, ignem accendebant, & alia ad sacrificia opera etiam famulatoria faciebant. Unde Matth. 12. v. 5. ita illos perstringebat: *Non legistis in Lege, quia sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt?* Et Joan. 7. v. 23. *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur Lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Quod ergo mandavit languido, ut die sabbati tolleret lectum suum, numquid ad ostensionem & laudem virtutis Dei, cujus cultum Christus promovebat, non erat referendum?

Objurgationem autem factam discipulis, quòd die Sabbati spicas vellerent & manducarent, ita retundit Matth. 12. v. 3. Christus ipse: *Non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant? Quomodo intravit in Domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus?* Quasi diceret: si hoc licuit Davidi famis necessitate compulso ejusque sociis, quamvis absolutè non liceret: cur discipulis meis vitio vertitis, quòd necessitate adacti spicas sabbato confricuerint, ut paucarum spicarum confricatione famem sedent, & vitam incolumem servent? ut prædicationi Verbi Dei, ad quam eos elegi vacare possint? *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum,* ajebat Christus ipse Marci 2. v. 27. Dominus ita respondit. Non est cur addere velit homo.

§. III.

De Christi Prædicatione ac Doctrina.

XVIII. QUatuor examini in hac materia subjicit S. Thomas 3.p. q.42. Primum, an Christus debuerit prædicare solis Judæis, an etiam Gentilibus. Secundum, an in sua Prædicatione debuerit turbationem Judæorum vitare. Tertium, an debuerit prædicare publicè vel occultè. Quartum, an debuerit docere solùm verbo, an etiam scripto. Quibus addemus quintum, nimirùm quanto tempore ejus Prædicatio duraverit.

XIX. Suppono, congruentissimum fuisse, ut qui mittendus erat ut totius humani generis Doctor & Magister, fuerit Deus auctoritate & perfectione scientiæ, quò docere posset veram viam justitiæ; sed ut fuerit etiam homo similis homini, ut homines persuadere posset exemplo, & omnem excusationis viam eripere. Ita Lactantius lib.4. Divin. Inst. cap. 24. *Nam si ad homines veniat ut Deus, ut omittam, quòd mortales oculi claritatem majestatis ejus conspicere ac sustinere non possunt, ipse certè Deus virtutem docere non poterit, quia expers corporis non faciet, quæ docebit, ac per hoc doctrina ejus perfecta non erit. Alioqui si summa virtus est dolorem patienter pro justitia officioque perferre, si virtus est mortem ipsam & intentatam non metuere, & illatam fortiter sustinere; debet ergo Doctor ille perfectus, & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo: quia qui dat præcepta vivendi, amputare debet omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parendi necessitatem, non aliquavi, sed pudore, & tamen libertatem relinquat .... Quomodo ergo poterit amputari excusatio, nisi ut qui docet, faciat quæ docet, & sit quasi prævius, & manum porrigat secuturo? Quemadmodum autem potest facere quæ docet, si non sit ei similis, quem docet? Nam si nulli subjectus sit passioni, potest ei docenti homo sic respondere: volo equidem non peccare, sed vincor: indutus sum enim carne fragili & imbecilla: hæc est, quæ irascitur, quæ concupiscit, quæ dolet, quæ mori timet. Itaque ducor invitus, & pecco, non quia volo, sed quia cogor. Sentio me & ipse peccare, sed necessitas fragilitatis impellit, cui repugnare non possum. Quid ad hæc respondebit præceptor ille justitiæ? Quo modo refutabit aut redarguet hominem, qui delictis suis excusationem carnis obtendit, nisi & ipse carne fuerit indutus, ut ostendat, etiam carnem posse capere virtutem?* Hæc Lactantius. Unde Apostolus ad Hebr.4.v.15.

Non

Non enim, inquit, *habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatus autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

XX. Doctrinam Christi fuisse omnium præstantissimam & sanctissimam, ostendi in Tract. de Verit. Relig. Christ. t.1. c.11. §.2., quo Lectorem remitto. Solùm hic addo testimonium Æterni Patris, qui semel atque iterum, nimirùm apud Jordanem post Baptismum, & in monte Thabor in Transfiguratione dixit de Christo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Qua de causa ipse Christus Joan.7. mirantibus Judæis, quomodo sine Magistro tam alta loqueretur, respondit v.16. *Mea Doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Et certè Doctrina Christi non alia erat, nisi quam Deus in cordibus hominum, cujus unicè gloriam quærebat, scripserat. Cetera loco citato videri possunt.

XXI. Circa primum ergo ostendit S. Thomas dicta q.42. ar.1. conveniens fuisse, ut Christus tam per se ipsum, quàm per Apostolos à principio solis Judæis suam Doctrinam exhiberet. Primò, quia ad hoc missus erat, ut ipse testatur Matth.15. v.24. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Hoc autem ut ostenderet, per suum adventum impleri promissiones antiquitùs factas Judæis, non Gentilibus. Unde Apostolus Rom.15. v.8. ait: *Dico enim, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*, ideſt Apostolum & Prædicatorem Judæorum, *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum.*

Secundò, ut ostenderet, suum adventum esse à Deo: *Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt* Rom.13. Debitus autem ordo exigebat, ut Judæis, qui Deo erant propinquiores per Fidem & Cultum unius Dei, priùs Doctrina Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes: sicut etiam in cœlesti Hierarchia per superiores Angelos ad inferiores Divinæ illuminationes deveniunt. Unde Hieronymus in cap.15. Matth. ad illa verba: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*, ait: *Non hoc dicit, quin & ad Gentes missus sit: sed quod primùm ad Israel missus est.*

Tertiò, ut Judæis auferret calumniandi materiam. Unde Hieronymus in cap.10. Matth. *Oportebat*, inquit, *primùm adventum Christi nuntiari Judæis, ne justam haberent excusationem, dicentes, ideò se Dominum rejecisse, quia ad Gentes & Samaritanos Apostolos miserit.*

Quartò, quia potestatem & dominium super Gentes meruit per victoriam Crucis, juxta illud Apocal.2. v.26. *Qui vicerit da-*

bo illi poteſtatem ſuper Gentes. Et Philipp. 2. v. 8. Quia *factus eſt obediens uſque ad mortem... crucis... Deus exaltavit illum,... ut in Nomine Jeſu omne genuflectatur... & omnis lingua ei confiteatur*. Et ideò ante paſſionem ſuam noluit Gentibus prædicari ſuam Doctrinam, ſed ſolùm poſt paſſionem dixit diſcipulis Matth. ultimo: *Docete omnes Gentes*. Hæc ex S. Thoma.

Qui tamen addit ad 3. quòd ſicut Chriſtus ob rationes præfatas non debuit indifferenter à principio Judæis ac Gentilibus, ſed ſolis Judæis ſuam doctrinam exhibere: ita nec debuit Gentiles omnino repellere, ne ſpes ſalutis eis præcluderetur. Et ideò aliquos ex eis particulariter admiſit ob peculiarem eorum fidem, ut Centurionem, Samaritanam, mulierem Chananæam.

XXII. Circa ſecundum conveniens fuiſſe, ut Chriſtus prædicaret Judæis, non obſtante Scribarum & Phariſæorum offenſione, oſtendit S. Thomas dicta q. 42. ar. 2. hoc diſcurſu. Quando aliqui ſuâ perverſitate impediunt ſalutem multitudinis, prædicator non debet eorum offenſionem timere, vel ſic curare, ut propter eam abſtineat à promovenda per prædicationem ſalute multitudinis, quia ſalus multitudinis præferenda eſt paci quorumcumque ſingularium hominum: Scribæ autem & Phariſæi ſuâ perverſitate impediebant ſalutem multitudinis; tum quia repugnabant Chriſti Doctrinæ, per quam ſolam poterat eſſe ſalus; tum etiam quia pravis ſuis moribus vitam populi corrumpebant: & ideò Dominus, non obſtante offenſione eorum, publicè veritatem docebat, & eorum vitia arguebat: unde Matth. 15. diſcipulis dicentibus: *Scis, quia Judæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt?* reſpondit Dominus v. 14. *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*.

XXIII. Nec obeſt, quód debeamus vitare offenſionem tam Fidelium, quàm Infidelium, dicente Paulo 1. Cor. 10. v. 32. *Sine offenſione eſtote Judæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei*: nam, ut docet S. Thomas ibi ad primum, Paulus vult, quòd homo ſit ſine offenſione omnibus, ſic ut nulli det ſuo facto vel dicto minùs recto occaſionem ruinæ: *Sed cùm de veritate ſcandalum oritur, magis eſt ſuſtinendum ſcandalum, quàm veritas relinquatur*, ut dicit Gregorius Homil. 7. in Evangelia. Et ſanè Doctrina Chriſti non ſolùm ab ipſo prædicata Scribis & Phariſæis, ſed etiam per Apoſtolos annuntiata, offenſioni & ſcandalo fuit & Judæis & Gentilibus, Regibus maximè & Principibus: & tamen numquid Apoſtoli ab ea toto Orbi prædicanda deſtiterunt? Imo eam uſque ad vitæ diſpendium conſtantes prædicarunt, quia licèt mul-

tis

tis scandalo & offensioni esset, salus tamen populorum hoc exigebat: unde Paulus ipse 1. Cor. 1. v. 23. *Nos autem*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam*. Quia id, quod multis scandalum & stultitia erat, multis, idest ad Fidem vocatis, Dei Virtus & Sapientia ad salutem erat.

XXIV. Neque obstat, quòd Apostolus 1. ad Timoth. 5. v. 1. moneat Timotheum dicens: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*; cùm ergo Principes & Sacerdotes Judæorum essent apud eos Seniores, non decuit, ut Christus publicè & apertè increparet. Non, inquam, ut enim ait S. Thomas ibid. ad 3. Illud verbum Apostoli est intelligendum de illis Senioribus, qui non solùm ætate vel auctoritate, sed etiam honestate vitæ ac doctrinâ sunt senes. Si autem auctoritatem senectutis vertant in instrumentum malitiæ, publicè & moribus & doctrinâ populum in ruinam trahendo, quales tunc erant Sacerdotes, & Principes Judæorum, publicè erant à Christo increpandi: de his enim dicit Paulus ibidem v. 20. *Peccantes coram omnibus argue*. In quæ verba ait Chrysostomus: *Quid? nonne majus scandalum facit coram omnibus arguere? Minimè id quidem. Magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes, nullum inferri videant cruciatum, sicut enim si impunè peccatur plurimi delinquunt: ita si peccata puniantur, complures virtuti student*. Et S. Gregorius Homil. 7. in Ezechiel. ait: *Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur*. Cui addit S. Bernardus Epist. 78. *Cum enim carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit, quod argui debeat, non ille, qui arguit*. Quæ de peccante publicè sumi debent, non de peccatore occulto: hic enim inter te & ipsum solum, hoc est secretò, corrigendus est, juxta Christi monitum Matth 18. v. 15. Cùm ergo Principes & Sacerdotes Judæorum falsis Traditionibus populum à Lege Dei averterent, necnon pravo exemplo mores aliorum corrumperent, & Christo prædicanti veritatem resisterent, justè à Christo increpabantur, & quidem publicè, sicut ipsi publicè scandali causa erant.

XXV. Ex his apparet resolutio tertii Quæsiti, nimirùm, quòd Christus debuerit publicè, & non in occulto Doctrinam suam, quæ Doctrina veritatis est, prædicare. Ut enim docet S. Thomas prælaudata q. 42. ar. 3. potest doctrina occultari, vel ex intentione docentis, qui cùm velit per suam scientiam aliis excellere, ex invidia non vult eam aliis communicare, quod in

Christo locum non habuit, ex cujus persona dicitur Sap.7. v. 13. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Contingit etiam quandoque ex intentione docentis, doctrinam occultari ob inhonestatem eorum, quæ docet. Quo sensu Hæreticorum multi, ut Gnostici & alii, doctrinam suæ sectæ solis suis manifestabant, quia immunditiis plenam. Augustino enim teste Tract.96. in Joan. *Quædam sunt mala, quæ portare non potest qualiscumque pudor humanus.* Doctrina autem Christi vera sancta ac pura undequaque erat. Lucerna erat ponenda non sub modio, sed super candelabrum, ut omnibus luceret. Unde de ea ipse dicebat Marci 4. v.21. *Numquid venit Lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur?*

Alio modo aliqua doctrina est in occulto, quia paucis proponitur. Sed sic Christus nihil in occulto docuit, quia omnem doctrinam suam vel turbæ toti proposuit, vel omnibus suis discipulis in communi. Unde Augustinus Tract. 113. in Joan. *Quis*, inquit, *in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur; præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis?* Meritò igitur Joan.18. v.20. Pontifici Judæorum, eum interroganti de discipulis & doctrina ejus, respondit: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.*

Tertio modo aliqua doctrina potest esse in occulto quantùm ad modum docendi. Et sic Christus quædam turbis loquebatur in occulto parabolis utens ad annuntianda spiritualia mysteria, ad quæ capienda non erant idonei vel digni: *Et tamen* (inquit S. Thomas) *melius erat eis vel sic sub tegumento parabolarum spiritualium doctrinam audire, quàm omnino ea privari. Horum tamen parabolarum apertam & nudam veritatem Dominus discipulis exponebat, per quos deveniret ad alios, qui essent idonei, secundùm illud 2. Timoth. 2. v.2.* Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere: *Et hoc significatum est Numer.4. ubi mandatur, quòd filii Aaron involverent vasa Sanctuarii, quæ Levitæ involuta portarent.*

Utebatur ergo Christus parabolis ac similitudinibus, non quasi suæ doctrinæ veritatem involveret eam occultando, sed potiùs ejus mysteria captui & conditioni eorum accommodando, morem regionis servans. Ut enim ait Hieronymus in cap. 18. Matth. *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas jungere: ut quod per simplex præceptum teneri*

ab

ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem, exemplaque teneatur. Et ideò Matth. 13. v. 13. Chriſtus ipſe dicebat: *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt.* Et v. 34. dicitur, quòd *ſine parabolis non loquebatur eis*, nempè turbis; Quod tamen, ait S. Thomas ibidem ad tertium, ſecundùm Chryſoſtomum Hom. 48. in Matth. *intelligendum eſt quantùm ad illum ſermonem, quamvis aliàs ſine parabolis multa turbis locutus fuerit.* Vel ſecundùm Auguſtin. lib. quæſt. ſeptemdecim ſuper Matth. q. 15. *Non quia nihil propriè locutus eſt, ſed quia nullum ferè ſermonem explicavit, ubi non aliquid per parabolam ſignificavit, quamvis in eo aliqua & propriè dixerit.*

XXVI. Non tamen *omnia profunda ſuæ Sapientiæ* (inquit S. Thomas ad ſecundum) *ſuâ doctrinâ manifeſtavit* Dominus, *non ſolùm turbis, ſed etiam diſcipulis, quibus dixit Joan. 16.* Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò: *Sed tamen quodcumque dignum duxit aliis tradere de ſua ſapientia, non in occulto, ſed palam propoſuit, licèt non ab omnibus intelligeretur.* Hinc tollitur difficultas, quæ oriri poſſet. Cùm enim Chriſtus Joan. 15. v. 15. dixerit Apoſtolis: *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis*: quomodo cap. 16. potuit dicere eiſdem: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò?* Si omnia quæcumque audivit à Patre ſuo nota fecit diſcipulis ſuis, nil eis ſupererat dicendum. Tollitur, inquam, ſi cùm dixit *Omnia nota feci vobis*, cum Chryſoſtomo hom. 77. aliàs 76. in Joann. *Intelligas ea, quæ audire illos oportebat*, vel cum S. Thoma, *ea quæ dignum duxit aliis tradere*, nempè myſteria Fidei, non autem omnia prorsùs Sapientiæ ſuæ arcana, quæ nec Apoſtoli tunc portare ſeu capere poterant, quia nondum Spiritus Sancti adventu & gratiâ fortes effecti fuerant. Omnia ergo, quæ Chriſtus dignum duxit aliis tradere, non in occulto, ſed palam, ideſt coram multis, vel turbis vel diſcipulis tradidit, eſtò non omnes ea, quæ dicebat, intelligerent. Unde Auguſtin. Tract. 113. in Joan. ait: *Ipſum autem palam modo quodam erat palàm, modo autem quodam non erat palàm. Palàm quippe erat, quia multi audiebant: & rursùm non erat palàm, quia non intelligebant. Et quod ſeorſum diſcipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur. Quis namque in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur... præſertim ſi hoc loquitur paucis, quod per eos velit innoteſcere multis, ſicut ipſe Dominus ait illis, quos adhuc paucos habebat*: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta?

§. IV.

An Christus aliqua scripserit.

XXVII. QUartum, quod discutiendum propositimus, an scilicet Christus non tantùm voce, sed scripto etiam docere debuerit, seu doctrinam suam per se ipsum scripto tradere, negativè resolvitur à S. Thoma dicta q. 42. ar. 4., qui hoc triplici ratione probat. Primam petit ex excellentia Doctrinæ Christi, quæ modo excellentiori debuit communicari, ut scilicet verbo tradita in tabulis cordis imprimatur, non in tabulis lapideis incidatur, ut Lex Vetus; Nam ut ait S. Doctor ad secundum: *Quia Lex Vetus in sensibilibus figuris dabatur; ideò etiam convenienter sensibilibus signis scripta fuit: sed Doctrina Christi, quæ est* Lex Spiritus vitæ, *scribi debuit*, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, *ut Apostolus dicit* 2. *Cor.* 3. Ille enim est excellentior Doctor, qui doctrinam immediatè imprimit cordi, quàm qui eam imprimit chartæ: *Unde* (ait S. Thomas in corp.) *etiam apud Gentiles Pythagoras & Socrates, qui fuerunt excellentissimi Doctores, nihil scribere voluerunt. Scriptura enim ordinatur ad impressionem doctrinæ in cordibus auditorum, sicut ad finem.*

XXVIII. Secundam rationem petit ex ejusdem doctrinæ sublimitate, quæ litteris comprehendi non potest. Unde Joannes cap. ultimo ait: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*: ideſt, ut explicat S. Augustinus Tract. ultimo in Joann. *Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, sed capacitate legentium comprehendi non posse.* Si autem Christus scripto doctrinam suam mandasset, nihil altius de ejus doctrina homines æstimarent, quàm quod Scriptura contineret.

XXIX. Tertiam rationem petit ex ordine, quem tenet Providentia Divina, ut scilicet suprema non immediatè, sed per media deveniant ad inferiora, & *sic ordine quodam ab ipso doctrina ad omnes perveniat; dum ipse scilicet discipulos suos immediatè docuit, qui postmodum alios verbo & scripto docuerunt. Si autem ipsemet scripsisset, ejus doctrina immediatè ad omnes pervenisset: unde & de Sapientia Dei dicitur Prover.* 9. quòd misit ancillas suas vocare ad arcem.

XXX. Hanc S. Thomæ doctrinam confirmat S. Augustinus lib.

lib. 1. de Conſ. Evangeliſt. c. 7., ubi de quibuſdam paganis conquerentibus de Chriſto, quòd nihil ſcripſerit, ei fortè credituris, ſi doctrinam ſuam ſcripto reliquiſſet, ita loquitur: *Sed illud priùs diſcutiendum eſt, quod ſolet nonnullos movere, cur ipſe Dominus nihil ſcripſerit, ut aliis de illo ſcribentibus neceſſe ſit credere. Hoc enim dicunt illi vel maximè pagani, qui Dominum ipſum Jeſum Chriſtum culpare aut blaſphemare audent, eique tribuunt excellentiſſimam Sapientiam, ſed tamen tanquam homini: diſcipulos verò ejus dicunt Magiſtro ſuo ampliùs tribuiſſe, quàm erat, ut eum Filium Dei dicerent & Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & ipſum ac Deum Patrem unum eſſe, ac ſi qua ſimilia ſunt in Apoſtolicis litteris, quibus eum cum Patre unum Deum colendum eſſe didicimus. Honorandum enim tamquam ſapientiſſimum virum putant: colendum autem tamquam Deum negant.*

Quibus ita reſpondet: *Cùm ergo quærunt, quare ipſe non ſcripſerit, videntur parati fuiſſe hoc de illo credere, quod de ſe ipſe ſcripſiſſet, non quod alii de illo pro ſuo arbitrio prædicaſſent. A quibus quæro: cur de quibuſdam nobiliſſimis Philoſophis ſuis hoc crediderunt, quod de illis eorum diſcipuli ſcriptum memoriæ reliquerunt, cùm de ſe ipſi nihil ſcripſiſſent? Nam Pythagoras, quo in illa contemplativa virtute nihil tunc habuit Græcia clarius, non tantùm de ſe, ſed nec de ulla re aliquid ſcripſiſſe perhibetur. Socrates autem, quem rursùs in activa, quâ morès informantur, omnibus prætulerunt, ita ut teſtimonio quoque Dei ſui Apollinis omnium ſapientiſſimum pronuntiatum eſſe non taceant, Æſopi fabulas pauculis verſibus proſecutus eſt, verba & numeros ſuos adhibens rebus alterius, uſque adeò nihil ſcribere voluit, ut hoc ſe coactum imperio ſui Dæmonis feciſſe dixerit, ſicut nobiliſſimus diſcipulorum ejus Plato commemorat: in quo tamen opere maluit alienas, quàm ſuas exornare ſententias. Quid igitur cauſæ eſt, cur de iſtis hoc credant, quod de illis diſcipuli eorum litteris commendarunt: & de Chriſto nolint credere, quod ejus de illo diſcipuli conſcripſerunt? Præſertim cùm ab eo ceteros homines ſapientiâ ſuperatos eſſe fateantur, quamvis eum fatevi Deum nolint. An verò illi, quos iſto multò inferiores fuiſſe non dubitant, veraces de ſe diſcipulos facere potuerunt, & iſte non potuit? Quod ſi abſurdiſſimè dicitur, credant de illo, quem ſapientem fatentur, non quod ipſi volunt, ſed quod apud eos legant, qui ea, quæ ſcripſerunt, ab illo ſapiente didicerunt.* Eu forte argumentum Auguſtini contra Paganos, qui de ſuis Philoſophis, quamvis nihil de ſe ſcripſiſſent, id, quod eorum diſcipuli de illis ſcripſerant, credebant: De Chriſto autem, quòd eſſet Deus, etſi hoc diſcipuli ejus de eo, & ut ab ipſo dictum, ſcripto reliquerint,

quia

quia tamen ipse hoc de se non scripsit, credere recusabant.

XXXI. Quia verò Christum fuisse sapientissimum credebant, eos validè cap. 8., ita aggreditur S. Doctor: *Deinde dicant, unde saltem quòd sapientissimus fuerit, nosse vel audire potuerunt? Si famâ disseminante, certior ne de illo nuntia fama est, quàm discipuli ejus, quibus eum prædicantibus ipsa per totum mundum fama fragravit? Postremò famam præferant famæ, & ei famæ de illo credant, quæ major est.* Deinde prolatâ Ecclesiæ famâ, quæ per totum orbem diffusa prædicat Christum Filium Dei unigenitum & verum Deum; concludit: *Si ergo famam eligunt testem, cur non hanc eligunt, quæ tantâ claritate præfulget? Si Scripturam, cur non Evangelicam, quæ tantâ auctoritate præpollet?* His Augustinus Paganos convincit, eos credere debere Christum esse Deum, quia licèt ipse hoc de se non scripserit, hoc tamen ex ejus ore acceptum discipuli ejus toto orbe annuntiârunt, & fama universæ Ecclesiæ hoc testatur.

XXXII. Sed dices: Eodem S. Augustino teste loco, supra laudato, Gentiles sic erant affecti, ut doctrinæ Christi credidissent, si ipsemet eam litteris consignasset: *Videntur*, inquit, *parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicassent.*

XXXIII. Respondet primò S. Thomas citato loco ad tertium: *Quòd illi, qui Scripturæ Apostolorum de Christo credere noluerunt, nec ipsi Christo scribenti credidissent, de quo opinabantur, quòd magicis artibus feciſſet miracula, quorum fama ubique percrebuit, quod existimando se ipsos produnt, quid diligant, & quid affectent. Quandoquidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quæ illicita noverant, quæ non solùm disciplina Christiana, sed etiam ipsa terrenæ reipublicæ administratio jure condemnat.* Ita Augustinus, qui addit in hoc etiam errasse, quòd dictos libros dicerent Christum ad Petrum & Paulum scripsisse, cùm vel pueri scholares norint, toto tempore, quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, Paulum nondum discipulum ejus fuisse.

XXXIV. Respondeo secundò, ex eodem S. Augustino lib. 1. de Cons. Evangel. cap. 35. dicente: *Omnibus discipulis suis per hominem, quem assumsit, tanquam membris sui corporis* (Christus) *caput est. Itaque cùm illi scripserunt, quæ ille ostendit & dixit, ne-*

nequaquam dicendum est, quòd ipse non scripserit: quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium, & in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quàm si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Quidquid ergo discipuli Christi scripsêre de ipso, tamquam ejus manu exaratum suscipiendum est, ac eâdem fide tenendum, quando ut tale nobis ab Ecclesia proponitur. Ecclesiæ etenim judicium est unicum & infallibile criterium discernendi libros verè Apostolicos ac Divinos à non Apostolicis aut non Divinis, cui S. Augustinus adeò obsequebatur, ut lib. contra Epist. fundamenti cap. 5. dixerit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

Cùm igitur Catholica Ecclesia nihil à Christo immediatè scriptum nobis proponat, eum nihil omnino scripto reliquisse tenendum est. Ac propterea Epistolam, quæ ab ipso scripta ad Abgarum seu Abagarum Edessenorum Regem circumfertur, ad apocrypha amandavimus Tract. de libris Novi Testamen. c. 4. de apocryphis §. 1. Quæ ibi diximus huc transferre studiosus poterit.

XXXV. His prævenitur instantia, quæ fieri posset, nimirùm, quòd si Christus manu propriâ doctrinam suam scripto exarasset, majus fundamentum de veritate ejus haberemus, quàm modò: haberemus enim eam confirmatam testimonio proprio, non alieno, nec dubitare possent Infideles, an ea, quæ in Evangeliis scripta leguntur, spiritu ejus, an potiùs pro arbitrio scribentium fuerint exarata; nec in uno libro totam ejus doctrinam manu propria traditam tanquam in autographo legenti ullus supereſſet ambigendi locus, ſicut modò, cùm à pluribus ſcripta legimus: ſive unum cum altero conciliandi: ſive etiam quodnam ſcriptum genuinum ſit, quodve apocryphum.

XXXVI. Cui reſpondetur ex jam dictis, quòd cùm diſcipuli ſcribentes de Chriſto ſe habuerint tamquam manus ex influxu & motione capitis ſcribens, quæ illi ſcripſerunt de Chriſto, perinde eſt, ac ſi ille ſcripſiſſet, & teſtimonium eorum non eſt alienum, ſed teſtimonium Chriſti per ipſos evulgatum. Quod ſi aliter, quàm Chriſtus dixerat & fecerat, prædicaſſent & ſcripſiſſent inſpectantibus Gentilibus ac Judæis, quorum non pauci dictorum & geſtorum Chriſti oculares teſtes fuerunt, de falſita-

te

te ac mendacio facilè convicti fuissent; quod tamen nemo ausus fuit eis opponere. Imo cùm ea, quæ dixerant & scripserant, miraculis comprobata suis oculis infideles ipsi cernerent, de eorum certitudine magis magisque confirmabantur.

Neque ex eo, quòd plures scripserint, ullum veritati præjudicium nascitur, quin potiùs mira inter omnes consonantia ea, quæ scripserunt, vera esse confirmat; mendacii enim non una vox est. Dubium autem, quod potuit nasci, an discipulorum scripta de Christo, quæ modò extant, sincera sint ac genuina, sublatum fuit auctoritate Ecclesiæ genuina à spuriis decernentis, & quæ ut sincera ac Divina sint omnibus declarantis. Imo hoc dubium suboriri potuisset, etiamsi Christus sua manu scripsisset: nam potuisset dubitari, an Codices, quos modò habemus, sint sinceri & conformes authographo exemplari manu Christi conscripto, an verò ex Scriptorum oscitantia vel malitia interpolati.

XXXVII. Hoc invictè probat S. Augustinus lib. 33. contra Faustum cap. 6., ubi cùm Manichæi, ut suum tuerentur errorem, Scripturas, quæ eis opponebantur ex Novo Testamento, quod solum admittebant, dicerent, non esse genuinas Apostolorum, sed ab aliquo falsario suppositas vel corruptas: postquam eos confutavit, ex eo quòd Ecclesia universa ut legitimas & genuinas eas habet, quas certè ut tales non haberet, si reverà non essent, sicut alias, quæ sub nomine Apostolorum ab initio obtrudebantur, cognovit sub falso eorum nomine spargi: & ideò eas repudiavit. Et ipsi seculares homines quædam sub ementito Hippocratis nomine scripta, cognito quòd spuria essent, auctoritate omni spoliarunt, contra verò ea, quæ omnis ætas ut veros eorum fœtus agnovit, ut tales semper suscepêre, ut de illis dubitare summæ dementiæ sit, ita prosequitur: *Platonis Aristotelis Ciceronis Varronis aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quòd ipsorum sint, nisi eâdem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonicâ, sed aliquo adjuvandi studio, sive dicendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit atque edidit, & inde in alios atque alios continuatâ notitiâ latiùsque firmatâ ad posteros, etiam ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quisque liber sit, non hæsitemus, quid respondere debeamus. Sed quid pergam in longè præterita? Ecce istas litteras, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus hujus vitæ nostræ, vel illas quisquam Fausti esse, vel*

bas neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi, qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longè etiam post futuros continuatis posterorum successionibus trajiciunt? Quæ cùm ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi Dæmoniorum mendaciloquorum malitiæ atque fallaciæ consentiendo subversus sit, qui dicat, hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cùm eorum cathedras usque ad præsentes Episcopos certissimâ successione servaverint, cùm hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam sive in ipsa Ecclesia tanta felicitate proveniat? Hæc pro veritate librorum, quos ut Sacros & Apostolicos veneratur Ecclesia, strenuè de more S. Augustinus.

Quæri hìc posset, an cùm Christus nihil scripserit, dederit saltem discipulis præceptum scribendi ea, quæ scripserunt. Sed cùm hoc supra tractatum sit cap. 1. de Evangeliis §. 6., & negativè resolutum contra Joannem Clericum asserentem, non est cur hìc de hoc sermo habeatur.

§. V.

De tempore Prædicationis Christi.

XXXVIII. HOc est quintum, quod examinandum proposui, in quo non conveniunt sive Veteres sive Recentiores. Ut enim refert Baronius ad an. Christi 34. num. 144. Gnostici antiqui hæretici, ut scribit Irenæus lib. 2. adversùs hæres. cap. 38. modo 22., uno tantùm anno Christum prædicasse putabant; ajebant enim, cùm esset triginta annorum, venisse ad Baptismum: *Duodecimo autem mense eum esse passum, ut sit anno uno post Baptismum prædicans.* Et hoc se colligere existimabant ex illo Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me... Ut prædicarem annum placabilem Domino.* Idem sensit Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. pag. mihi 340. dicens: *Erat Jesus veniens ad Baptisma quasi triginta annorum, eo quòd anno solo oporteret eum prædicare; hoc quoque sic scriptum est: annum acceptabilem Domino prædicatum misit me.* Consentiunt Lactantius, Julius Africanus aliique, inter quos S. Gaudentius Tract. 3. de prima Dominica Paschæ his verbis: *Annuculus est* (Christus) *quia post illud Baptisma, quod pro nobis in Jordane susceperat, usque ad passionis suæ diem unius anni tempus impletur, & ea tantùm scripta sunt in Evangeliis, quæ in illo anno vel docuit vel fecit:* quod sumsit fortè ex Philastrio, qui de annis Christi, & tempo-

re, hæresi 106. ait: *Dominus, quæ in uno anno gessit & docuit, hæc sola præcepit conscribi. Nam quæ ante facta sunt ab eo & dicta primis triginta annis, secundùm Beatum Joannem* (subaudi scripta non sunt) *qui dixit, mundum non capere posse, si universa scriberentur, quæ fecerat.* Idem opinatur Cassiodorus in Chronico.

XXXIX. Alii tempus prædicationis Christi duobus annis completum fuisse arbitrati sunt. Hujus opinionis auctor fuit Apollinarius Laodicenus apud S. Hieronymum in cap. 9. Danielis, nimirùm: *Tricesimo juxta Evangelistam Lucam anno ætatis suæ cæpit in carne Dominus Evangelium prædicare, & juxta Joannem Evangelistam per tria Paschata duos postea implevit annos.* Pro hac opinione citatur etiam Cyrillus Alexandrinus in cap. 29. Isaiæ.

XL. Alii tertiò volunt, tribus annis & aliquot nempe tribus mensibus Christum prædicationem suam absolvisse. Huic sententiæ favet S. Epiphanius hæres. 51. dicens: *Comperitur, trigesimo tertio anno adventus Incarnationis suæ Unigenitus passus esse*, quamvis, ut notat Baronius citatus, æquivocet in nominibus eorum, qui eo anno Consules erant.

XLI. Huic sententiæ libentiùs subscribo. Primò, quia S. Ignatius Martyr in Epist. ad Trallianos ita scribit: *Et expletis tribus annorum decubibus baptizatus est à Joanne*: deinde subdit: *Et ubi triennium prædicavit Evangelium, signa & prodigia patravit, à falsis Judæis & præside Pilato judicatus est* &c. Cujus testimonium maximæ fidei esse debet, cùm teste Hieronymo lib. de Script. Eccles. affirmet, se Christum post resurrectionem propriis oculis vidisse.

Secundò, quia hanc Ecclesiæ Romanæ fuisse sententiam, scribit Beda de Ratione temporum cap. 45. dicens: *Habet, ni fallor, Ecclesiæ Fides, Dominum in carne paulò plus, quàm triginta tres annos, usque ad sua tempora passionis vixisse.* Et inferiùs subdit, Sanctam Ecclesiam Romanam hanc fidem tenere.

Tertiò, Christus tempore, quo prædicavit, quatuor Paschata celebravit. Primum describitur Joan. 2., ubi post enarratas nuptias Canæ v. 13. dicitur: *Et propè erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam.* Secundum Joan. 5. ubi v. 1. dicitur: *Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam*, ubi licèt non nominetur festum Paschæ, dum tamen dicitur *Dies festus Judæorum* antonomasticè sumitur pro Paschate. Tertium Joan. 6., ubi v. 4. habetur: *Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.* Quartum refert idem Joannes c. 12. & 13.

ante

ante ejus passionem. Cùm enim sexta Januarii baptizatus fuerit, primum Pascha celebravit tribus mensibus circiter post Baptismum, alia duobus annis sequentibus, ultimum pridie quàm pateretur.

XLII. Similem discursum facit Irenæus lib. 2. contra hæres. cap. 22. alias 38. ubi probans, non uno, ut volebant Gnostici, sed tribus annis Christum prædicationem suam compleviſe, hoc ex numero Paschatum probans, ait: *Et primum quidem ut fecit vinum ex aqua in Cana Galileæ, ascendit in diem festum Paschæ, quando & scriptum est* (Jo. 2. v. 23.) Quia multi crediderunt in eum, videntes signa, quæ faciebat, *sicut Joannes Domini discipulus meminit.... Et post hæc iterum secunda vice* (Jo. 5. v. 1.) *ascendit in diem festum Paschæ in Jerusalem, quando paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat triginta octo annos, curavit, jubens, ut surgeret & auferret grabatum suum, & iret. Et iterum inde secedens trans mare Tiberiadis* (Jo. 6. v. 1.) *ubi & cùm multa turba sequeretur eum secuta de quinque panibus satiavit omnem illam multitudinem, & superaverunt duodecim cophini fragmentorum. Deinde cùm Lazarum suscitasset ex mortuis, & insidiæ fierent à Pharisæis, secedit in Ephrem civitatem: & inde* ante sex dies Paschæ (Jo. 11. v. 54.) *veniens in Bethaniam scribitur, & de Bethania ascendens in Hierosolymam, & manducans Pascha, & sequenti die passus.* Ita Irenæus, qui tamen sola tria Paschata Christum prædicationis tempora celebrasse dicit, five quia Pascha, quod Joannis 5. & 6. recenſetur, pro uno eodem reputat, five quia cùm intentum ejus esset ostendere contra Hæreticos, Christum non uno tantùm, sed tribus annis integris prædicasse, ultimum Pascha, post quod passus est, non computavit, nimirùm pro anno. In hoc tamen dissentit à nobis, & communi sensu Irenæus, quòd initium prædicationis Christi non sumit ab ejus Baptismo. Est enim in sententia, quód non statim post Baptisma munus prædicationis assumserit, sed aliquot annis solitariam vitam egerit, & solùm expleto quadragesimo ætatis anno passus fuerit. Et propterea nuptias Canæ, post quas prædicationem inchoasse putat, non uno anno posteriores ejus Baptismo ponit.

XLIII. Ceterùm prædicationem suam Jesum inchoasse ante nuptias Canæ, constat ex eodem Joanne cap. 1., ubi postquam ipsius Baptistæ testimonio Christum jam baptizatum ostendit, statim refert duos ex discipulis Joannis, eo relicto, secutos esse Jesum, quorum unus erat Andræas frater Simonis Petri, qui à fratre monitus & ipse accessit, & uterque à Christo fuit acceptatus, sicut & in crastinum Philippus & Nathanael. Tertiâ

autem die ſive poſt Andreæ Petri & aliorum acceſſum, ſivé diſceſſum in Galilæam invitatus fuit Jeſus unà cum diſcipulis ad nuptias. Unde Joan. 2. v. 1. dicitur: *Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ... Vocatus eſt autem & Jeſus & diſcipuli ejus ad nuptias.* Si ergo quando Jeſus vocatus fuit ad nuptias, vocati fuerunt etiam ejus diſcipuli, ergo jam initium dederat ſuæ prædicationi. Cùmque tempus, quo hæ nuptiæ celebratæ ſunt, non multis diebus antecederet Paſcha, ut refertur ibi v. 13. ad quod celebrandum Chriſtus Hieroſolymam aſcendit, fit, ut iſtud fuerit primum Paſcha, quod poſt initium prædicationis Chriſtus celebravit.

Itaque hiſtoriæ ordo hic eſt. Jeſus die 6. Januarii baptizatus, ſtatim ad deſertum perrexit, ubi manſit quadraginta diebus, ideſt uſque ad decimam ſextam Februarii. Inde digreſſus obvium habuit Joannem, cujus præconiis excitati duo ex diſcipulis ejus abierunt ad Chriſtum, quos alii ſecuti ſunt, unde cœpit Chriſti prædicatio: poſt hæc ſecutæ ſunt nuptiæ; tandem primum Paſcha, quod proinde tribus menſibus ejus Baptiſmum, & etiam initium prædicationis ſubſecutum eſt; niſi initium prædicationis, ut par eſt, ſumamus ab ejus ingreſſu in deſertum utpotè præparatorio ad prædicationem. Videri poſſunt Chronologi, inter quos Graveſon de Myſteriis & Ann. Chriſti Diſſert. 2. proluſoria p. 2., ubi ea omnia, quæ Chriſtus ſuæ prædicationis tempore geſſit, accuratè deſcribit.

Quarti Tomi Partis Primæ Finis.

IN-

INDEX RERUM

Quæ in hac prima Parte quarti Tomi continentur.

A

ÆDes *Lauretana Domus, in qua fuit annuntiata Maria.* Pag. 125.

Ætates *Mundi.* 191.

Agnus *quare non oblatus in Templo, sed par turturum,* 263.

Amburbale *festum.* 272.

S. Anastasia *non est functa officio obstetricis in partu Virginis.* 181.

Angelus *ad Mariam.* 34.

Anima *Christi in instanti conceptionis fuit unita corpori, & una cum corpore Verbo,* 139.

Animalia *erant in Præsepio Christi, nempè Bos & Asinus.* 187.

Anna *Mater Mariæ Virginis,* 36.

Anna *Prophetissa quomodo non discedebat de Templo.* 54. *Quæ.* 268.

Anna & *Caiphas simul Sacerdotes.* 315.

Annus *Baptismi Christi quis annus Imperatoris.* 333.

Apocryphæ *historiæ de Ortu Virginis.* 34. & 44.

In Apocryphis *libris, quæ vera cujus auctoritatis,* 45. 47.

Aqua *Benedicta in Festo Epiphaniæ.* 256.

——*Maledictionis, quæ sit.* 170.

Archelaus *quamdiù regnavit post Herodem.* 306.

B

BAptismus *Joannis fuit à Deo, & cur denominetur à Joanne.* 321. *habuit materiam remotam & proximam, non formam.* 322. *Non conferebat gratiam.* 323. *inducebat ad pœnitentiam.* 324. *non cessavit statim Christo baptizato.* 324. *sed postquam fuit missus in carcerem.* 326. *, fuit diversus à Christi Baptismo.* 327.

Baptismus *sanguinis fecit pueros Martyres Christi.* 299.

Baptizati *Baptismo Joannis erant baptizandi Baptismo Christi.* 328.

Bethania *Castellus Marthæ & Magdalenæ altera à Bethania trans Jordanem.* 335.

Bethania *trans Jordanem eadem ac Bethabara.* 335.

Bethlehem *Civitas, in qua natus est Jesus.* 184.

C

S. Cæcilia *consensit in traditionem sui corporis Valeriano non in usum.* 83.
Cainam *quare non ponatur à Matthæo in genealogia Christi.* 30. *aliqui putant fuisse intrusum in Evangelio Lucæ. ibidem.*
Caiphas *non habuit Annam Vicarium.* 316.
Candelarum *usus in festo Purificationis.* 270.
Canticum *Mariæ Virginis.* 156.
Caro *Christi sumta ex Adam.* 2.
Christus *ex stirpe Adam.* 1. *& David.* 4. *speciali ratione dicitur filius Abrahæ & David.* 5. *dilexit Virgines.* 102. *conceptus in utero non in corde Virginis.* 130. *potest dici conceptus de Spiritu Sancto, non tamen natus.* 134. *in primo instanti suæ conceptionis fuit Sanctus, & habuit usum liberi arbitrii.* 142. *potuit mereri, & fuit perfectè comprehensor & Beatus.* 143. *exivit ab utero clauso Matris.* 174. *sine dolore ejusdem, & sine sordibus.* 178. & 182. *natus extra civitatem Bethlehem sed propè, in Spelunca destinata ad receptionem animalium.* 185. *natus anno à creatione Mundi quater millesimo.* 190. *mense Decembri.* 192. *die vigesima quinta.* 194. *media nocte.* 195. *circumciditur.* 206. *vocatur Jesus.* 207. *alia nomina ejusdem.* 208. *non fuit circumcisus in Templo aut Synagoga, sed in antro Bethlehemitico.* 211. *ignoratur Minister circumcisionis.* 213. *Infans non fecit miracula.* 225. *fugit in Ægyptum post Præsentationem in Templo.* 274. *fugit ex Nazaret.* 276. *vix anno integro in Ægyptum permansit.* 280. *quomodo intelligitur quod crescebat sapientia, ætate & gratia.* 301. *disputabat in Templo audiens & interrogans.* 307. *interrogando docebat, invenitur post triduum à parentibus.* 308. *pauperem vitam duxit, sed non vivebat ostiatim, mendicando.* 311. *non duxit vitam solitariam, sed artem fabrilem Patris exercuit.* 312. *voluit baptizari à Joanne.* 328. *baptismo ejusdem.* 330. *anno ætatis suæ trigesimo incipiente.* 332. *mense Januario.* 334. *die sexta in fluvio Jordanis.* 335. *declaratus à Patre filius naturalis, & Unigenitus.* 344. *incertum eum baptizasse aliquos nempè Deiparam & Apostolos.* 347. *ductus in desertum à Spiritu Sancto, non vi sed libera ejus voluntate.* 349. *tentari voluit.* 350. *non à carne, nec à Mundo, sed à solo Diabolo.* 352., *quomodo jejunavit quadraginta diebus & noctibus.* 354. *post Baptismum austeram vitam assumsit.* 356. *quare voluit succurrere suæ su-*

fami convertendo lapides in panem. 357. *habebat tres vestes tunicam inconsutilem, talarem & pallium.* 365. *incedebat capite cooperto, & utebatur saltem soleis, caligis, sive sandaliis.* 367. *tempore suæ prædicationis pauperem vitam duxit.* 370. *implevit legem sex modis.* 372. *primò solis Judæis suam doctrinam exhibuit.* 375. *ejus prædicatio fuit convenienus non obstante offensione Scribarum & Phariſæorum.* 376. *publicè docere & prædicare debebat.* 377. *quare utebatur parabolis.* 378. *non omnia occulta Sapientiæ suæ omnibus manifeſtavit.* 379 *Doctrinam suam non tradidit Scripto, ſed prædicandam diſcipulis reliquit.* 380. *tribus annis & tribus menſibus abſolvit prædicationem, in quibus quatuor Paſchata celebravit.* 386.

Circumciſio *eſt miniſterium mere laicum.* 212.

Civitas *Eliſabeth quæ.* 146.

Cœli *apertio in Baptiſmate Chriſti quomodo contigerit.* 337.

Collegium *Apoſtolicum habebat loculos.* 371.

Columba, *in qua apparuit Spiritus Sanctus fuit vera Columba.* 342.

Conceptio *Chriſti contigit poſt Salutationem Mariæ.* 124. *in utero non in corde Virginis.* 130. *activè tribuitur Spiritui Sancto.* 134., *fuit ſupernaturalis & miraculoſa.* 137.

Contradictiones *inter Matthæum & Lucam circa genealogiam Chriſti conciliantur.* 14. 16. 21.

Corpus *Chriſti fuit formatum ex puriſſimis Sanguinibus Virginis.* 131. *in momento ſuæ conceptionis fuit integrum.* 138. *non fuit formæ, nec nimis indecoræ, nec nimis venuſtæ.* 141.

D

Deſertus *locus tentationis Chriſti ubinam ſit.* 353.

Deſponſatio *quid ſignificat.* 91.

Diabolus *ſub viſibili formâ Chriſtum tentavit.* 361. *quomodo tranſtulit Chriſtum ſuper pinnam Templi, & ſuper montem excelſum.* 361. *quomodo ex monte oſtenderit Chriſto omnia regna mundi.* 362. *ſuſpicatur Chriſtum eſſe Filium Dei.* 352.

Diſcipuli *Chriſti non baptizabant Baptiſmo Joannis.* 326.

Diſputatio *de Lege habebatur in aliquo loco Templi.* 307.

Diſſonantia *Matthæi & Lucæ circa tempus & ordinem tentationum Chriſti conciliatur.* 360.

Doctrina *Chriſti præſtantiſſima, & ſanctiſſima.* 375.

Dolor *Parentum Chriſti ex ejus amiſſione in Templo ex amore procedebat.* 308.

Domus, *in qua Angelus annuntiavit Mariam erat Domus Joſeph.* 125.

Eli-

E

Elisabeth *salutat Mariam*. 150.

Epiphania *quid significet*. 254. *ejus festivitas antiqua*. 255.

Evangelistæ *silent de gestis Christi in infantia*. 301.

Evangelium *non emendandum ex Patribus, sed Patres ex Evangelio*. 29.

——*Jacobi apocryphum*. 47.

——*Infantiæ apocryphum*. 281.

Eunuchi *valide non possunt inire Matrimonium*. 84.

F

Fabulæ *de Josepho videnti Virginem gravidam*. 167.

——*de Nativitate Christi*. 175. 180.

——*de Puero Jesu*. 302.

——*de purgatione Mariæ dum ingressa est in Templum*. 269.

Festa *Mysteriorum Christi quando celebrantur*. 250.

Festum *Circumcisionis quando incepit*. 221.

——*Purificationis antiquum*. 270. *quare institutum*. 271. *quando*. 272.

Figuræ *Virginitatis Mariæ*. 106.

Fons *aquæ in spelunca ubi natus est Christus*. 205.

——*Olei Romæ*. 204.

Fratres *Domini, qui intelliguntur*. 104.

Fuga *Christi in Ægyptum*. 274.

G

Gabriel *fuit Angelus, qui annunciavit Mariam*. 119. *qui fuit missus ad Danielem & Zachariam*. 122. *apparuit Mariæ visibilis sub corporali forma*. 123. *salutavit Mariam dum erat in domo*. 125. *aptavit sibi corpus*. 126. *salutavit Mariam mense Martio*. 126. *de hora nihil certi*. 127. *verba Salutationis fuerunt ordinatè prolata*. 128.

Genealogia *Christi quare potiùs per Josephum, quàm per Mariam deducatur*. 12.

Græci *conservant per annum aquam benedictam die sexta Januarii*. 325.

——*à quibus fabulas de Maria Virgine hauserint*. 35.

Guillelmus Ochamus *dicebat Christum vixisse ostiatim mendicando*. 311.

H

Heli *non fuit Pater naturalis Mariæ*. 25.

Helvidius *malè sensit contra Virginitatem Mariæ*. 106. *confutatur*. 108.

Herodes *ter navigavit Romam ante Natalem Christi*. 290. *inter pueros non interfecit Filium suum bimum, sed Antipatrum filium adultum*. 293. *quomodo mortuus*. 280.

Hugonis *Grotii modus reconciliandi Evangelistas in genealogia Christi refellitur*. 22.

Hy-

Hypapantes *dies Festus Purificationis* . 270.

I

IDolorum *eversio invisibilis tempore Christi* . 285.
Jeconias *quomodo ponatur in genealogia Christi* . 13. *duo fuerunt* . 27.
Jejunium *Christi fuit conveniens ante tentationem* . 355.
Jephte *non fecit votum Virginitatis* . 63.
Jesus, *qui vocati in Veteri Testamento* . 208.
Infantes *ab Herode occisi veri Martyres* . 296. *non fuit acceleratus illis usus rationis* . 297. *incertus numerus eorum sed ingens* . 293.
Joannes *habuit in utero usum rationis* . 62. 153. *sanctificatur in utero* . 153. *miraculosè exultat in utero Matris* . 150. *ejus Nativitas* . 151. *ministerium* . 317. *non abrogavit Legem Veterem, sed erat limes utriusque Legis* . 319. *novam non instituit* . 320. *Baptizabat etiam postquam Christus per discipulos cœpit baptizare* . 325. *Christum ipsum baptizavit* . 328. *numquam dubitavit illum esse Messiam* . 340. *non fuit baptizatus à Christo in aqua* . 346.
Joannes XXII. *damnat errores Michaelis Cæsarii & Ochami.* 311.
Joram *genuit Oziam non immediatè sed mediatè* . 25.
Joseph *Sponsus Mariæ* . 68. *apocrypha quæ narrantur de ejus Matrimonio* . 69. *Pater Christi dici potest* . 74. *imò & Dei* . 76. *quare putativus* . 76. *ejus ætas dum Matrimonium cum Virgine iniit* . 96. 98. *ante conjugium non fuit viduus, sed cælebs* . 101. *semper permansit Virgo* . 106. *ejus privilegia* . 111. *Dignitas ejus an sit major illa Præcursoris* . 113. *ejus cultus quando incœpit* . 114., *an fuerit sanctificatus in utero* . 114., *an regnet in cœlo in corpore & anima* . 115. *fuit comes Virginis in itinere ad Elisabeth* . 149. *fuit faber lignarius* . 313.
Josephus *historicus quare siluit necem Infantium* . 295.
Judæa *regio temperatissima* . 193
Judæi *putabant Messiam proditurum ex stirpe David* . 5. *discalceati in lectis accumbebant Mensæ* . 369. *calumniabantur Christum de transgressione Legis* . 372.

K

KAlendæ *Januarii apud Romanos solemnes* . 219.

L

LEx *purgationis Matrum* . 258. *ab ipsa erat immunis Maria, illi tamen se subjecit* . 260.
—— *offerendi sacrificium pro peccatis, & de primogenitis tri-*

primæ non erat subjectus Christus, secundæ tamquam per eam figuratus. 261.
—— *de Desponsatis apud Judæos.* 89. 94.
—— *Leviratus quæ.* 23.
—— *Visitationis Templi.* 304.
Libanius *Sophista irrisor Christi.* 313.
Liber *de ortu Mariæ apocryphus.* 43.
Lucas *texit seriem legalem Christi.* 17.
Lupercalia *festa.* 271.

M

MAgi *erant Reges.* 236. *tres tantum.* 240. *illorum nomina incerta.* 241. *ab Oriente venerunt ex illa parte, quæ dicitur Arabia Felix.* 243. *non advenerunt Jerosolymam post biennium à nato Christo.* 247. *neque post Purificationem Mariæ.* 249. *sed tertia decima die à Christi ortu.* 245. *probabile utrumque est invenisse Christum in Spelunca, aut in Domo.* 253. *qua via reversi incertum.* 253.
Magia *quid.* 235.
Manifestatio *Christi convenienti Ordine facta.* 226. *& etiam modo* 227. *cur Pastoribus per Angelos, Magis per Stellam.* 227.
Marcosii *seù Marchitæ fabulæ de Christo in pueritia.* 310.
Maria *ex semine David.* 7. *de Tribu Juda.* 8. *& stirpe David.* 10. *quomodo ad Tribum Levi pertineat.* 11. *ejus ortus apocrypha historia.* 39. *non fuit educata in Sancta Sanctorum.* 50. *nec manu Angelorum nutrita.* 52. *nec in cellulis propè Templum.* 53. *emisit votum Virginitatis.* 56. *non habuit usum rationis in primo instanti suæ Conceptionis.* 61. *fuit prima quæ emisit votum Virginitatis.* 63., *fuit Josepho sponsione promissa, sed Matrimonio juncta.* 90. *potiùs dicitur desponsata quàm nupta.* 91. *cohabitabat in eadem domo, cum Josepho.* 92. *ejus ætas quando inivit Matrimonium.* 96. 98. *numquam fuit carnaliter cognita à Josepho.* 106. *convenienter ab Angelo annuntiata.* 117. *quare turbata.* 124. *non dubitavit de Mysterio, sed de modo.* 58. 128. *concepit Christum in utero non in corde.* 130. *in conceptione Christi nihil egit activè.* 136. *visitavit Elisabeth.* 144. *non sola.* 148. *discessit à Domo Elisabeth ante partum Joannis.* 166. *non amisit Christum in Templo sua culpa.* 309., *qua arte sibi victum compararet.* 313.
Maria *Cleophæ quæ.* 37.
Martyrium *includit caritatis actum.* 300.
Materia *Corporis Christi quomodo derivata ab Adam.* 3.
Matrimonium *Mariæ cum Josepho verum.* 70. *ejus convenientia.* 78. *initum ante Lega-*

gationem Gabrielis . 86.
Matthæus *texit generationem naturalem Christi* . 17.
Michael *Cæsenas dicebat Christum vixisse ostiatim mendicando* . 311.
Miracula *in Mysterio Incarnationis* . 3. *in Conceptione Christi* . 137. *à Jesu patrata in Ægypto, quæ vera, quæ apocrypha* . 282. *facta à Deo in testimonium Jesu* . 288.

N

NAtivitas *Christi quibus debuit manifestari, & quomodo* . 223. 226.
——*Joannis Baptistæ* . 171.
Nazareth *civitas ad quam missus Gabriel* . 124.
Nepotes *dicuntur filii Avorum* . 25.
Nudipedes *hæretici confutanear* . 369.

O

ORacula *non cessarunt nascente Christo, & præcipuè illud Apollinis* . 202.
Ordo *historiæ Christi* . 388.

P

PAlæstini *gestant in pedibus soleas, ceù caligas* . 368.
Parentes *Virginis Mariæ* . 35.
Pastores *erant in regione propè Bethlehem* . 197. *non fuerunt quatuor sed tres* . 198. *incerti nominis* . 199. *annuntiaverunt aliis Fidem Christi* . 199.
Paupertas *Christi qualis* . 370.
Petrus Possinus *refellitur* . 23.
Pinnaculum *Templi quid* . 359.
Pontifices *tempore Christi duo erant: non administrabant simul* . 314.
Prædicatio *Christi* . 374.
Prædicationes *Messiæ* .
Præputium *Christi perseverat in terra* . 216., *ubi sit* . 217.
Præsentatio *Virginis in Templo* . 48.
Præsepium *quale* . 186.
Prodigia *vera in Nativitate Christi & apocrypha* . 200.
——*Tria in Baptismate Christi* 336.
Puellæ *non habitabant in cellulis citra Templum constructis* . 54. *apud Orientales à paternis ædibus numquam prodibant* . 55.
~~Punitio *Dei in filios non protendebatur, nisi ad tertiam vel quartam generationem* . 26.~~
Purgatio *intelligitur de Maria Matre, non de Christo Filio* . 257.

R

RAtiones *quibus probatur Filium Dei assumsisse humanam naturam ex Adam* . 2.
Ritus *cæreorum antiquus etiam apud Gentiles* . 270.

S

SAlathiel *potuerunt esse duo* . 28.
Sancta Sanctorum *in summa ve-*

veneratione etiam post Captivitatem Babylonicam . 51.
Sara *non potest dici Ismaelis Mater* . 76.
Saturnalia *festa* . 371.
Sephora *Ministra Circumcisionis* . 213.
Sibyllina *Oracula* . 263.
Simeon *quis fuit* . 264. *non fuit Sacerdos* . 265. *nec cæcus* . 268.
Spiritus, *à quo ductus est Christus in desertum fuit Sanctus* . 348.
Spiritus Sanctus *non potest dici Pater Christi* . 136. *descendit super Christum in specie Columbæ* . 338.
Stella *quæ Magos duxit quæ* . 228. *ubi apparuit* . 234. *non fuit à Judæis visa* . 234.
Stephanus *quomodo vidit Cœlos apertos* . 338.
Strenæ *quid sint* . 220.
Summi Sacerdotes *dicebantur, & illi qui fuerunt exautorati* . 316.

T

TEmpli *Jani observatio* . 208
Templum *pacis non corruit in Nativitate Christi* . 200.
Tentationes *Christi, quo ordine & modo dispositæ* . 356. *non probant esse purum hominem* . 352.
Tessaradecas *quid* . 26.
Tetrarchiarum *divisio* . 276.
Turris *gregis quæ* . 197.

V

VAlentini *error* . 3.
Vestales *non emittebant votum Virginitatis* . 64.
Vestes *Christi erant secundum morem gentis* . 365.
Virginitas *Mariæ probatur* . 106
Vita *Christi post Baptismum non solitaria nec auslera* . 363.
Votum *Mariæ ante Legationem Gabrielis, & antequam desponsaretur* . 60., *fuit absolutum* . 66. *quomodo cohæreat cum Matrimonio* . 81.
Vox *Patris super Christum baptizatum* . 343.

Z

ZAcharias *qui fuit occisus inter Templum & Altare quis* . 163.
Zacharias *Pater Joannis dubitans de Nuntiatione Angeli punitur* . 58. *quis fuerit* . 157. *fuit Sacerdos* . 158. *quo genere mortis obiit* . 159. *fabellæ circa ejus mortem* . 162.
Zorobabel *duo*, 28.

FINIS.